



S. 721







# ANNALES

ACADEMIAE GANDAVENSIS,

MDCCCXVIII. — MDCCCXIX.

S. 721.



# ANNALES

## ACADEMIAE GANDAVENSIS,

A DIE

V OCT. MDCCCXVIII

AD DIEM

IV OCT. MDCCCXIX,

FRANCISCO-PETRO CASSEL,

RECTORE MAGNIFICO,

ET

GUILIELMO-LEONARDO MAHNE,

SENATUS GRAPHIARIO.



GANDAVI,  
APUD P. F. DE GOESIN-VERHAEGHE, ACADEMIÆ TYPOGRAPHUM.  
1820.



ANNUALES

ACADEMIAE GANDAVENSIS

V OCT. MDCCCXVIII

IV OCT. MDCCCXIX

FRANCISCO FERDINANDO CASSELLI

REGIOE BRABANTIAE

GUILIELMO LEONARDO MAJORE

SECRETARIO

GANDAVI

ALPH. P. DE GONNIN VANDERBAMBE, A. ALPHENS TYPOGRAPHUM.

1830.

# INDEX

EORUM, QUÆ HOC ANNALIUM VOLUMINE CONTINENTUR.

---

1. Nomina Professorum et Lectorum Academicorum.
2. Programma Lectionum in Academia Gandavensi habitatum.
3. Acta in Senatu.
4. Programma Certaminis Literarii A. MDCCCXIX indicti.
5. Series Dissertationum Inauguralium tam publice, quam privatim, defensarum.
5. FRANCISCI PETRI CASSEL, *Rect. Magn.*, Oratio.
7. Commentatio JOSEPHI GUISLAIN.
8. - - - - CAROLI LIBBRECHT.
9. - - - - JOH. ALEXIDIS TIMMERMANS.
10. - - - - JOH. LEMAIRE.
11. - - - - JOH. LANTHEERE.

INDEX

TOMI, QUI HOC ANNUUM VOLUMINE CONTINENT

- 1. Programma Professorum et Lectorum Academicorum.
- 2. Programma Actionum in Academia Gandavensi habitarum.
- 3. Acta in Senatu.
- 4. Programma Certaminis Literarii A. MDCCCLXII habiti.
- 5. Series Dissertationum Inauguralium tam publicis quam privatis habitarum.
- 6. FRANCISCA PATRI CAROLI, REGIS BRITANNIAE, ORATIO.
- 7. Commentatio Jesuæ Gabrielis.
- 8. CAROLI LUTHECII.
- 9. JON. ALBERTI THOMASII.
- 10. JON. LAMARCAE.
- 11. JON. LUTHECII.

# NOMINA PROFESSORUM,

QUI

(*Inde a die v. oct. MDCCCXVIII ad diem iv. oct. MDCCCXIX,)*

IN ACADEMIA GANDAVENSI  
DOCENDI MUNERE FUNCTI SUNT.

---

RECTOR MAGNIFICUS

FRANC. PETR. CASSEL.

ACADEMIÆ GRAPHIARIUS

GUIL. LEON. MAHNE.

---

PROFESSORES

*DISCIPLINARUM MATHEMATICAR. ET PHYSICARUM.*

F. P. CASSEL.  
C. F. HAUFF.  
J. G. GARNIER.

*PHILOSOPHIÆ THEORETICÆ ET LITERARUM.*

G. L. MAHNE.  
J. M. SCHRANT.  
L. V. RAOUL.  
D. G. MUNCHEN, *Professor Extraordinarius.*



*JURISPRUDENTIÆ.*

J. B. HELLEBAUT.

J. J. HAUS.

P. DE RYCKERE.

*ARTIS MEDICÆ.*

J. C. VAN ROTTERDAM.

J. L. KESTELOOT.

F. E. VERBEECK.

J. F. KLUYSKENS, *Prof. Extraord.*

---

*LECTORES.*

C. VAN COETSEM.

J. L. BODDAERT.

F. AUBERTIN.

---



# SERIES LECTIONUM,

QUÆ,

Q. D. O. M. B. V.,

IN ACADEMIA, QUAM GANDÆ,

*WILHELMUS I, Belgarum Rex, instituit,*

HABITÆ SUNT A DIE V OCTOBRIS MDCCCXVIII,

RECTORE MAGNIFICO,

FRANCISCO-PETRO CASSEL,

PHILOS. NATUR. ET MED. DOCT.

---

## ORDO DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM.

F.-P. CASSEL *Zoölogiam et Mineralogiam*, ut et *Anatomen comparatam*, diebus Lunæ, Martis et Jovis, horâ meridianâ, tradidit.

*Botanicam et Plantarum Physiologiam* diebus Lunæ, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris, horâ sextâ pomeridianâ, in Horto Academico exposuit.

C.-F. HAUFF diebus Lunæ, Mercurii et Veneris, horâ undecimâ *Physicam experimentalem*; diebus Martis, Jovis et Saturni, eâdem horâ, *Chymiam* tractavit.

J.-G. GARNIER diebus Mercurii, Jovis et Veneris, *Mathesin elementarem*, horâ quartâ post meridiem; diebus Lunæ et Martis, eâdem horâ, *Astronomiam physicam* docuit.

Præterea, pro Auditorum commodis, Professor J.-G. Garnier lectiones de *Astronomiâ Mathematicâ*, ut et de *Disciplinis Mathematicis*, vulgo *transcendentibus*, *Hydraulicæ* et *Hydrostaticæ* etiâ applicatis, habere in se recepit.

## ORDO PHILOSOPHIÆ THEORETICÆ ET LITERAR.

G.-L. MAHNE horâ octavâ antemeridianâ, diebus Lunæ, Martis et Mercurii, *Literas Latinas*, earumque *Historiam* explicavit. Tum, eâdem horâ, verum diebus Jovis, Veneris et Saturni *Antiquitates Romanas* tradidit.

Horâ nonâ, diebus Lunæ, Martis Jovis et Veneris, *Xenophontis Mem. Socr.* interpretatus est, et *Historiam Literarum Græcarum* docuit.

J.-M. SCHRANT horâ nonâ antemeridianâ, diebus Lunæ, Martis et Mercurii, *Historiam Criticam Literarum Belgicarum* exposuit.

Horâ tertiâ pomeridianâ, diebus Lunæ, Martis et Mercurii, *Præcepta Stili Belgici et Eloquentiæ* tradidit : at vero diebus Jovis et Veneris *Historiam Patriæ* explicavit.

L.-V. RAOUL horâ quartâ pomeridianâ, diebus Lunæ, Martis et Mercurii, *Selecta loca ex optimis Scriptoribus Gallicis cum exemplaribus Græcis et Latinis* comparavit.

Eâdem horâ, diebus Jovis, Veneris et Saturni, *Historiam Universalem* docuit.

Horâ quintâ, diebus Jovis, Veneris et Saturni, *Historiam Philosophiæ* tradere cœpit.

D.-C. MUNCHEN, *Prof. Extraord.*, horâ decimâ, diebus Lunæ, Martis et Mercurii, *Logices Præcepta* explicuit : sed diebus Jovis, Veneris et Saturni *Historiam Philosophiæ* tradere perrexit. Quâ finitâ, *Metaphysicam* interpretari cœpit.

## ORDO JURIDICUS.

J.-B. HELLEBAUT lectiones habuit de *Jure civili hodierno*, diebus Lunæ, Martis et Jovis, manè, horâ mediâ ante de-

cimam: *Praxim Juris* tractavit horâ quartâ pomeridianâ, diebus Lunæ, Martis et Jovis: ut et eâdem horâ *Jus Criminale*, diebus Mercurii et Veneris.

*Statisticam* docuit, diebus Mercurii, horâ tertiâ, et Veneris, horâ quartâ.

J.-J. HAUS *Encyclopædiam* et *Methodologiam Juris universi*, diebus Martis et Jovis, horâ tertiâ pomeridianâ; *Jus privatum, publicum* et *gentium naturale*, diebus Lunæ, Mercurii et Veneris horâ undecimâ antemeridianâ exposuit.

*Jus publicum Belgicum*, diebus Martis, Jovis et Saturni, horâ undecimâ, docuit; *Jus autem gentium Europæarum practicum*, iisdem diebus et horis tradidit, absoluto cursu de Jure publico Belgico.

De Historiâ gentium Europæarum politicâ prælectiones habuit, diebus et horis postea indicatis.

P. DE RYCKERE *Institutiones Juris* diebus Martis, Mercurii, et Jovis, mane, horâ octavâ, explicavit: idem *Pandectas* interpretatus est, iisdem diebus, horâ quartâ post meridiem.

### ORDO MEDICUS.

J.-C. VAN ROTTERDAM *Pathologiam* et *praxim Medicam* docuit, diebus Lunæ, Martis et Mercurii, horâ quintâ pomeridianâ; et de *Morbis acutis*, diebus Jovis et Veneris, eâdem horâ, scholas habuit. Porro *Dieteticam* tradere continuavit cum *Pathologiâ*.

Porro per menses autumnales, *Octobrem*, *Novembr.* et *Decembr.*, nec non vernos, *Aprilem* et *Majum* in Nosocomio Academico *Institutiones clinicas* quotidie moderatus est.

J.-L. KESTELOOT *Therapiam generalem, Materiam medicam*, secundum proprium conspectum Gandavi impressum: et

*Pharmaciam cum Methodo concinnandi formulas medicinales*, secundum Pharmacopœam Belgicam, docuit, diebus Lunæ, Martis et Mercurii, horâ quartâ pomeridianâ.

*Doctrinam de morbis chronicis* tradidit, diebus Jovis et Veneris, eâdem horâ.

Mensibus hibernis, *Januario*, *Februario* et *Martio*, nec non æstivis *Junio*, *Julio* et *Augusto*, usque ad ferias majores, *Institutionibus Clinicis* in Nosocomio Academico vacavit quotidie.

*Medicinam politicam et forensem* exposuit, diebus Lunæ et Mercurii, horâ secundâ.

F.-E. VERBEECK diebus Lunæ, Martis, Mercurii et Jovis, horâ mediâ nonâ matutinâ, *Anatomiam*, et iisdem diebus, horâ post meridiem tertiâ, *Physiologiam* exposuit.

J.-F. KLUYSKENS, *Prof. Extraord. Chirurgiæ Institutiones* prælegit, diebus Lunæ, Martis, Mercurii et Jovis, horâ undecimâ; et iisdem diebus, horâ nonâ ante meridiem, *Chirurgiæ clinicæ* et *Operationibus chirurgicis* vacavit. *Artem obstetriciam*, diebus Lunæ et Jovis, horâ quartâ post meridiem, docuit.

C. VAN COETSEM, *Med. Doct. et Lect.*, Tabularum clinicarum in Nosocomio faciendarum et servandarum curam, sub auspiciis Professorum, peregit.

J.-L. BODDAERT, *Med. Doct.*, Cadaverum dissectionibus, ab ipsis Anatomîæ Professoris lectiones audientibus juvenibus in amphitheatro instituendis, præfuit.

FRANCISC. AUBERTIN picturam linearem et diaglyphicam, diebus et horis pro studiosorum commodis constituendis, docere in se recepit.

# SERIES LECTIONUM,

QUE,

Q. D. O. M. B. V.,

## IN ACADEMIA GANDAVENSIS

HABITÆ SUNT,

AB INITIO MENSIS MARTII AD MEDIUM USQUE AUGUSTI. MDCCCXIX,

RECTORE MAGNIFICO,

FRANCISCO-PETRO CASSEL,

PHILOS. NATUR. ET MED. DOCT.

---

### ORDO MATHEMATICORUM ET PHYSICORUM.

F.-P. CASSEL, *Zoölogiam et Mineralogiam*, ut et *Anatomen comparatam*, diebus Lunæ, Martis et Jovis, horâ meridianâ, tradidit.

*Botanicam et Plantarum Physiologiam* diebus Lunæ, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris, horâ sextâ pomeridianâ, in Horto Academico exposuit.

C.-F. HAUFF diebus Lunæ, Mercurii et Veneris, horâ undecimâ *Physicam experimentalem*; diebus Martis, Jovis et Saturni, eâdem horâ, *Chymiam* tractavit.

J.-G. GARNIER diebus Mercurii, Jovis et Veneris, *Mathesin elementarem*, horâ secundâ post meridiem; diebus Lunæ et Martis, eâdem horâ, *Astronomiam physicam* docuit.

Præterea, pro Auditorum commodis, Professor J.-G. Garnier lectiones de *Astronomiâ Mathematicâ*, ut et de *Disciplinis Mathematicis*, vulgo *transcendentibus*, *Hydraulicæ* et *Hydrostaticæ* etiam applicatis, habere in se recepit.

## ORDO PHILOSOPHORUM ET LITERATORUM.

G.-L. MAHNE horâ octavâ antemeridianâ, diebus Lunæ, Martis et Mercurii, *Literas Latinas*, earumque *Historiam* explicavit. Tum, eâdem horâ, diebus Jovis, Veneris et Saturni *Antiquitates Romanas* tradidit.

Horâ nonâ, diebus Lunæ, Martis Jovis et Veneris, *Xenophontis Mem. Socr.* interpretatus est, et *Historiam Literarum Græcarum* docuit.

J.-M. SCHRANT horâ tertiâ pomeridianâ, diebus Lunæ, Martis et Mercurii, *Præcepta Stili Belgici et Eloquentiæ* tradidit: at vero diebus Jovis et Veneris *Historiam Patriæ* explicavit.

L.-V. RAOUL horâ decimâ, diebus Lunæ, Martis et Mercurii, in locum defuncti Professoris, *D.-C. Munchen*, scholas *Logicas* absolvit.

Horâ quartâ pomeridianâ, diebus Lunæ, Martis et Mercurii, *Selecta loca ex optimis Scriptoribus Gallicis cum exemplaribus Græcis et Latinis* comparavit.

Eâdem horâ, diebus Jovis, Veneris et Saturni, *Historiam Universalem* docuit.

Horâ quintâ, diebus Jovis, Veneris et Saturni, *Historiam Philosophiæ* tradere perrexit.

## ORDO JURISCONSULTORUM.

J.-B. HELLEBAUT lectiones habuit de *Jure civili hodierno*, diebus Lunæ, Martis et Jovis, horâ nonâ: *Praxin Juris* tractavit horâ quintâ pomeridianâ, diebus Lunæ, Martis et Jovis. *Statisticam* docuit, diebus Mercurii et Veneris, horâ quintâ.

J.-J. HAUS *Jus Naturæ et Gentium* docuit die Lunæ, horâ decimâ; at diebus Mercurii et Veneris, horâ septimâ matutinâ.

*Jus Criminale* explicuit diebus Lunæ, Martis et Jovis, horâ septimâ matutinâ.

P. DE RYCKERE *Institutiones Juris* diebus Lunæ, Martis, Mercurii et Jovis, horâ octavâ, explicuit: idem *Pandectis* interpretatus est, iisdem diebus, horâ quartâ post meridiem.

### ORDO MEDICORUM.

J.-C. VAN ROTTERDAM *Pathologiam specialem, Praxim medicam, Therapiam morborum acutorum* docuit, diebus Lunæ, Martis et Mercurii, horâ quintâ pomeridianâ. Porto in Nosocomio Academico *Institutiones clinicas* ab initio ad finem scholarum moderatus est.

J.-L. KESTELOOT *Therapiam generalem, Materiam medicam*, secundum proprium conspectum Gandavi impressum: et *Pharmaciam cum Methodo concinnandi formulas medicinales*, juxta *Pharmacopœam Belgicam*, docuit, diebus Lunæ, Martis et Mercurii, horâ undecimâ.

*Therapiam specialem morborum chronicorum et Diæticam* tradidit, diebus Jovis, Veneris et Saturni, horâ undecimâ.

*Medicinam denique legalem et politicam*, diebus Martis et Mercurii, horâ secundâ, exposuit.

F.-E. VERBEECK diebus Lunæ, Martis, Mercurii et Jovis, horâ secundâ, *Anatomiam*, et iisdem diebus, horâ tertiâ, *Physiologiam* exposuit.

J.-F. KLUYSKENS, *Prof. Extraord. Chirurgiæ clinicæ* vacavit, diebus Lunæ, Martis, Mercurii et Jovis, horâ octavâ. Tum *Chirurgiæ Institutiones* prælegit, iisdem diebus, horâ

nonâ. Et denique *Artem obstetriciam*, diebus Veneris et Saturni, horâ octavâ, docuit. — Quæ omnes scholæ in Nosocomio Academico habitæ sunt.

C. VAN COETSEM, *Med. Doct. et Lect.*, Tabularum clinicarum in Nosocomio faciendarum et servandarum curam, sub auspiciis V. Clar. *Van Rotterdam*, peregit.

Idem principia *Pathologiæ generalis*, diebus Jovis et Veneris, horâ quintâ, exposuit.

J.-L. BODDAERT, *Med. Doct.*, Cadaverum dissectionibus, ab ipsis Anatomix Professoris lectiones audientibus juvenibus in amphitheatro instituendis, præfuit.

FRANCISC. AUBERTIN picturam linearem et diaglyphicam, diebus et horis pro studiosorum commodis constituendis, docere in se recepit.



# ACTA IN SENATU

ET

## ACADEMIA

D. IV. OCTOBRIS

M. DCCC. XIX.

Quum Rector et Assessores in conventum Curatorum venissent, horum præses Inspectori mandabat, ut nomina Professorum recitaret, quos ipsi ex Leg. Acad. § 196 *Assessores* in proximum annum Rectori adjunxissent. Horum igitur nomina erant :

Ex Ordine Philos. Theor. et Lit.	J. M. SCHRANT.
Ex Ordine Juridico,	J. B. HELLEBAUT.
Ex Ordine Medico,	J. C. VAN ROTTERDAM.

Deinde Curatores una cum Rectore et Assessoribus in eodem illo conventu e senario Candidatorum numero *Actuarium* elegerunt, Prof. *Guil. Leonardum Mahne*. Hoc peracto, senatus amplissimus habitus est, in quo Viri Clar. *Joh.*

*Baptista Hellebaut*, ab augustissimo Rege a. d. XIX Julii Rector designatus, et *Guil. Leonardus Mahne*, iterum Actuarius electus, secundum Leg. Acad. § 186 jusjurandum dederunt.

Denique vero Rector Magnificus *Franciscus Petrus Cassel*, Vir Cl., in majori auditorio Orationem habuit, et victores juvenes præmiis Regiâ munificentia acceptis ornavit, quum judicia *Facultatum* deinceps ab Actuario prælecta essent. Finitâ hac solennitate, novus Rector decessorem allocutus est, eique cum suo, tum Collegarum nomine gratias egit pro sedulâ curâ, quâ res Academicas anno præterito pertractasset, seque Senatui Amplissimo commendavit.

---

# PROGRAMMA

## CERTAMINIS LITERARII,

RECTORE ET SENATU ACADEMIÆ GANDAVENSIS,

MENSE OCTOBRI A. M. DCCC. XIX,

INDICTI.

---

**EX** Augustissimi Regis decreto (*d. xxv Sept. MDCCCXVI, N. 65, a §. 140 ad §. 148*), a Rectore et Senatu Academiæ Gandavensis proponuntur omnibus Academiarum Belgicarum civibus hæ quæstiones:

**AB ORDINE JURIDICO.**

*Queritur Capitis de divortijs et repudijs accurata explicatio, e qua appareat, quid principes orbis terrarum populi et olim de hac materia statuerint, et hodie statuant, ac num quid adhuc statuendum supersit.*

AB ORDINE MEDICORUM.

*Quandoquidem variarum partium organicarum phlegmasiæ, ratione diversæ illarum structuræ et vitalitatis modi, diversa offerunt symptomata, ad praxin scitu summe necessaria; quæritur,*

1° *Recensio et comparatio præcipuarum doctrinarum, quibus pathologi, inprimis nuperrimi, phlegmasiæ theoriam exposuerunt, et quænam illarum præ reliquis probabilior habenda sit.*

2° *Descriptio phænomenum, quæ variis diversæ naturæ partibus organicis inflammatis obveniunt.*

AB ORDINE PHILOSOPHIÆ THEORETICÆ  
ET LITERARUM HUMANIORUM.

I.

*Quænam fuit apud Romanos, ab initio reipublicæ usque ad Justinianum imperatorem, educandorum et instituendorum puerorum disciplina, et quasnam præcipuâs subiit illa pro temporum diversitate mutationes?*

II.

*Quænam leges et institutiones in universas Belgicas provincias introductæ sunt inde a Carolo Magno usque ab abdicationem Caroli Quinti, et quam habuerunt illæ vim in morum, artium et doctrinarum disciplinam?*

AB ORDINE DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM  
ET PHYSICARUM.

I.

Supponantur in una eodemque plano tres circuli sibi invicem externi, quorum centra sint  $O$ ,  $O'$  et  $O''$ , quorumque radii  $R$ ,  $R'$  et  $R''$ : supponantur etiam tangentes exteriores tum ad circulos  $O$  et  $O'$ , quæ priorem  $O$  ad puncta  $T$  et  $T'$ , posteriorem verò  $O'$  ad  $t$  et  $t'$  contingant, tum etiam ad circulos  $O$  et  $O''$ , quæ priorem  $O$  ad  $T''$  et  $T'''$ , alterum verò  $O''$  ad  $t''$  et  $t'''$  contingant: istæ tangentes determinabunt in circulo  $O$  duas chordas contactûs  $TT'$  et  $T''T'''$ , quæ concurrent in puncto  $M$  et in utroque circulo  $O'$  et  $O''$  chordas contactûs  $tt'$  et  $t''t'''$ , quæ productæ in  $N$  concurrent. Si tunc ducitur recta  $NM$ , demonstrandum erit puncta intersectionis  $P$  et  $Q$  hujus rectæ  $NM$  cum circulo  $O$  esse puncta contactûs duorum circulorum, quorum alter tres datos concavitate contingit, alter vero convexitate. Querenda etiam erunt duo reliqua puncta contactûs utriusque circuli tangenti.

Deniquè hujus constructionis modificationes sedulò investigandæ sunt, dum datorum circulorum tum centrorum positio, tum radiorum magnitudo, variabilis supponitur.

Constructiones è legitimis Geometriæ elementaris principiis deducantur necesse est.

II.

*Quæritur acidi rosei diligentissima analysis, et cum analysi acidi lithici comparatio.*

III.

*Quæritur, quis sit usus, qualisque dignitas anatomes comparatæ in stabiliendis regni animalium divisionibus?*

---

Commentationes, Latino tantum sermone conficiendæ, et alia, quam ipsorum auctorum, manu describendæ, ante diem xv Junii A. M. DCCC. XX, auctorum sumtibus, mittantur ad Academiæ Actuarium. Præterea singulis commentationibus inscribatur lemma, cui addatur schedula obsignata, Auctorum nomina continens, inque exteriori parte eodem lemmate conspicua. — Præmia vero, e Regia munificentia victoribus decreta, distribuentur primo die Lunæ mensis Octobris A. M. DCCC. XX.

---

---

SERIES  
DISSERTATIONUM INAUGURALIUM,  
IN  
ACADEMIA GANDAVENSI  
DEFENSARUM,

*Inde a die V Oct. MDCCCXVIII ad diem XIV Aug. MDCCCXIX.*

---

D. XXIV Oct. MDCCCXVIII, DISSERTATIO *de Apoplexia sic dicta sanguinea*, publice defensa à PETRO STEYAERT, *Capricano*, pro Doctoratu Medicinæ.

D. XXVIII Oct. MDCCCXVIII, DISSERTATIO *de Angina Pectoris*, publice defensa a JOHANNE BAPTISTA PERSY, *Aerschotano*, pro Doctoratu Medicinæ.

D. VII Nov. MDCCCXVIII, DISSERTATIO *de Peritonitide puerperali*, publice defensa a HENRICO FRANCISCO PEETERS, *ex Lichtaert*, pro Doctoratu Medicinæ.

D. IX Nov. MDCCCXVIII, DISSERTATIO *de Aquæ simplicis qualitate, usu medico interno et externo*, privatim defensa a DAMIANO BOSTEELS, *ex Bruggenhout*, pro Doctoratu Medicinæ.

D. XVII Febr. MDCCCXIX, SPECIMEN *de Legum retroactione*, publice defensum ab EUCHERIO BRICHÉ, *Aldenardensi*, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni.

D. XIII MARTII MDCCCXIX, SPECIMEN *de Juris et Facti ignorantia*, publice defensum a FRANCISCO MARIA SERRARIS, *Locrensi*, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni.

D. III Aprilis MDCCCXIX, DISSERTATIO, *Num ab alteratione sanguinis, et speciatim a prava in pulmonibus mutatione adynamia typhoïdea oriatur?* publice defensa a DOMINICO DE LA HAYE, *Brugensi*, pro Doctoratu Medicinæ.

D. XVII Aprilis MDCCCXIX, SPECIMEN *de Domicilio*, privatim defensum ab ALEXANDRO VAN DER BURCH, *Bruxellensi*, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni.

D. XII Maji MDCCCXIX, DISSERTATIO *de Angina Tracheali Infantulorum*, publice defensa a CAROLO LUDOVICO FRANSMAN, *Ninoviensi*, pro Doctoratu Medicinæ.

D. XXX Junii MDCCCXIX, DISSERTATIO *de Febris nostratibus paludosis*, publice defensa a LUDOVICO BERNAEYGE, *ex pago Scti Cornelii*, pro Doctoratu Medicinæ.

D. III Julii MDCCCXIX, DISSERTATIO PHILOSOPHICO-MEDICA *de ratiocinio in rebus Medicis*, publice defensa a JUDOCO FRANCISCO DE HOON, *Gandavensi*, pro Doctoratu Medicinæ.

D. XXIV Julii MDCCCXIX, DISSERTATIO MATHEMATICO-INAUGURALIS *de quibusdam locis Geometricis, nec non de curva focali*, publice defensa ab ADOLPHO QUETELET, *Gandavensi*, pro gradu Magisterii et Doctoratûs in Math. et Philos. Nat.

D. XXXI Julii MDCCCXIX, DISSERTATIO PATHOLOGICO-MEDICA INAUGURALIS *de exhalationibus Sanguineis in genere*, publice defensa a JOSEPHO GUISLAIN, *Gandavensi*, pro Doctoratu Medicinæ.

D. VII Aug. MDCCCXIX, DISSERTATIO INAUGURALIS-JURIDICA *de Absentibus secundum jus civile hodiernum*, publice defensa a RENATO JOSEPHO DE RASSE, *Tornacensi*, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni.

D. XIV. Aug. MDCCCXIX, SPECIMEN INAUGURALE JURIDICUM *de Jurium Civilium ademptione edicta sententia secundum jus hodiernum*, publice defensum a JOSEPHO DECAE, *Furnensi*, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni.



FRANCISCI PETRI CASSEL

ORATIO,

DE

UTILITATE STUDII HISTORIÆ SCIENTIARUM PHYSICARUM,

HABITA GANDÆ,

IV. OCTOBRIS M. DCCC. XIX.

CUM

MAGISTRATUM ACADEMICUM

DEPONERET.

FRANCIS PETRI CASSEL

# ORATIO

DE

UTILITATE SECUNDAE HISTORICAE SCIENTIAE IN THEOLOGICA

UNIVERSITATE GAVINAE

IV. OCTOBRES M. DCCC. XIX.

CAUSA

MAGISTRATUS ACADEMICI

DEPOSITUM

---

NOBILISSIMI CURATORES!

CLARISSIMI COLLEGÆ!

DILECTISSIMI COMMILITONES!

**D**ies Academici, ut ille quem hodie celebramus, sereni sunt et festivi dies: grata recordatio præteritorum in mentem venit, surgit spes hilaris futurorum. Alter enim feliciter jam effluxit annus ab illa die, qua ab Augustissimo Rege nostro hujus læte succrescentis Academiæ fundamenta jacta fuere: et, si a præteritis ad futura auspicandum, certe omnia, quæ hucusque observare licuit, faustissimum rerum nostrarum præsagiunt successum. Ita mihi, de hisce rebus Academicis et de illarum origine cogitanti, origines et fata scientiarum animo sese obtulere, et vidi hinc quædam desumi posse, quæ forsitan non sine fructu a commilitonibus audirentur. Conabor enim, cum Magistratum Academicum deponens hanc publicam dicendi occasionem sum nactus, evincere, *quæ sit utilitas studii historiæ scientiarum physicarum, et quantum valeat illud studium ad ediscendas hasmet ipsas scientias, ad pellendas præjudicatas, illis nociyas, opiniones, et hinc ad adaugendum philosophiæ naturalis dominium.* Et quæ hic de scientiarum naturalium historia demonstrare potero, valebunt quoque generatim de omnium scientiarum, imo etiam de historiæ artium utilitate. Scientiæ enim verum investigant, artes pulchrum quærunt. Veritas autem anima pulchri. Musæ cognatione sororia junguntur, et ingratum is in se opus susciperet, qui sacrum rumpere tentaret

circulum, et affinitatem et commune scientiarum vinculum ita inficiari vellet, ut unam illarum alteram unquam juvare posse negaret. Quamvis primo intuitur, cognitio monumentorum antiquitatis superstitionum admodum remota appareat a studio historiae naturalis, tamen ex archæologia ipsa desumi potest argumentum, quo refellitur vetus et a quibusdam recentioribus ceteroquin optime meritis viris fota opinio, species vegetabilium posse labentibus seculis mutari et alias in species transire. Sed flores et fructus *Nymphaeæ* illius, quæ vocatur *Lotus*, conspiciendi in antiquissimis Deæ *Isidis* monumentis, sed folia *Acanthi spinosi* capitella columnarum Corinthiacarum cingentia, ejusdem sunt formæ, quam præbent partes harum plantarum nostris diebus crescentium, et typus per artem conservatus docet, non potuisse elapsis seculis configurationes has vegetabiles immutari, quæ contra integras sese et incolumes, propagatione non interrupta, sustinuerunt.

Nexum autem illum, qui historiae naturali cum philosophia intercedit, nemo melius indicavit illo, qui et primus veras ad cognoscendam naturam reclusit vias, pater philosophiæ naturalis recentioris, *Franciscus Baco de Verulamio*, dum historiam naturalem logicam practicam esse dixit, antequam *Linnaeus* convenientiam universalem differentiasque particulares summo cum successu ad ideas, genera et species corporum naturalium stabilientes adhibuisset, et via facti demonstravisset, philosophicam rerum cognitionem mnemonicam rerum esse optimam.

Scientiarum illud commune vinculum nunc melius quam olim agnoscendum. Quo magis enim excoluntur scientiæ, eò numerosiora necessario evadunt mutui contactus puncta: et quamvis affinitates naturales plantarum jam in structura seminis, embryonis vegetabilis, sunt investigandæ; pulchrius tamen in evolutis

et florentibus herbis elucet. Ita et scientiarum physicarum affinitas primis jam temporibus agnita, nunc multo magis arctata evasit, et majori exemplorum numero illustranda. Matheseos, chemiæ et physices vincula in oryctognosia prodeunt recentiori; geognosicæ et zoologiæ nexum inquisitiones docent *Cuvieranæ*, neque opus est, ut exponam, quo modo *Keplerus* primus dioptricam ad visionis, *Borellius* staticam ad motus muscularis, et *Lavoisierus* chemiam ad respirationis negotium explicandum adhibuerint. Sic historia affinitatem scientiarum per exempla demonstrat: et, si auctoritatibus fulcienda foret illa, quam emittimus, idea circa hujus studii historici dignitatem, duos omni exceptione majores testes in partes vocare liceret, *Tournefortium* nempe et *Linnaeum*. Nemo illo seculo decimo septimo, nemo hoc decimo octavo magis promovit et auxit botanicam. Ambo quoque sese dignos monstravere amabilis scientiæ historicos, dignissimi nunc ipsi, quos celebret historia scientiæ, quæ et in hoc illorum labore differentiam ingenii virorum immortalium invenire potest. *Tournefortius* enim felicior fuit in conspiciendis rerum similitudinibus, *Linnaeus* in observandis earum differentiis. Ita prior sermone suavi, fusoque, chronologicum ordinem sequens, botanicos enumerat, illorumque merita pangit, tanquam si unam tantum familiam, per lapsus seculorum continuatam, efficerent, dum alter botanicos, ut plantas, dividit in classes, genera et species, sermone concinno et stricto differentiam ingenii illorum indicans.

Quamvis encyclopædia et methodologia scientiarum doceant illarum numero, successioni et affinitati nil arbitrarii inesse, et a ratione posse desumi præcepta; tamen utile et gratum videtur contemplari in historia exempla, et observare, quomodo per unius viri sapientiam novus exurgere cognitionum ordo, seriora anticipari detecta, et diuturnæ per tot secula moræ removeri po-

tuerint. Ita scripta et merita jam laudati *Verulamii* recolentes, illum talem esse videmus, qui primus veros indagacionis naturæ posuerit canones, dogmaticæ methodo et empiricæ justum assignans valorem. Harum vices alternandas esse docuit, et optimas esse illas ideas generales, quæ ad observationes deducant: et optimas esse vicissim illas observationes, quæ ideis generalibus viam sternant muniantque. Ita ingeniosissimo exemplo, empiricos formicis comparat, quæ congerunt tantum et utuntur, dogmaticos araneis, quæ telas ex se conficiunt, dum apum rationem mediam esse statuit, quæ materiam ex floribus horti et agri eliciat, sed tamen eam propria facultate vertat et digerat. Quantum autem via regia, quam ille scrutatoribus naturæ aperuit, scientiæ physicæ profecerit, vix opus est ut dicam. Quantum enim ab hodierno apparatu electrico distat cognitio antiquorum de succini electricitate! Quantum interest inter engyoscopii et telescopii præstantiam et illam observationem, qua docet Seneca, corpora per spheram vitream aspicientibus majora apparere! Quanto majus et amplius est systema Copernici, quam sententia scholæ Pythagoreæ, quæ Solem esse in medio immobilem, Terramque moveri contendit! Nec licuit antiquis, ut seculo nostro, computare circuitus siderum æstusque maris, metiri lucis velocitatem, adire ope cognitio num physico - mathematicarum polum arcticum et antarcticum, dissecare crystallos, dissolvere aëris, aquæ, terrarumque partes, ponere principia distributionis methodicæ corporum naturalium, perpetrare tot transplantationes vegetabilium et animalium ab una ad alteram cœli plagam. Imperium hominis in naturam, quæ facultas ad exquisitissimas a divinitate illi concessas spectat, nostris temporibus mirifice amplificatum. Quod præcipue ex illis apparet indagacionibus, quæ methodo rationali institutæ ad detecta et inventa operum utilium conducunt, et quandoque illa anticipant,

Ita ex refractione, quæ major in aqua et adamante, quam densitatis ratio, *Newtonus* conclusit, substantias has principium continere inflammabile, antequam id *Lavoisieri* experimentis esset demonstratum. Ita *Eulerus* e constructione oculi refractionem achromaticam fieri posse judicavit, antequam *Dollond* instrumenta dioptrica, prismatis colores non producentia, confecisset. Ita *Renatus Justus Haüy* ex identitate formæ primitivæ Berylli et Smaragdi identitatem compositionis harum gemmarum prius conjectavit, quam suam *Vauquelin* instituisset analysin. Quæ exempla methodi rationalis e scientiarum historia petita sunt talia, ut quoque doceant, quam arcto inter se nexu et affinitate scientiæ physicæ conjungantur. Ita prior conclusio physices vinculum et chemiæ, secunda relationem physices ad physiologiam ostendit, et tertia oryctognosiæ et chemiæ nexum evincit. Similiter videmus, distributionem methodicam corporum naturalium experimenti vires quibusdam in casibus tenere posse, imo quandoque supervacanea reddere experimenta. Nam dum in hortis botanicis, quæ promiscue crescunt in agris, sylvis et montibus, plantæ secundum genera et species collocantur, sponte prodit, non posse, ut jam prius dictum, in se invicem transire congeneres, quamvis summa in proximitate, florentes species. Neque adhibuissent vana theoria falsisque observationibus delusi antiquiores medici Sapphirum, ut potentissimum contra melancholiam remedium, si a distributione fossilium methodica edocti fuissent, cœruleam hanc et pellucidam gemmam, in essentialibus characteribus, in structura, compositione, gravitate specifica et duritie non differre a Smiride gregario lapide. Nec foret ab illis gravata materies medica tam infandâ plantarum efficacitate carentium faragine, si, ducti methodi naturalis normis, principia critica vera ministrantibus, eas examinassent. Exstant e contrario exempla, bo-

tanicos quosdam, hac cognitione fretos, feliciter in remotis regionibus plantas antea incognitas ut succedanea adhibuisse remedia, si efficacibus cognitisque characteribus familiæ et congeniali facie similes sese monstrassent. Quæ detecta, affinitatem inter scientias medicas et historiam naturalem stabilientia, quoque immortalis ille *Verulamius* anticipavit, dum effatus est, *formam naturæ alicujus esse talem, ut, illa posita, natura data modo infallibili sequatur, et idcirco e formarum indagatione sequi contemplationem veram et operationem liberam.*

Possemus quidem docere observationes et inde enata systemata, quin autorum fieret mentio, sed prævia commemoratione originis fatique inventionum expositio vividiores assumit colores. Historia adhibita magnæ evocantur umbræ: apparent defuncti scientiæ heroes: cognoscitur *Buffoni* excelsa anima: clara *Linnæi* mens: sublimis *Bernardi Jussievi* simplicitas: indefessus per quadraginta annos abstrusissimi laboris *Josephi Gärtneri* vigor. Effulget æquabilis et intaminata tot illustrium naturæ contemplatorum vita, inconcussus, neque ab infelicibus antecessorum fati perterritus, peregrinatorum animus, qui incensi naturæ cognoscendæ desiderio remotas periculorumque plenas adire regiones, vel ad summitates nubium ausi sunt adscendere. Edocemur, quantum possit in producendis magnis ingeniis natura, et quantum valeant in detegendis naturæ legibus strenui ingeniorum labores. Infatigabilis enim et admiranda naturæ scrutatorum patientia alitur et juvatur spe certa inventionis legum, quæ ratio sola eruere non posset, semel per observationem detectæ autem rationi summopere satisfaciant. Naturæ enim opera semper sunt ejusmodi, ut nullam reprehensioni ansam præbeant, et ut, illâ legum constantiâ, qua æternam divini rerum autoris immutabilitatem prædicant, illâque structuræ concinnitate, qua



infinitam ejus manifestant sapientiam, summam mentis humanæ eliciant admirationem. Cognoscitur æternus geometra in planetarum orbitis æque atque in structura crystallorum, in maximis ut in minimis. Florescentia delectatus animus illam admiratur architectonicam, quæ amœnitatem constantiæ jungens, primo elegantem construit primordiale formam, dein coloris splendore æquabilem condecorat structuram, quæ actione non interrupta ad fastigium perfectionis enititur, dum simul opere hoc nobiliori propagandæ speciei providetur. Nam quas prius elaborat natura partes conservationi individui servientes, nec symmetria formæ, nec vivacitate coloris adeo insignes sunt. Minimorum quoque animalium compages talis est, ut abstrusissimas physicæ, mechanicæ et chemiæ cognitiones illorum structura monstret, dum insuper cœlestius aliquid remanet, vitale principium nempe, Archæus ille conservans, propagans et reparans. Sic spe certa fretus, viliorum et glebæ addictorum animalium æque ac perfectiorum structuram æternæ sapientiæ testimonia esse reddituram, insectorum anatomen aggressus est *Johannes Swammerdam*, et per continuos et felicissimo successu coronatos labores metamorphosin illorum evolutionem esse demonstravit, ita ut stupenda industria et dexteritate coram attonito Magno Hetruriæ Duce ex eruca papilionem explicaret. Sed corporis vires prius defecere ejus animo: et quamvis amici et medici *Ruysch* et *Schrader* suaderent et flagitarent, ut, vacillanti consulens sanitati, quiete frueretur, tamen ab illo non impetrare potuere, ut dilectis occupationibus, quæ quoque usque ad mortem ejus præmaturam non interruptæ fuere, renuntiaret. Sic et non est jubendum, ut eruca bombycis nere desistat. Pretiosa fila secreto in otio evolvit e visceribus suis, nec prius cessat, quam in suo sese incluserit tumulto. Sed justo in honore nobiles ejus manent

labores, dum ipsa, redeunte vere, in valle solari alas prius involutas explicat, beatiorum inchoatura vitam (1).

Eadem fiducia inveniendi; dulcissimam rerum menti lucem veri adjutus, jam memoratus *Josephus Gärtnerus* millena plantarum examinavit semina, et inconcussa invenit carpologiae fundamenta, distributionemque naturalem plantarum cum methodo e structura fructus desumpta congruentem esse demonstravit. Nec alio modo *Xaverius Bichat*, *Albertus Hallerus* et *Carolus Linnæus* in suis sese sustinere laboribus: et quamvis prima illorum conamina dente invido carperentur, tamen certitudo prosperi eventus, quo semper naturæ penetralia casta mente adeuntes lætantur, in hisce angustiis illos fulciebat et consolabatur. Sic et certe vox interna *Christophoro Columbo* dixit, Perge strenue navigator in tuo cursu, neque cura invidorum cavillatorum injurias, neque pavidorum nautarum querelas. Perge versus occidentem: ibi oculis tuis re ipsa novus ille se monstrabit orbis, quem esse jam tibi ab intellectu tuo clarum et demonstratum est. Rationi enim natura fœdere juncta sempiterno: quod prior pollicetur, præstabit altera (2).

Sed non tantum merita et virtutes virorum, in philosophia naturali illustrium, auxilio historiæ innotescunt, sed prodit et quantum polleant illorum præcepta et exempla in excitandis juniorum ingeniis. Ita videmus *Hermannum Boerhavius* fuisse *Halleri* et *Linnæi* præceptorem, qui ambo novas condidere scholas, quarum *Halleriana* functionum cognitionem experimentis, *Linnæana* formarum perspicentiam observationibus egregie promovit. Conspiciuntur ductu et auspiciis historiæ litterarum ætates, quæ se ante alias excellentiores et præstantiores exhibuerunt. Sic

---

(1) Lebrun ode à Buffon. Goethe Tasso Act. V.

(2) Schillers gedichte.

præcedentia secula supereminet decimi septimi ingeniosa felicitas; et dum in Germania *Keplerus* orbitas invenit planetarum, horumque distantiae rationes ad periodorum tempora, Batavus *Huyghens* horologium oscillatorium detexit, Anglus *Harvey* sanguinis circulum, Italus *Torricellius* barometrum, et Gallus *Cartesius* propriam philosophandi methodum introduxit, quæ, quamvis quorundam errorum parens, tamen scientiis physicis novam impertivit vitam (1). Et ut in remotioribus seculis a *Socrate* ad *Platonem*, a *Platone* ad *Aristotelem*, sic in recentioribus a *Galilæo* ad *Keplerum*, a *Keplero* ad *Newtonum*, et ab hoc usque ad nostra tempora haud interrupta conspicitur illustrium philosophorum phalanx. Secula autem cum seculis comparando humani ipsius ingenii historia enascitur: et si observatum plantæ alicujus incrementum, ejusque interrupta non versus certum finem evolutio, mirandum cunctisque gratum præbet spectaculum; quanto majori gaudio afficimur, cum progressus intelligentiæ humanæ versus perfectionem illam, quæ posita est in veritatis cognitione, mente nostra complexamur?

Cujus historiæ notitia quoque non parum confert ad evellendas illas præjudicatas opiniones, quæ scientiarum progressus remorantur. Huc spectat illorum sententia, quorum animos antiquitatis reverentia adeo perstrinxit et incantavit, ut præcedentia secula nostræ ætati in quolibet literarum certamine palmam præripuisse contendant. Monstravimus illam sententiam de rerum naturalium cognitione nullo pacto valere posse. Quin imò retardatus est illius progressus nimia antiquitatis reverentia. Hujus rei exemplum ex historia botanices desumendum. Postquam enim coryphæi Italæ poëseos, *Dantes Allighierus* et *Franciscus Petrarcha*, primi docuerant scripta Græcorum et Romanorum auctorum

---

(1) Sprengel geschichte der botanik. B. II.

semper ante oculos esse habenda, tanquam exemplaria nobilioris inventionis et pulcherrimæ dictionis in poësi, summæ profunditatis in philosophia theoretica, et sublimioris simplicitatis in historia: botanici sunt arbitrati, antiquos idem in re herbaria assecutos fuisse fastigium, ita ut nil præter commentationem et dilucidationem *Theophrasti*, *Plinii* et *Dioscoridis* operum agendum superesset, in quibus non artis principia tantum, sed et descriptionem Germaniæ et Galliæ plantarum quærebant. Nec de modo docendi scientias naturales valet præeminentia seculorum præteritorum. Olim enim et in schola pythagorica, et apud mediæ ætatis chemicos, a *Basilio Valentino*, qui antimonium, usque ad Hamburgensem *Brandt*, qui phosphorum detexit, celabantur doctrinæ, et non nisi adeptis tradebantur. Sedulo et tanquam nocivum ignem custodiebat suum quod utile, quod novum aliquis crederet detectum, et non nisi verbis mysticis et vix comprehendendis de illo sermonem faciebat. Nostra autem ætas a secretorum et mysteriousum et arcanorum genio abhorret. Panduntur omnibus atria scientiæ, nec fas esse judicatur nova inventa et detecta invido celari modo. Quin imo agyrtæ nunc et vaniloquentes, qui talia peragunt, habentur ab omnibus, et non tantum scientia, sed et fides illorum in dubium vocatur. Hodiernus autem docendi modus, qui ideas et detecta, non ut possessionem privatam, sed ut commune bonum considerat, et scientia dignior et philanthropiæ magis conveniens est. Et certe nil infausti a veri cognitione provenire potest; non enim scientia timenda, sed ignorantia: non in luce, sed in tenebris, pericula.

Historia, justitia quoque est distribuens: hinc merito cuivis debitum assignat honorem: et ut nimiam erga antecessores reverentiam tollit, ita e contrario iniquum simul refellit vituperium. Sic, docet multa quidem, sed non omnia fabulis adnumeranda esse,

quæ in scriptis antiquorum circa scientias naturales leguntur: inter quas tamen longum per tempus, et nostris adhuc diebus, habita fuit narratio, lapides e cœlo cadere. Quam nunc observatio, diversis locis et temporibus instituta, extra omnem dubitationis aleam posuit. Quod serius forsitan et de aliis illorum observationibus, nunc contemptui habitis, aut oblivioni traditis, valebit. Vindicat et historia memoriam virorum illustrium a contumeliis detrectatorum, neque illi *Keplerus* propter suas, circa vitam organicam planetarum, ideas, vel *Cartesius* propter suos vortices deridendus esse videtur. Monstrat enim erroneas illas opiniones processisse ex illo mentis humanæ conamine, per quod semper nimis ad generalia exilire gestit, non autem e particulari horum ingeniorum debilitate. Et sic videmus ex eodem fonte sæpius manasse et immortalia detecta, et errorum phantasmata, quæ idcirco non separatim consideranda sunt. Declinat et a polo boreali acus magnetica, sed fidem error non abstulit.

Ad præjudicatas opiniones spectat quoque sententia, scientias physicas, et historiam naturalem præcipue, meras esse curiositates, et oblectamento tantum inservire. Ita non raro fit, quod jam observavit *Linnaeus*, cum incognitum illis antea experimentum vel corpus naturale conspexerint, contemptum vultu præ se ferentes quærant, cui bono?

Huic quæstioni non semper extemplo satisfaciendum, quia utilitatem practicam hujus vel illius cognitionis physicæ non statim ante oculos ponere licet: et amplam *Linnaeus* conscripsit dissertationem, ut ejusmodi quæstionum futilitatem demonstraret. Natura enim propter se ipsam cognosci meretur, scientia sui juris est, et utile veritatem candide quærentibus insuper dabitur. Ducit usus ad cognitionem, ducit cognitio novos ad usus. Qui quamvis non semper statim pateant, serius tamen certo invenien-

tur. Non cogitavit ille, qui sectionum conicarum naturam scrutatus est, *Apollonius Pergæus*, parabolam esse viam projectilium, ellipsin orbitam sphaerarum coelestium, sed admirandis illarum curvarum proprietatibus unice delectabatur. Et qui primus antiquissimis temporibus a magnete ferrum attrahi observavit, nescius erat, inde acum confici posse, quæ Europæos navigatores in terras duceret, ubi novæ stellæ conspicerentur, novæ plantæ, novaque vigerent animalia. Sic cognitio cognitionem parit, lux lucem accendit, neque ullum est dubium, quin detecta physica statum humanæ societatis in melius mutare, et publicam augere possint felicitatem. Dixit *Linneus*, de usu historiæ naturalis loquens, quod si variis populis rite perspecta esset res herbaria, cinnamomum, myristica, caryophyllus aliaque aromata non essent unius gentis merces. Cujus rei exemplum dat coffea, quæ olim Arabiæ solius thesaurus fuit, et forsans mansisset, nisi docuisset *Vicentius*, horti Amstelodamensis præfectus, hanc plantam æque bene in Americanis Coloniis provenire posse, ac in Mokaë finibus. Metalla nova, in elapsis lustris detecta, adhibebat olim ad sanandos morbos medicus historiæ naturalis progressus in usus artis convertens, novas in his substantiis, vel saltem inter medias inventurus proprietates.

Sequitur ergo e præcedentibus considerationibus historicis, sanctum salutiferumque esse cogitationum genus, quod e naturæ contemplatione proficiscitur: et pollens hic proprio et suo valore sapientiæ sero maturantis fructus pulcherrimis simul locum dat applicationibus, et dum una ex parte commoda vitæ illustrat, ex altera felicitatem dat intellectualem. Dotatur vita humana novis operum utilium inventis, novisque copiis ornatur humana mens, cui cognitio legum naturæ, quæ sunt æternæ divini intellectus ideæ, quod arbori nobilioris est rami insitio. Fons hujus feli-

citatis perennis est. Nunquam absolvendus erit philosophiæ naturalis cyclus, et quamvis tot illustria ingenia creationem indagaverint, *tamen nunquam, ut Verulamii verbis utar, de natura tamquam de re explorata pronuntiandum erit.* Sed historia sæpius in illorum lucubrationibus germina ostendit nondum sat exculta, et indicat, qua ex parte cognitionum naturalium dominium augendum sit et amplificandum.

His moniti signis reges et principes illustriores, quorum perennem memoriam grata conservat historia, omni tempore sua potentia scientias juvare conati sunt. Quemadmodum olim Mediceï et Alphonsus Ferrariæ dux, Franciscus Galliæ rex, Guilielmus Nassovius, Academiæ Lugduno-Batavæ fundator, sic existit nostra ætate **GUILIELMUS PRIMUS, BELGARUM REX**, hujus Academiæ Gandensis conditor et stator, quam et hoc anno, solita munificentia sustentavit. Hinc musea physica et chemica : hinc supellex historiæ naturali inserviens, mirifice aucta fuere : hinc instauratum nosocomium Academicum : et jam in Horto Botanico omnia ita disposita, ut in altera ejus parte plantæ, secundum methodi naturalis normas, ordinari possint, quæ jam in priori secundum systematis sexualis canones dispositæ sunt. Lapidem palatii Academici principem nomine Augustissimi Regis posuit dignissimus Regiæ voluntatis promovendarum in hoc regno Literarum Minister, Vir Excellentissimus, *Reinhardus Antonius Falck*. Curatorum indefessa sollicitudo, Magistratus civiumque inclytæ hujus urbis insignis favor, civium Academicorum, tam docentium quam discentium felix concordia hoc anno firmavit decus illud, quod in priori faustissimis jam cœperat auspiciis, et omnia prorsus fausta et prospera cessissent, nisi mortem professoris philosophiæ *Dominici München* presbyteri lugeremus. Optimus hic et solertissimus vir usque ad extremum fere vitæ halitum profes-



sorio suo munere summa cum industria perfunctus est, et in ultimis vitæ momentis ita se gessit, itaque locutus est, ut monstraret, quomodo ipsis in mortis angustiis virtus hominem supra humana elevare queat, obiitque, munitus sacrosanctis fidei catholice nostræ sacramentis, alta in pace et magna cum animi constantia. Have anima pia!

Jam ad vos me converto, Commilitones egregii, et summa in animi lætitia, coram hac illustri concione, et in hoc solenni temporis momento idem de vobis prædico, quod et Augustissimo Regi dixi, quando illum cum Senatu Academico adire datum fuit: vos nempe paterna, quam in vos contulit, cura dignos vosmet exhibuisse. Vos enim rationalem statutis Academicis obtemperacionem, libertatem, libidinum effrenatam licentiam autem, servitutem esse judicastis. Sunt jam forsitan inter vos quidam, qui vindicabunt antiquam harum regionum in litteris gloriam, qui erunt nostræ ætati ita ornamento, ut olim *Johannes van Helmont*, *Andreas Vesalius*, *Rembertus Dodonæus*, et tot alii, quorum ingenia celebrantur, suo fuere seculo. Sunt jam inter vos quidam, qui ad abstrusiores a Senatu Academico propositas quæstiones responsa dedere erudita et sagacia, digna, quæ præmio, munificencia regia victoribus concessa, ornentur. Horum triumphum longiori sermone morari nolo, et accingo me ad ultimum et gratissimum Rectoris Academici officium.

Antequam hoc autem peragam, prius tibi Clarissime Collega, amicissime *Hellebaut*, ex decreto Regio fascis Academicos lubens lætusque trado, domumque hanc scientiæ ædificatam, regiumque ejus fundatorem æterno illi fonti, e quo scientia omnis et sapientia manat, precibus ardentissimis etiam atque etiam commendo.

DIXI.



ERRATA.

Pag. 4 lin. 9 <i>apum</i> ,	lege . . . . apem.
— 6 — 25 <i>quae</i> ,	— . . . . quas.
— 11 — 20 <i>Linnaeus</i> , <i>cum</i>	— <i>Linnæus</i> , ut ignari cum
— 12 — 18 <i>adhibebat</i> ,	— <i>adhibebit</i> .



REPLY

Dear Sir,  
I have the pleasure to acknowledge the receipt of your letter of the 14th inst. in relation to the above-mentioned matter.  
I am sorry to hear that you are unable to visit at this time, but I will be glad to discuss the matter with you at a later date.  
I am, Sir, very respectfully,  
Your obedient servant,  
J. H. [Name]

Ad pag. 14 sub fin.

JUDICIA FACULTATUM

DE

CONSCRIPTIS AD QUÆSTIONES PROPOSITAS

COMMENTATIONIBUS.

---

ORDO MEDICORUM.

In certamen descenderunt tres juvenes. Primus scriptioni hæc præposuit: *Ista quoque naturæ contemplatio, quamvis non faciat medicum, aptiorem tamen medicinæ reddit.* — Secundus Commentationi suæ addidit hoc: *En venit ex horto flosculus ille meo!* — Tertius loco lemmatis posuit *caduceum duobus serpentibus illigatum.*

E quibus Commentationibus ultima duabus prioribus præstare visa est. Post schedulæ aperturam apparuit, auctorem illius responsionis esse JOSEPHUM GUISLAIN, Gandavensem, Medicinæ Candidatum.

ORDO JURISCONSULTORUM.

Ad propositam ab *Ordine Jurisconsultorum* quæstionem, *Quænam sunt principia de portione legitima, tam secundum Jus Romanum, quam Hodiernum?* sex Commentationes acceptæ sunt. Harum una, cui adscriptum est lemma, *Civis uniuscujusque tutela lex est,* quamvis non omni diligentiae laude destituta sit, tamen historicam disputationis partem, et plura alia quæstionis puncta, ita bre-

viter exponit, ut auctor ea potius adjecisse, quam elaborasse videatur.

Plura habent, quae se commendent, tres aliae Dissertationes, his verbis insignitae:

*Decipimur specie recti.*

*Spes incerta futuri.*

*Alternant spesque timorque fidem.*

Sed has omnes superare visae sunt duae reliquae scriptiones, quarum alteri praefixa sunt haec verba: *Non semper feriet, quodcunque minabitur, arcus*: alteri additum hoc Ciceronis effatum, *Quae est igitur melior in hominum genere natura, etc.*

Facta igitur accurata illarum binarum comparatione, posterior digna reperta est, quae praemium reportaret. Atque apparuit, epistolam apertam, auctorem Dissertationis esse CAROLUM LUDOVICUM LIBBRECHT, *Ingelmunsterianum*.

## ORDO MATHEMATICORUM ET PHYSICORUM.

Hic ordo tres quaestiones proposuit. Ad quaestionem *Mathematicam* tres juvenes responderunt. Primus illorum usus est his verbis: *Homo factus est ad cognoscendam veritatem!* — Alter commentationi suae haec praefixit: *Non semper feriet, quodcunque minabitur, arcus.* — Et tertius denique adhibuit hanc tesseram: *Quae potui, feci, etc.* Ex his tribus vero Commentationibus optima judicata est illa, quam secundo loco indicavimus, et cujus auctor fuit JOHANNES ALEXIS TIMMERMANS, *Bruxellensis*.

Ad quaestionem *Chymicam* nulla responsio ordini reddita est.

Tertia quaestio fuit *Botanica*, ad quam unus e civibus Academicis tam accurate respondit, ut ipsius Commentatio, his verbis insignita, *Facies non omnibus una, Nec diversa tamen: qualem decet esse sororem*, praemio digna habita sit. Composita vero erat illa Commentatio a JOHANNE LE MAIRE, *Gandavensi*, Artium Math. et Phys. Cand.

## ORDO PHILOS. THEOR. ET LIT,

## QUÆSTIONES PROPOSITÆ.

## I.

*Omnis syllogismorum theoria ad calculum revocetur, et quidem ita, ut:*

(a) *Calculo combinatorio determinentur omnia, quae cogitari possunt; syllogismorum genera, omnesque eorum species, sive omnes figuræ et modi syllogismorum.*

(b) *Universe ostendatur, quomodo ex datis duabus cujuscunque vel figuræ vel modi præmissis, conclusio ope calculi logici inferri possit.*

(c) *Hujus theoriæ applicatio fiat ad seriem ratiociniorum dialogi Platonici, qui inscribitur Phædon, dilucide exponendam.*

Ad hanc Quæstionem nemo respondit.

## II.

*Invitantur Literarum Humaniorum studiosi juvenes, ut non modo argumentis ratione conclusis, verum etiam exemplis, ex Historia antiqua et recentiore petitis, ostendant, verissimum esse illud de Studiis Humanitatis præconium Ciceronis in Or. pro Arch. Poëta Cap. VIII. « Hæc studia adolescentiam alunt, senectutem oblectant, secundas res ornant, adversis perfugium et solatium præbent; delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur. »*

In hac quæstione explicanda quinque juvenes suas ingenii vires exercuerunt. — *Primæ* commentationi hæc Horatii verba præ-

fixa sunt : *Aequè pauperibus prodest*, etc. — Secundæ auctor adhibuit hanc tesseram , *Juventutem alunt*. — In tertiæ fronte leguntur hæc Anacharsidis , *Vixi sana mente præditi quaestiones proponunt*, etc. — Quarta insignita est epigrammate Owenii , cujus initium , *Omnia dispereunt*, etc. — Quinta denique hanc habet epigraphen , *Etiam et tentasse decorum*.

Jam autem , etsi e singulis Commentationibus satis apparet , ipsarum auctoribus neque voluntatem Latine scribendi , neque etiam studii et laboris assiduitatem defuisse ; tamen tales non sunt hæ Commentationes , quales in septentrionalibus patriæ nostræ Academiis in hoc Litterarum genere a provecioribus et Latini sermonis usu magis subactis juvenibus scribi solent. Verum , quum sana mens et ratio omnino suadere videantur , ut in his recens constitutis Academiis , quid res et tempora fieri jubeant , sedulo animadvertamus , et præterea iniquum sit , ob veteranorum majorem facultatem tirones præmio privare velle ; Professores hujus ordinis æquum censuerunt , unam ex quinque illis Commentationibus præmio ornari , ne alioquin nimia severitate studium et tironum laudabilia conamina initio potius deprimantur , quam quidem erigantur. Atque idcirco , factâ Commentationum inter se comparatione , quarto loco commemorata scriptio reliquis melior visa est. Et quum epistolium resignatum nomen JOHANNIS LANTHEERE , *Gandavensis* , contineret , hic victor renunciatus est.

### III.

*Ostendatur et exemplis illustretur , quanti momenti in Jurisprudentia , cum apud Romanos olim fuerit , tum apud hodiernos Europæ populos etiamnum sit , patrium sermonem suum probe cognitum et perspectum habere , et quot quantaeque utilitates ex illius accurata et interiore scientia in ipsos Jurisconsultos hucusque redundaverint , et in posterum quoque redundaturas esse , haud temere sperare liceat.*

Ordini ab actuario tres responsiones traditæ sunt. — *Prima* præ se fert istud lemma, *En quatuor dierum laborem!* — Cujus pretii iste immaturus foetus habitus sit, et haberi meruerit, sua sponte quivis intelligere potest.

*Altera* responsio in fronte habet locum Ciceronis (de Orat. III 13), *Tam facilis est tota res*, etc. Continet hæc scriptio multa lectu digna, et majoris illa pretii fuisset, si auctor in tractanda materia justum ordinem secutus esset, nec factis digressionibus passim res ab argumento alienas immiscuisset. Præterea auctor non satis perspexisse videtur, quantum a declamatione Commentatio differat. — *Tertia* responsio hanc tesseram offert: *Fons perspicuitatis est accurata cognitio linguæ, qua in dicendo et scribendo utaris.* — Hæc duabus prioribus quam plurimum anteferri meretur. Auctor ordine progressus est, sese multa legisse, et diu multumque de ipso argumento sese cogitasse ostendit. Ex bonis principiis justas consequentias deduxit. Verum, quod dolendum, auctori præmium adjudicari non potuit. Primum enim nimis brevis fuit in loco *de necessitate patrii sermonis in legum latione et administratione*: et deinde, ultimam quæstionis particulam, nimirum, *quot e quantas utilitates futurus Ictus ex vernaculæ linguæ cognitione percepturus sit*, fere silentio prætermisit. — Interim tamen Professores honoris causa in Annalibus lubentes nomen auctoris indicabunt, modo literis scriptis Ordini declaret, hoc sibi haud ingratum fore. (1)

Singuli vero illi juvenes, qui præmiis digni judicati sunt, coram Ordine quique suo, ad quæstiones propositas, secundum Legis Acad. § 106, tam accurate in examine habito responderunt, ut dubitari omnino non potuerit, quin quique Commentationis suæ auctor habendus sit.

---

(1) Die VIII Oct., epistolâ ad Decanum Facultatis scriptâ, auctorem hujus Commentationis sæcæ certis argumentis professus est CAROLUS LIBBRECHT, ideam illo, qui in Facultate Juridica præmium reportavit.

Ordini ab actuario tres per se habentia sunt —  
 se fert istud lemma, quod quoniam non habent —  
 iste immatura solus habet, et istud quod  
 quis intelligere potest.

Altera responsio in fronte habet locum. Oportet  
 Tam facile est totum, quod dicitur, et  
 digna, et ratio illa prohi, si...  
 tunc istam ordinem servare...  
 est res ab agendo...  
 et sic per se...  
 dicitur. — Nota res...  
 talis est...  
 ut...  
 Auctor enim...  
 que...  
 plura sunt...  
 tot...  
 sunt in...  
 rationibus: et...  
 tam...  
 cognitione...  
 tam...  
 et...  
 per...

...



JOSEPHI GUISLAIN,

GANDAVENSIS,

RESPONSIO

AD

QUÆSTIONEM, AB ORDINE MEDICO

ANNO M. D. CCC. XVIII PROPOSITAM :

*Quum, quibus Lien vitiis laborat, brevi aliorum viscerum chylopoeticorum totiusque œconomix animalis vitia, difficulter sæpè distinguenda, fiant; petitur illius organi (Lienis) accurata anatomica et physiologica expositio: præcipuè rationis, quam cum aliis vitæ vegetativæ functionibus habet, dilucidatio exposcitur: denique mórbi, quibus hoc viscus, ratione suæ structuræ specialis et vitalitatis modi, obnoxium est, aliarumque functionum naturalium ægritudines exinde redundantes, quæruntur.*

QUÆ PRÆMIUM REPORTAVIT A. D. IV. OCTOBRIS M. D. CCC. XIX.

JOHN W. WILSON  
LAW OFFICE  
CANTON

RESOLUTION

QUESTIONS AND ANSWERS

AND M. D. WILSON

QUESTIONS AND ANSWERS  
ON THE  
RESOLUTION  
PASSED AT THE  
ANNUAL MEETING  
OF THE  
SOCIETY OF  
MAY 1900  
BY  
M. D. WILSON  
CANTON

---

## PRAEFATIO.

*S*ensum verum attingere, quæstioni inclusum, a clarissima Facultate Medica Universitatis Gandavensis propositæ, principalis hæc est meta, ad quam, in desquisitionibus, quæ valent concurrere ad explorandam materiem tam obscuram, pervenire tenemur: omnes igitur conatus intendemus tenellos, ad eam, modo plus minus plausibili, attingendum. Ipse quæstionis sensus videtur nos conducere debere ad tramitem campo inhaerentem a nobis percurrendum: proposita in materia, perspicere hocce modo judicavimus, individuum dispositionem (concedatur nobis vocabulum hoc) stabilire, quam lien ab ejus fabricâ mutuatur, quemadmodum, et a vita particulari, quâ animatur, est fonti occurrere fecundo; unde omnes considerationes hujus dissertationis cursu, profluere debent.

Independenter verò ab observationibus hisce, absolutè et specialiter lieni propriis, adhuc alia et satis ampla asperitatum superest copia complananda, illa scilicet in veram lucem emittendi systemata differentia secundariè morbifico lienis statu, affecta: ultimum propositionis lemma ita sonat » aliarumque functionum ægritudines exinde redundantes quæruntur » sectio particularis huic materiei dedicabitur.

Arbitramur interim nostrâ referre judicium nostrorum neutralium indulgentiam implorare, observantium studium omne speciale lienis morborum propositione nobis non videri inclusum esse, quæ non requirit nisi solam morborum enumerationem respectu causæ prædis-

*ponentis; » denique morbi quibus hoc viscus ratione suæ structuræ specialis et vitalitatis modi obnoxium est. » Judicavimus attamen limites, quibus sensus quæstionis propositæ nos adstringere videtur, transilire; ut igitur melius assertiones nostras stabiliamus, illis per consequens adnectemus, morborum lienis studio, sectionem particularem, in qua perscrutabimur morbos illos sub aspectu merè locali, ubi maturæ mentis bilance quantum nobis erit possibile causas perpendemus, tam remotas quam proximas, quemadmodum et symptomatum enumerationem, ex quibus detegi valent cægritudines diversæ lienis; hisce adjungendo adnotationes sollertissimorum scrutatorum in arte per innumeras cadaverum sectiones sedem morborum detegendi causâ institutas: quoad partem diagnosticam, prognosticam, et curativam, totaliter ipsam censemus inutilem, et nullatenus nostræ spheræ.*

*Ecce ordo, quem, in opusculo nostro, stabiliemus; dedicabimus primo caput particulare studio lienis anatomicæ descriptionis, secundum expositionem physiologicam hujusce organi continebit, denique tertium studii variarum affectionum morbificarum objectum erit.*

*Quoniam in idiomate nobis minus familiari describere coacti simus, zelum tamen nostrum incitabimus et nervos omnes intendemus, ad ideas nostras, modo plus minusve elarø nec non intelligibili in lucem emittendas, in duces assumentes in earum enodatione observationes, et si minus numerosas, quas docti de hâc materie præbent. Aliquatenus scientiarum progressui, quantum in nobis contribuere licet, sunt vota nostra sincerissima.*

---

## Caput primum.

---

### ANATOMICA LIENIS DESCRIPTIO.

---

#### Sect. I. DISPOSITIO ORGANI GENERALIS.

**I**N hypochondrio sinistro abdominis, sub diaphragmate, supra renem et capsulam surrenalem sinistram portionemque sinistram intestini coli, inter et extremitatem majorem ventriculi et superficiem internam ultimarum tertiæ et quartæ spuriarum costarum duobus vel tribus pollicibus distans a columna vertebrali, situm obtinet lien.

In ætate infantili splen non omninò in hypochondrio sinistro collocatum est, sed parùm infrà costas spurias proeminet; ætate verò provectori magis a costis recedit et profundius invenitur, cum, illa ætate, evolutione thoracis costæ spurix magis et magis versùs abdomen accedunt.

Miras varietates nobis offert forma istius organi, ordinariè prismatica, convexa extrinsecùs, concava verò intùs, modò rotunda, modò allongata, quandòque denticulata, sulcata, vel plana, ad superficiem externam invenitur. Aliquandò, pluribus in locis ejus circumferentiæ, tam profundè sulcata observatur, ut organon illud varias in portiones sectum videatur; attamen ut plurimùm unicus est lien, quandòque vera corpora accessoria a se invicem distincta eadè formâ ac structurâ gaudentia, plus minusve voluminosa et inter duplicaturas omenti collocata, habet.

Admodùm variat color lieni proprius, nunc ceruleus, nunc

ruber, luteus, etc., rarissimè æquabilis et unicus in totam superficiem organi dominatur, ut plurimum compositus est e diversis et variis coloribus verum aspectum marmoris præbentibus.

### *Sect. II. CONFORMATIO EXTERNA.*

Lien dividitur in binas facies, unam externam et alteram internam atque in circumferentiam.

Facies exterior convexa diaphragmati contigua (exceptis aliquibus adhærentiis præternaturalibus) cum ultimis costis spuriiis, ut tertiâ, quartâ et quintâ, correspondet.

Facies interior parùm est concava duas in partes, per limbum revolutum in modum canalis, ab auctoribus scissuram lienis vocatam, divisa est: duarum harum partium superficiem internam una, quæ anterior et major est, extremitati majori correspondet ventriculi, eò magis quò organon illud cibis repletur: altera pars, quæ posterior ut plurimum applicatâ est parti illi vertebralis columnæ, quæ ei vicina est. Scissura enim nunquam totam longitudinem organi occupat, membranæque peritonæi non obducitur. Adnotandum, primas ramificationes arteriæ splenicæ, nervis conjunctis, per hanc scissuram in textum lienis penetrare, ex illaque vasa venosa ejusdem nominis exire.

Circumferentia lienis correspondet per partem superiorem diaphragmati, per inferiorem reni atque capsulæ surrenali sinistrae; per posteriorem partem pancreati, per anteriorem, intermedio diaphragmatis, thoraci. Ut plurimum admodum observatur irregularis, crassior ordinariè superius et posterius quam in alio sensu, marginem ut plurimum offert æquabilem, in aliis casibus, laceratum et in variis ejus partibus sectum.

### *Sect. III. STRUCTURA INTERNA.*

Membrana serosa exterius, fibrosa interiùs, multa vasa et nervi, sunt partes quæ ad formationem hujus organi concurrunt.

Membrana serosa hæc, prolongatio est membranæ peritonæalis,

totum obducit organon, parte illa exceptâ, per quam vasa et nervi in substantiam organi penetrant; loquimur de scissura lienis, in cujus margines reflectitur membrana hæc, ut simul cum lamellis duplicaturæ membranacæ quibus lien cum diaphragmate ventriculoque et omento gastro-epiploïco connexus est, continuet. Inter lamellas hujus duplicaturæ vasa splenica nervique collocantur: duplicaturæ illæ, quæ partem posteriorem et ejus faciem posteriorem cum diaphragmate jungunt, ab auctoribus ligamentaliensis vocata sunt.

Membrana fibrosa sub priore, scilicet serosâ, immediatè collocatur, cui, omnibus in ejus partibus fortiter annexa videtur, exceptâ, uti vidimus, scissurâ, ubi serosâ reflectitur et organon relinquit ad efformandas duplicaturas illas, quæ vasa nervosque ante ingressum in lienem sustinent; est verò in hoc loco quod membrana hæc fibrosa evidens evadit, et sub forma sese offert tenuis membranæ, foraminibus perforata pluribus, per quæ vasa diversa, et nervi in organon penetrant aut exeunt.

A superficie hujus membranæ internâ innumeræ pullulant lamellæ, quæ millenis modis inter se divergentes, mutuas adhæSIONES simul cum vasis nervisque efformantes ad efficiendum parenchyma spongiosum lienis proprium, concurrunt; parenchyma, quod cadaverum sectores evidentissimum reddiderunt lotionibus plus minusve repetitis; extrahitur enim hoc modo omnis sanguis in viscere illo contentus, dilabitur organon, volumen ejus valdè imminuitur, et tandem in massam spongiosam albicantem è pluribus lamellis fibrosis miro et vario modo inter sese junctis, conflata, reducitur.

Nullum organon in humano corpore quam lien tantâ præditum est copiâ vasorum respectivè ad ejus volumen, è mirabilius quod nulla per illud organon peragatur secretio, nec ductus observetur, materiem aliquam secretam foras eliminans.

Arteriæ a splenica arteria magno trunci cæliaci ramo procedunt, parvos ulterius a sinistra diaphragmatica arteria ramusculos accipit. Præterea e primaque lumbari pari parvæ adveniunt lienis ramificationes. Ante introitum in organi textum splenica arteria

varios in ramos dividitur, quorum numerus nondum est determinatus, penetrant rami illi sine ulla regulari dispositione per scissuram sic dictam lienis in organon, iterum ibi subdividuntur et capillare efformant systema visceri illi proprium.

Nascuntur et alia in substantia lienis vasa ad sanguinem in textum organi per arterias allatum in venæ portarum systema deponendum, de ingenti illo agitur numero ramorum venosorum, quæ postquam textum exiverint inter se juncta truncum sic dictum efformant venosum splenicum: adnotandum truncum hunc ab aliis differre corporis venis defectu valvularum.

Sese exonerant in truncum splenicum vel in aliquos ejus ramos varii ramusculi venosi originem sumentes a curvatura majori stomachi, comitantur et etiam hos parvæ arteriæ a gastrica superiore et splenica arteria procedentes: vasa hæc a veteribus breviter nuncupata sunt, et illa, tantummodò ex venis efformata ea esse statuerunt, at experientia hodierna anatomica nobis demonstravit vasa illa tam ex arteriis quam e venis constare.

Gracilia in interiore parte organi, majora quò magis externa fiunt, vasa lymphatica in duos vel tres truncos colliguntur, qui ad alia tendunt vasa lymphatica in canalem thorachicum sese exonerantia.

Nervi ad lienem destinati arterias amplectuntur et speciem efformant plexûs splenici vocati, a plexu nervoso solari provenientes.



---

*Caput secundum.*

---

PHYSIOLOGICA LIENIS EXPOSITIO.

Inutile foret opiniones omnes auctorum hæc de re traditas, hic lato exponere sensu; sufficiat nobis principales in decursu harum considerationum allegare, et cum nostra comparare opinione.

Præcedenti in descriptione anatomicâ visum est, lienem tantummodò organon vasculosum molle nullum vestigium structuræ glandulosæ (1) præstare, nec ductu, nec canali excretorio, aut receptaculo fluidum aliquod continente, præditum esse: candidè fatemur difficilè verum esse modo directo in lucem asferre illius organi functiones; at si animum omni opinione liberum tenemus, circa hanc rem aliquid assignare, impossibile non erit opus.

Dum solùm superficialiter organi illius pensatur dispositio, ejusque structura fluidumque, quod in textu circulat, primo intuitu autumandum esset, quod lien viscus vasculosum situm obtinens verticaliter in hypochondrio sinistro, costas spurias inter et ventriculum, principaliores deberet agnoscere conjugationes cum stomacho (2). Ast opinio hæc infirmo fundamento innixa nobis videtur: quænam enim invenitur inter lienem et ventriculum communicatio? prope stomachum splen situm tenens immuabilem prolongationibus peritonæi nullomodo, (nisi per ordinem vasorum (3), quæ nimis exigua sunt, ut inde deducatur, usum lienis tantummodò ligatum esse cum illo ventriculi;) cum priori nectitur. Sed quod maximi ponderis, si ab alia parte inspicimus quod lien modo directo cum systemate hepatico concatenetur ope

---

(1) *Malpighi* in liene corpora glandulosa dari affirmat cum *Vieussens*.

(2) *Celeb. Cuvier* lieni videtur assignare functionem quâ sanguis in textu ejus contentus ad secretionem succi gastrici partim destinatus esset. *Cuvier* anat. comparat. t. 4. prælect. XXII.

(3) De vasis brevibus loquimur. Vasa illa directè non communicant cum liene sed cum arteria, et vena splenica.

trunci venæ splenicæ, quod etiam omnis sanguis, qui in parenchymate circulavit, per hanc venam hepatis tradatur, plusquam probabile erit, ad evellendas functiones splenis, quod summo studio inquirendum sit in nexu illo, quem inter sese alunt bina illa organa; sed ut profundè rem intelligamus ordine, et methodo procedendum, quamobrem nobis sequentem proposuimus analysim in functione lieni propria detegenda. 1° Volumen splenicæ arteriæ et quantitas qualitasque sanguinis ante in lienem ingressum consideranda veniunt; 2° modificationes atque mutationes, quas sanguis ille patitur in textu lienis; 3° denique qualitates, quibus, dum ipsum in vena splenica offendimus, pollet.

1° Quod tanta copia sanguinis, quæ ad lienem per arteriam splenicam defertur unicè nutritioni illius organi destinata esset, supervacuum foret adnotare; in ratione organi magni voluminis, quantitas enim hujus liquidi nimia est, ut hæc admittatur sententia quoad physicas atque chemicas qualitates, omnes sanguinis arteriosi ostendit dotes.

2° Sed antequam ulteriùs modificationes diversas quas in lienis parenchymate sanguis subit, in apricum proferre conemur, quæstio hic offenditur ab omnibus arte peritis tentata; petitur scilicet: num arteriosus sanguis in lienis parenchyma allatus, in cellulis aut areolis istius organi ab extremitatibus capillaribus arteriarum deponatur et momentanè ibi tantummodò stagnet, et iterum ab ultimis vasorum absorbentium osculis in venas splenicæ defertur; vel utrum ille, sanguis, solomodo in capillaribus ipsis vasis contineatur, et non in lienis cellulis effusus sit? res est herculeo labore major et nostris viribus multum impar. Secundum celeb. viros *Caldani* (1) et *Ruysch* (2) nullus in cellulis aut areolis effusus haberetur sanguis; nam secundum hos anatomicos spatium inter arteriarum extremitates capillares et illas venarum non daretur, in quo arteriosus sanguis per ultima capillaria vasa effusus, contineretur. Attamen opinio hæc nobis omninò admittenda non

(1) *Caldani* inst. anatom. par. II. splanc. pag. 156.

(2) *Thes. quart.* vide *Hall.* elementa physiol. t. VI. pag. 385.

videtur; hic verò cum acutissimo et celeberrimo physiologo petere possumus quare in cadavere semper invenitur sanguine turgidus lien, dummodò vasa omnia capillaria corporis latice illo destituuntur; a regula generali exceptionem deberet pati lien. 2° Si sanguinem in textum cellulosum admittamus deponi et per aliquot ibi temporis morari, meliùs concipiuntur modificationes variæ, quas in liene subit fluidum illud: 3° si, aliis cum organis, eadem ferè structurâ gaudentibus, in quorum textu exhalatur sanguis iterùmque organo aufertur, utpotè in corporibus penis cavernosis, in placenta et aliis in similibus, cõparationem instituemus, res minùs dubia evadit. Tandem quidquid de hoc cogitatur, potiùs hypothesis quam directis et veris innititur probis. Phenomenis sufficiat nobis studere, quæ subit in textu lienis sanguis, quàm obscuram illam materiem fusiùs indagare; una vel altera harum opinionum multum lucis afferre nequit, functionem istius organi explicandi causâ.

Licet intima lienis fabrica nos lateat, haud minùs fas est dicere totaliter illam vasculosam reperiri, sanguinemque a splenica arteria in ejus textum allatum, alias ibi accipere dotes, et nullum indolis vestigium præstare, quo gaudebat, dum in arteriis ipsis splenicis circulabat: id solùm desuper dici potest, quod dispositiones reperiantur variæ, ab organo ipso petendæ, quæ mutuò omnes concurrunt, ad sanguinis cursum in ipsis vasis tardiozem reddendum; ad quas meritò referri valent sequentes: 1° admodum arteriæ splenicæ trajectus invenitur ante ingressum in organi textum flexuosus; 2° venæ splenicæ atque variorum ramorum ejusdem nominis capacitas amplior est, ac illâ arteriarum; 3° textus præterea eorum minùs robustus est quam in cæteris corporis venis, parietes enim offerunt graciles, ac tenues; 4° et, quod notandum, valvulis carent venæ hæ; 5° tandem eorum vis tam infirma est ut nequidem ad sanguinis progressum sufficeret, ni contractionibus musculorum abdominalium alternativis, fluxus sanguinis in venam portarum indè promoveretur.

---

(1) Bichat, vidè anat. descrip. t. V. pag. 55.

3° In ipso textum lienis hùc usque observavimus sanguinem; dispositiones, quibus cum minore velocitate circulat in organo hocce adnotavimus; reliquimus igitur liquidum illud in liene: videndum nunc erit qualitates illas novas, quas a concursu dispositionum in præcedentibus expositarum accepit. Sanguis verò in splenica vena contentus, sanguinis venosi offert qualitates, niger et principiis oleosis abundans est, sed quod illam a venoso sanguine alterius corporis partis distinguit, est, quod dum in vas excipitur in coagulum numquam tendat, fluidiorque magis carbonisatus et hydrogenatus factus sit. Contrarium hùc occurrit, quod evenit in capillaribus pulmonum, fluidum sanguineum ex nigro quo constabat fit rubrum, spoliatur principiis hydrogenii et acidi carbonici et sibi assumit aliud principium, nimirum oxigenium: in liene verò corpora sunt illa duo, quæ sanguini imprimunt splenico principaliores suos characteres.

Hæc sunt naturalia, et essentialia in liene conspicua phenomena, alia non dantur. (Præter illa, quæ ad nutritionem pertinent) concipitur jam functio ejus: sanguis arteriosus in illius textum propulsus, qualitates alias acquirit a venoso sanguine cæterarum corporis partium multum discrepantes; omne quasi ad unum et solum scopum ibi reducitur, ad circulationem scilicet sanguineam; et nullam aliam habuisse natura providens ideam in conficiendo liene, quam in cursu suo retardandi sanguinis videtur. Hæc, pro liene nobis sufficiant: ast, si porrò sanguinis splenici persequimur cursum, in hepar fluidum hoc directè tendere, videmus, undè arguatur principaliorum usum lienis cum hepate propè adnecti et tantummodò præparatorium esse bilis secretionis; id, quod non solum experimenta in animalibus vivis instituta, at quoque affectiones lienis variæ morbificæ alterationem plus minus validam inducentes in bilis secretionem, confirmant. Non latebat antiquissimis observatoribus in arte medica, dum lien vivis animalibus aufertur, semper languere secretionem bilis, et digestionis negotia labe affici: atque quamvis physiologi multi de lienis sectione auferendi possibilitate disputarint, attamen vulnera, et

aliæ ægritudines organi illius fusiùs explicandæ, hujus sententiæ veritatem testantur : sequentia adhuc meliùs assertum nostrum consolidabunt.

*Sect. I. LIEN IN DIVERSIS VITÆ STADIIS CONSIDERATUS.*

Liquet ergò ex prægressis, lienis functionem associari illi hepatis; videbimus, hocce conspectu, omni vitæ cursu constantem dari rationem inter validitatem bilis secretionis, et evolutionem lienis.

Splen capiamus in foetu, istius organi status hïc, statui inertie viarum digestivarum, perfectò correspondet; proportionatè ad generalem corporis molem parvus invenitur lien. Meritò hïc obijci potest, tempore illo, hepar in ratione evolutionis omnium corporis partium, admodum voluminosum esse, et nullas habere rationes cum lienis volumine, quod illa ætate parvum et nullomodò evolutum est: res vera, sed sedulò perspicienda, nam connexio voluminis lienis non inter generalem massam hepatis existit et illam splenis, sed apparatus secretioni bilis dicatum inter et volumen lienis. In foetu non ob majorem activitatem in secretionem bilis hepar tam magnum deprehenditur, sed propter ingentem sanguinis copiam, quam hepaticum organon ab utero materno accipit; at, bilis secretio, quæ nulla ferè est in foetu, evolutioni tenui apparatus excretorii bilis comparata, perfectè cum magnitudine et evolutione exigua lienis quadrat.

Post nativitatem verò systematis sanguiferi abdominalis capacitas augetur, illa præsertim lienis, ob evolutionis speciem in visceribus abdominalibus observandam, alimentorum stimulo inductæ, quò, adversus partes illas attrahuntur humores, et nutritio ibi majore cum vigore peragitur, omnia tandem digestionis organa citiùs illo vitæ periodo evolvuntur: excipi hïc debet hepar; volumen ejus continuè imminui quò magis ab origine recedit homo, docet observatio anatomica; verùm ut antea jam allatum, non ad hepatis est attendendum volumen, quod in foetu respectivè ad

cæteras corporis partes propter sanguinem arteriæ umbilicalis, tam magnum invenitur, et quoque non solum respiciendum ad activitatem et vigorem bilis secretionis sed ad peculiarem partium apparatus bilis excretorium constituentium in omnibus vitæ stadiis evolutionem, est inquirendum; juvenili ætate enim systema venæ portarum parum invenitur accretum, idem de apparatus excretorio bilis valet: versus stadium triginta vel quadriginta annorum organa illa evolvi incipiunt; volumen lienis increscit, secretio bilis validior evadit, affectiones animi variæ, illo stadio, specialem videntur determinationem habere in viscera illa; in senectute verò quid reperimus? connexiones iterum volumen lienis inter et illud excretorium bilis; nonnumquam parvus, retractus, et quasi cartilaginosus lien, statum insequitur hepatis apparatusque excretionis bilis, illa ætate, marcore et languore quasi affectorum.

### *Sect. II. LIEN IN DIVERSIS DIGESTIONIS TEMPORIBUS CONSIDERATUS.*

Observarunt physiologi ab omni ævo volumen respectivum atque pondus lienis augeri in vacuitatis statu ventriculi, verò imminui dum digestivæ actiones in eorum functionibus augmentum patiuntur. Plures physiologi uti *Lieutaud*, *Hallerus*, etc., secundum leges merè mechanicas omni ope atque operâ innixi sunt, phenomenon hoc explicare.

Hisce a principiis procedentes auctores illi statuerunt, quod tempore vacuitatis stomachi imminuta sit circulatio in organo hocce, ob vasorum statum ventriculum ambientium, quæ in hac digestionis periodo, flexuosa deberent esse, et retracta. Addiderunt ulterius, quod lien organon molle in loco quem occupat liberius collocatus, majore penetrari possit copia sanguinis, cum sit affluxus in organa digestionis minor, et eatenus sine dubio augeri debeat volumen ejus, donec iterum compressione repleti stomachi ut bilis confectioni inservire posset, in venæ portarum systema, sanguis exprimitur.

Denegatum ab omni iudicio et pensitata meditatione est pri-

num horum auctorum assertum, nimirum, quod lienis structura laxa in causa esset sanguinis derivationis in organi textum dum cibus est orbatus stomachus; minus verum quoque, quod a compressione hujus organi alimentis extensi, sanguinis celerior esset transitus per venæ portarum systema; nam ut lien comprimatur, a parte stomachi vis major deberet inveniri, id quod veritati impar. Hisce positis, quomodo debiliore præditum resistentia organon, alterum urgere posset, cui vis renitens est major, quemadmodum in liene? Itaque non compressionem pateretur splen, ast magis ventriculus, cum vis in eo minor reperitur: res autem sese ita non gerunt in negotiis digestionis, quò magis enim cibus impletur stomachus, eò magis hic anterior fit et a liene recedit.

Præterea, copiam laticis vitalis respectivam detrahi in ventriculi vasis, tempore vacuitatis hujus organi ob vasorum curvaturas, stomacho dilatato, non existentes, ab inspectione accurata anatomica planè et adamussim denegatur; nam arteriarum trunci-principales stomachum ambientium, ab hocce, dum vacuum est, recedunt, et non, ut aiunt, duplicantur, aut curvaturas efformant, quibus sanguis minus in eorum cavitates affluere posset; breviora enim non fiunt vasa, sed magis distant a stomacho, cum manent collocata fixa inter lamellas omenti, tempore repletionis ventriculum obducunt, et ab illo dum vacuum est, recedentes: animadversio hæc ab ingenioso *Bichat* notata est: en ejus verba: » *Les troncs principaux artériels qui cotoyent les courbures de l'estomac en sont alors éloignés, parce qu'ils n'ont point abandonné le point des épiphloons qui avoisinaient ces courbures au moment de la distension de l'estomac, de manière que les branches qui se répandent sur l'une et l'autre surface de ce dernier n'ont pas diminué de longueur et ne sont pas plus flexueuses qu'auparavant* (1).

Verum enimverò contulerunt aliqui scriptores (2), cum a liene accipiat hepar sanguinem ad conficiendam bilem, et cum ejus quantitas in ratione sit semper vacuitatis vel repletionis statûs ventri-

(1) *Bichat*, anat. descrip. t. 5.

(2) *Portal*, anat. medic. t. 5. p. 33r.



culi, quod bilis secretio majore deberet fieri cum vi, dum a stomacho per alimenta distenso premitur lien, quod è contra ab alia parte bilis secretio minus viget cum sanguis non amplius; vacuo et contracto ventriculo, versus systema hepaticum urgetur.

Per momentum supponamus impletum et extensum per alimenta stomachum, lienem comprimere posse: naturaliter inde deberet exurgere, quod compressum organon non tantam in ejus textum excipere posset quantitatem sanguinis arteriosi, quantam solebat in laxitatis statu istius organi. Itaque intercludendo sanguinis aditum arteriosi, defici debet quoque quantitas sanguinis venosi bilis secretioni dicata, modo hoc, hujus liquidi secretio loco majoris, cum minore vigore perageretur, cum ad illam destinata alimenta magis deficerent, dum lien deprimitur.

Finem, illis meditationibus vagis et hypothesis superstructis, ferè omnibus corporis functionibus alienis, imponamus, et loco mechanicæ explicationis, veris utamur legibus humanum corpus regentibus ad causam detegendam imminutionis et augmenti voluminis lienis, in actu digestionis conspicuæ: intelligere verò nequimus, quomodo glandulosum aliquod viscus, ut hepar, ex canaliculis inertibus construeretur, et sine ulla esset actione in laticem vitalem; in quo secretio continuè magis vigeret quantitatis in ratione ei advenientis sanguinis. Sed cum è physiologicis pateat, quod omnis, cujuscumque glandulæ, actio in ratione sit semper proprietatum vitalium organo secretorio dicatarum, tenuitas hujus theoriæ clarè indè demonstratur. Quotiescumque igitur organi hepatici proprietates vitales alacrius e sanguine venæ portarum ad bilem conficiendam destinata elementa hauriunt, totiescumque volumen lienis propter depletionem momentaneam ab hepate inductam ob validiorem sanguinis dispensationem in hoc organo, collabefieri potest: concipere quidem possumus hoc modo, de tractionem illam in pondere et volumine lienis digestionis diversis in periodis adnotandam; en, secundum nos, hujus phenomenis causa. Dum alimenta in vias digestivas introducta propter stimulum excitationem plus minusve validam in organon bilife-



rum impellunt, uti secundum antiquum Hippocratis effatum constat, *ubi stimulus ibi fluxus*; tunc humores ad secretionem bilis destinati, magis et promptius elaborantur, et eatanus ab una parte cum valida sit dispensatio sanguinis in hepate, necesse est ut ab alia parte indè sequatur depletio in organo, in quibus continetur aut quasi servatur fluidum illud, momentaneè sic volumen lienis decrescere potest, cum digestionis tempore quantitas sanguinis in organo hocce retenta, celerius detrahitur et cum majore vigore in hepate elaboratur; excitatione igitur cessante dum vacuæ sunt viæ digestivæ, bilis secretio minus viget et minus est consequenter deperditio in sanguine venæ portarum; qui sanguis congeritur, et textum lienis adauget et distendit, donec iterum velocius aufertur, quum alimenta ob eorum stimulum confectionem bilis actiyant. Inutile quasi hic esset adnotatu statum intermittentem de quo, uti organa omnia glandulosa, jecur in ejus functionibus participat: inspectio sola hujus organi in diversis digestionis periodis ad demonstrandum sufficit quod, dum intestinum occupant substantiæ alimentares duodenum et eorum irritatione in canalis choledoci et pancreatici orificio consensualem excitationem in capillaribus bilem secernentibus determinant, bilis non solum magis abundet, sed simul minus colorata et minoris sit consistentiæ.

### *Sect. III. PROPRIETATES VITALES LIENIS.*

Gaudet lien nulla in naturali statu contractilitate animali seu cerebrali, sensibilitas cerebralis obscura et ferè nulla est. Sensibilitas et contractilitas organica ibi, uti in omnibus organo, præstant.

Cerebralis sensibilitas ut dicimus ferè nulla est in statu naturali: nam, liene in animalibus vivis irritato, dolor, qui indè exsurgit tolerabilis et quandoque nullomodò percipitur: illust. *Bichat* ad hoc observat dum loquitur de membranarum serosarum sensibilitate: » *J'ai vu plusieurs fois des chiens auxquels j'avais laissé la rate hors de l'abdomen pour en observer les phénomènes,*

*à déchirer eux-mêmes cet organe sans être dans un état de fureur, à le manger même et se nourrir ainsi de leur propre substance (1).* Quoad contractilitatem et sensibilitatem organicam, illæ existunt; verum enimverò unicè organi nutritioni dicantur, nam ut antea visum est, omne in organo hocce congregatur ad celeritatem sanguinis cursus infringendam: facile itaque captu est, cur immuabili Creatoris decreto, illi organo tam parva vitalitatis dosis destinata sit.

Omnia ferè, quæ nobis ostendit lien phenomena, ab hisce duabus procedunt proprietatibus. Illa vita lieni propria omni nostra digna est attentione, sub respectu segnitiei peculiaris, in omnibus phenomenis tam physiologicis, quam pathologicis conspicuæ: quis nescit inflammationem suppurationem, etc., solum aliquando indigere aliquibus diebus quinimò horis ut ad summum properat in pluribus corporis visceribus intensitatis gradum, dum status illi morbifici rarissimi sunt in liene, et summa cum tarditate ad punctum illum accedunt: præterea quod in quacumque parte œconomix animalis vitalitatem designat aut ostendit, velocitas est ipsa, quâ sese gerit inflammatio in suis periodis, quemadmodum in ipso organo frequentia hujus affectionis.

#### *Sect. IV. PROPRIETATES STRUCTURÆ LIENIS.*

Veluti omnia quorum character est mollities, lien parva donatus est elasticitate; majore gaudere extensibilitate, variæ probant affectiones chronicæ atque injectiones in ejus parenchyma propulsæ, quibus, volumen illius organi ingenter augetur.

Multa, in corpore humano, non dantur viscera, in quibus ad talem gradum conduci potest extensibilitas uti videre est in liene; communem illam habet extensibilitatem viscus hoc cum textibus venarum. Ad illam magnam extensibilitatem, parva existente elasticitate, et etiam referri debet ingens dilatatio ad quam in ultimis vitæ spiritibus et post mortem conduci potest lien: fusiùs infra materiem hanc explanabimus.

---

(1) Bichat, anat. général, vol. 4.

*Sect. V.* CONSENSUS LIENIS.

Hoc volumus adnotandum ad hunc articulum, duplici modo lienis consensum stabiliri posse; nimirum vel ab aberratione in naturalibus splenis functionibus turbæ nascuntur aliis in visceribus sive vicinis sive remotis: 2° aut ab affectione in aliis organis existente, secundariè afficitur lien.

Prægressis in considerationibus vidimus atque probavimus, intimam concatenationem inter splen et apparatus bilis se et excretorium existentem: quotiescumque igitur per mutationem quamcumque in functionibus lienis ortam, hepar abnormitates subit in negotiis suis, totum digestionis systema motibus sympathicis affici potest, 2° si ab altera parte ut secundariam associationem inter functiones splenis et hepatis inspicimus, tunc ab aliqua mutatione in secretionem bilis inducta ut plurimum originem sumit.

Aliquibus in casibus ægritudines encephali actiones produxisse consensuales in lienem observata docent auctorum.

Non rarum est videre ab alia parte secundariè consensum pati organon cerebrale, a liene in ejus functionibus læso; delirium melancholicum, mæstitia, dolores variæ capitis (1) et multa alia, encephali turbati, phenomena huic consensui adscribi possunt. Omnibus in hisce casibus, lien, qui in functionibus suis, cum organo digestionis commercium alit, cum hisce, facultatis motus producendi sympathicos in organon cerebrale et tam manifestos in hepatis atque stomachi valetudinis perturbationibus, particeps esse videtur.

*Sect. VI.* LIEN IN CADAVERIBUS CONSIDERATUS.

Solum hinc animadversioni instamus ad articulum proprietatum structuræ jam allatæ, de voluminis scilicet augmento lienis in

---

(1) Clarissimus professor Van Rotterdam in prælectionibus suis practicis factum refert ægro-  
tantis ferè triginta annorum ætatis et mælena affecti cui tantus erat capitis dolor ut ne quidem  
ullo remedio aut auxilio sisti posset, qui verò subito disparuit evacuatione copiosa sanguinis  
nigri per vomitum.

ultimis vitæ spiritibus. Cum splen magnam quantitatem sanguinis per arteriam splenicam a trunco cæliaco ei advenientis sibi sumit, ab illo puncto, quo vires hujus organi, naturaliter infirmiores, debilitantur, sanguis ibi accumulari incipit, parietes vasorum distendit et tandem perfectò stagnat, adeò ut secundum statum vitalium proprietatum in ipso mortis momento, organon hoc plus minusve ponderosum, sanguine turgidum, et voluminosum, inveniri potest; eò magis, quò debilitas aut atonia in capillari systemate ante existens notabilior; quam ob rem funerum sectores sedulò inquirent in statum lienis detegendi causa utrùm volumen auctum dependeat a statu morboso vel effectus circulationis turbæ sit, in ipsa morte adnotandæ.

---

*Caput tertium.*

---

*Sect. I. DE MORBIS LIENIS CONSIDERATIONES GENERALES.*

Quamvis in innumeris corporis viventis organis, proprietates vitales modificationes diversas in eorum distributione patiuntur, attamen quævis organica pars harum proprietatum dosi quadam determinata gaudet. Est dosis illa, seu qualitas aut quantitas, qua cujuscumque organi determinatur vita, vel suas exerit functiones; est autem per hanc vitam vel per suam activitatem potius, quod corporis aliqua pars viva reagat aut superet qualemcumque causam textui ejus applicatam et in destructionem agentem; tandem est illius vitalitatis ope, quod viscus aut organon quodcumque ad talem potius quam ad alium dispositum sit morbum: atqui cum specialis morborum essentia in turbata consistat ratione proprietatum vitalium, necesse est igitur effectus morbificos discrepare debere, pro organi diversitate, in quibus sedent; observatio enim morborum hinc nostrum consolidat assertum; natura verò in organis illis, majore dosi vitalitatis donatis, et celerius et violentius in causam, destructionem æquilibrii organi efficientem, reagit. Si ab altera inspicimus parte viscera illa, illius potentiae nervosæ minore gaudentia dosi, tunc, strictiore ita sermone loquendo, duntaxat defectus aut tarditas, in reactionibus ratione minoris vis in parte existentis, observatur: consideretur vero lien, dum aliquibus in circumstantiis, turbas patiuntur systemata, quibus vita quasi est in excessu, permanet, ut plurimum, illud tranquillum, inter omnes illos motus, quibus cætera concutiuntur organa.

Ab hocce itaque principio progredientes, facile visu est, quod lien, viscus molle, laxum, vasculosum, in quo vitales proprietates infirmiores existunt, in quo omne sive a parte fabricæ sive a parte vitæ peculiaris concurrat, ad tarditatem et moram sanguini ibi circulanti inducendas ad morbos defectum reactionis admittentes ratione minoris, in organo existentis vis reactionis aut vitalis, omninò dispositum sit; et quod è contrà, qui exaltationem in proprietatibus vitalibus agnoscunt morbi admodùm rari in ipso observentur,

Jure merito, ex ante dictis stabiliendum, organon illud prædispositum omninò esse *a virium vitalium parte* ad morbos principium aliquod admittentes debilitatis, verbo, ad lentos morbos et chronicos. Eædem reperiuntur rationes quoad ejus *structuram intimam*; ut visum est enim in anatomica descriptione, atque in physiologicis expositionibus, quod extensibilitas et laxitas textûs vasculosi non parùm conferat ad sanguinis in liene circulantis velocitatem infringendam; absentia in ejus venis valvularum summum sit obstaculum sanguinis progressui, et quod tandem parùm organo illi motus muscularis comunicetur (tam necessarius ad circulationem venosam); si denique hic opinionem auctorum admittimus circa depositionem momentaneam et moram sanguinis in textu organi ejusque resorptionem per capillaria vasa absorbentia, novam inveniemus causam, ad ægritudines in circulatione tarditatem agnoscentes organon illud admodùm disposituram: quotiescumque ergo causa aliqua e natura debilitans in absorbentia lienis vasa effectum exerit, totiescumque in cellulis organi morans in venam splenicam non ampliùs deferetur sanguis, et stagnationem pati debet; concipitur saltem hocce modo, cur e debilitate ortum ducentes morbi chronici tam frequenter in hocce organo observentur.

Attamen quamvis unicè et essentialiter constitutus lien ad genus morborum chronicorum, affectiones, in quibus incrementum patitur vis nervosa, quandoque in liene deprehenduntur: hanc ob rem inflammatio inter ejus morbos non immerito recenseri potest.

Statum considerando inflammatorium, tenemus, quod organi naturalis dispositio summa digna sit attentione, quod et etiam effectus seu modus ex excitatione pullulantis ab applicatione causæ statum inflammatorium producentis, non minus adnotandum veniat: prima harum considerationum suum locum obtinere videtur hic, nam quamvis, supponat semper qualiscumque inflammatio, exaltationem vitalium proprietatum in capillari systemate, qua in vasa capillaria sanguis protruditur majore vi, attamen haud abs re est dicere illam essentialiter dissonare, tam pro ejus frequentia, et exitu multifario, quam pro proprietatum vitalium statu diverso in organo naturaliter existente. Percipitur enim cur inflammatio et frequentior atque violentior futura sit in organis illis, quibus vasorum capillarum proprietates vitales, maximè sunt elatæ, undè frequentiores et intensiores phlogoses offendimus illas in mucoso, dermoideo, membranaceo, seroso, et aliis hujus generis systematibus, dum rarissimæ sunt, in organis minore vitalitate præditis, inter quæ splen eminentem locum tenere potest; nam ut jamjam allatum est, unicè et specialiter ad illius organi nutritionem sensibilitas et contractilitas destinatæ videntur: eorum munera quoque tam obscurè explentur ut ferè passiva sint et minimè in inflammatorium statum proclives.

2º Excitationis modus ex stimuli alicujus applicatione ortus et inflammatorium statum producendi capacis, nostram summoperè requirit attentionem. Cum verò omnis inflammationis existentis stadium in absolutè ratione proprietatum vitalium aucta aut imminuta consistat, consequi indè debet, quod et progressus et phenomena, quæ ex irritatione oriri valent inflammatoria, eo esse debeant intensiora, quo in statu sano majori donata est sensibilitate et contractilitate, organica pars inflammatione correpta. Comparationem si instituimus phlegmasiam respirationis organorum inter et systematis glandulosi, fibrosi aut ossei, quam discrimen insigne! Priori tantum aliquibus opus est horis ut ad summum perveniat gradum, dum in altero casu tardissimè et segniter proserpit. Omne igitur a vigore in organo præexistente petendum.

Non solum in decursu suo discrimen efficit inflammatio, ratione systematis ea affecti, ast terminationes variæ ejus variant pro partis organicæ diversitate quam illa occupat.

Sentimus nos ab objecto deviantes, verum considerationes has tantummodò allegamus ad naturam et essentiam inflammationis dilucidandas, qua, aliquibus in casibus, corripitur lien; sequentia, ad hoc, nobis proposuimus corollaria circa viscus illud adnotanda.

1° Inflammatio lienis vera et acuta rarissimè observatur, chronica quamvis rara, magis de ejus essentia est.

2° Exitus inflammationis lienis, qui in vasis capillaribus activitatem supponit uti suppuratio, gravissimas debet agnoscere causas, et admodum rarè occurrit.

3° Omnia symptomata splenitidi propria uti dolor et calor mitiora et cum minore velocitate procedunt.

4° Modus terminationis potius in debilitate et torpore capillaribus organi inducta, excitatione prægressa, consistit.

Hucusque solum momento suo ponderavimus diversas lienis prædispositiones, quibus ad classem specialem morborum organon illud ex natura suæ fabricæ et vitalitatis modi obnoxium est; celeberrimos inter auctores artis medicæ nullus invenitur de alio genere morborum mentionem faciens scilicet nervosorum, attamen nervi splenici plexus a plexu solari procedentes et sese ad textum lienis distribuentes probabilitatem hujus expositi præsentire nos faciunt. Idcirco, absentia omnis structuræ musculosæ in liene a convulsionibus totaliter organon illud prævertit; hocce intuitu neuralgiæ (dolores et spasmi) ferè unicè ad nostram provinciam spectant: dolores lienis enim non rarè observantur; quoad spasmos, de his ni fallimur auctores mentionem non faciunt, quamvis non dubitamus quin locum habere possint.



*Sect. II. DE ORGANIS SYSTEMATIBUSQUE IN MORBIS LIENIS  
SECUNDARIÈ AFFECTIS, DISQUISITIONES GENERALES.*

Læsionum inductarum disquisitio a lienis alterationibus, attentionem maximam meretur; est per accuratam observationem ipsam morbificorum, in differentibus corporis systematibus secundariè ortorum phenomenon, quod modo directo aut saltem plausibili, vera lienis functio in lucem afferri potest. De prædispositione lienis morbifica hactenùs sermo fuit, agemus nunc de secundariis effectibus, quas hujus organi morbi post sese trahere valent, vel in alia corporis organa determinant.

Bina in lienis morbis morbosa oriuntur phenomena ex una eadem fonte profluentia, priùs consistens in turbata functione hujus organi, alterum systemati secretionis bilis turbas communicans: posterior horum effectuum necessariò consequentià prioris debet esse: organa hæc verò tales, ut clarè et adamussim demonstratum, inter sese alunt consensum, ut nequidem unum potest affici, quin alteri affectiones ipsius communicentur; sic igitur a momento hoc, quo in liene contensus sanguis qualemcumque patitur alterationem in proprietatibus ejus, non ampliùs suo modo organicam sensibilitatem textus hepatici excitare valebit: ut apprimè notum enim est, in sanguine venæ portarum hepar sibi selegit ad bilem secernendam principia convenientia, illa elaborat et indè liquidum viscosum amarum sub bilis nomine cognitum format: cæteroquin effectus præcipuus, quem in organon exeret biliferum sanguis splenicus, in excitatione quadam huic systemati communicata, consistere videtur, qua in hocce organo species continui erythismi oritur ad functionem illam in actum ducendam necessarii. Alius ipsi foret alienus stimulus.

Illis consideratis et indigitatis, quotiescumque morbifica lienis ægritudo talem in conditiones naturales laticis vitalis in textu ejus contenti, conversionem inducit, ut ne ampliùs ad bilis secretioni inserviendum aptus sit, totiescumque pro inevitabili con-

sequentia, primariam liquidi biliaris depravationem habebit. Primordialis hæc tristis, cui lien morbificè affectus ansam præbet, sequæla est: secundariæ jam veniunt ægritudines ab alterata bile explicandæ; sed antequam materiem hanc ulteriùs ingrediamur, hoc adnotandum volumus, nostrum opus non esse, hic omnes successivè proferre et describere alterationes multiferas, quas in lienis vitiis, bilis pati potest; sufficit enim liquidum illud, uno alterove modo in proprietatibus mutetur, ita ut ne ampliùs adimplere possit functiones ad quas destinatum est.

Massam alimentarem per aperturam pylori in intestinum delatum duodenum, novis a bile et succo pancreatico actionibus petendis, submitti, massam illam chymosam aliàs, ista præparatione accipere qualitates, et portionem chylosam a residuo excrementitiali recedi, tandem bilem etiam ipsam duas in partes unam nutritioni non aptam, et contractionibus tubi intestinalis provocatis, cum materie excrementitiali transeuntem, alteram, quæ cum nutritivo succo absorbetur et in sanguinis circulum defertur, separari, principia nos docent physiologica.

Dificilis igitur haud erit indagatio, in organon a priori post alterationem in elementis bilem constituentibus affectum: pars canalis intestinalis superior (ventriculus et duodenum) lapsu temporis brevissimo, labe affligitur, sive hæc ob bilis penuriam sive propter ejus qualitates perversas, quas acquisivit, oriatur. In priori casu cum organicæ partes illæ non ampliùs stimulo naturali et assueto incitentur, languescunt atque debilitantur, exindè in stomachum introductæ substantiæ alimentares cum molestia digeruntur, cruditates acidæ generantur, nausæ, vomitus frequentes et plurima hujus generis enascuntur mala. In altero autem casu non solum carent irritamento naturali viæ digestivæ, at præter hocce, alieno et perverso torquentur liquido.

Partem amaram coloratam oleosam et stimulantem bilis cum residuo fœcali chyli, chylicatione peracta, per canalem intestinalem transire, stimuloque in intestinis ad materiarum excrementitiorum progressum debitam reactionem provocare, in præ-

cédentibus enarratum est. Dum igitur ratione status morborum lienis, bilis perversa vel quantitas ejus minor erit, debilem, imo nullam, a parte istius liquidi inducendam, extractum nutritioni aptum, subibit mutationem, et imperfectè ab excrementiali portione disjungetur: itaque deficiet excrementis ad intestinales contractiones in actumducendas stimulus conveniens, undè constipationes rebelles, quibus, morbo lienis affecti ægrotantes torquentur; materies alvina sicca et decolorata, uti in futuro videndum, deponitur; in aliis circumstantiis, in quibus bilis quantitas non infringetur, ast ejus qualitates nocivæ fient, loco alvi adstricti, diarrhæa foetida corrodens lienosos morbos nonnunquam concomitatur; quæ pro causâ et etiam quandoque agnoscere potest cruditates ab alimentis ægrè digestis, ob præternaturalem stimulum, peristalticum motum atque secretionum intestinum mucosas, perturbantes.

Ast quæ huc usque consideratæ affectiones secundariæ, ut levisimæ exstimandæ sunt relativè ad illas è detractone aut cessatione totali chyli absorptionis in tenuibus intestinis, oriundas: sic primus effectus indè pullulans specialis, penuria est laticis vitalis; secundus exhalationum atque secretionum omnium depauperatio, et ultimus nutritionis læsio vel abolitio.

Ægritudines illæ omnes ex uno et solo antea jamjam latè exposito principio surgunt: nutritio vero, assimilatricium functionum complementum infirmationem, ab illa subtractione, plus minusve insignem in functionibus ejus pati debet; in humanum corpus intronsum, et stomachi in chymum conversum actionibus, alimentum non amplius restituere valet deperditiones, quibus continuo, stante vita, exponitur machina animalis: defectus verò sanguinis pro primaria malorum caterva, languorem, debilitatem, consumptionem et ipsam organismi partium viventium mortem indubitanter post se trahit. Ab alia parte cum quantitas cruoris undique deficiat, exhalationibus secretionibusque dicata organa, clarè demonstrant turbas quibus afficiuntur.

Omne hactenus enodatum ad sanguificationem ratione chylificationis læsæ, relativum tantummodò est; ast apud ægrotantes

morbo lienis correptos, quædam ad sanguificationem læsam in sensum venit alteratio; de perversa loquimur coloratione, qua defœdata ac inquinata est cutis: *quibus lien obstructus color cutis plumbeus*, pronunciavit divus *Hippocrates*.

Phenomenon illud jamjam ab antiquissimis ac remotissimis temporibus, uti patet observatum et descriptum fuit; de ejus tamen essentia parùm in medica re cogitatur: quæ igitur proxima causa hujus phenomèni? An propter perversam indolem sanguine inductam absorptione materiæ nigrescentis et in splene stagnantis, aut in sanguine retrogressæ? huic opinioni minimè fides adhibenda. Vel an a sanguine nimia quantitate carbonii et hydrogenii inquinato in sanguifero systemate circulante, dependet? num in hanc theoriam aliquid afferre possumus, videamus.

Proprietates sanguinem arteriosum acquirere venosas in innumeris circulando viis systematis capillaris, ibi relinquere oxigenium suum et sibi assumere principia alia nova, carbonium scilicet et hydrogenium, per leges chemico-physiologicas liquet; præsentiamque elementorum horum in venoso sanguine scimus et etiam eò manifestiorem, quò lentius in corporis diversis vasis circulat fluidum hoc, et in eis, majora ipsius progressui occurrunt obstacula. Si attentionem nunc nostram versùs venæ portarum systema intendamus, facilè perspicemus, in hocce, sanguinem venosum omnes præbere characteres ipsi proprios, et ut ita rem explicemus carbonium et hydrogenium in excessu habere. Licet vero omne ibi a parte structuræ et vitalitatis modi dispositum sit, ad sanguini tarditatem et moram inducendam, principia attamen illa carbonii et hydrogenii multum bilis confectione arripiuntur et dispensantur (1).

Hisce perspectis patebit, cur, quum bilis secretio debilitetur, alteretur, aut totaliter infirmetur, lienis quadam affectione, qua in eo contentus sanguis ulterius idoneus haud est ad bilem pro-

---

(1) Quamvis affirmare non volumus organon esse hepar pulmonum auxiliare, quo carbonio et hydrogenio sanguis depauperaretur; tamen hoc solum volumus, ingentem horum principiorum bilis secretionè dispensari quantitatem.

ducendam, quamobrem nimis, corpora illa carbonium et hydrogenium, bile deficiente, extra corpus non amplius eliminantur; in nimia manent autem proportione in vasis, ut ab atmospherico aere, respiratione in systema pulmonale introducto, totaliter destrui aut decomponi possint: ob defectum dispensationis in hepate principia hæc magis magisque increscunt, systema respiratorium ea auferendi capax non est, quum hydrogenium et carboneum in sanguine nimis abundant, et sanguis arteriosus sic alteratus proprietates illas venosi acquirit; ita non solum omnes partes corporis penetrat et colorem sanguinis illius nigri communicat sed statu percutit stuporis et incuriæ.

Si bene autem in coloris illius peculiaris naturam investigemus, et accuratè in periodum, qua in lienis obstructionibus occurrit attentionem intendimus, illam in bilis secretionem abnormitates agnoscere, convicti erimus: quodnam verò tempus, quò lienosis supervenit? quis ejus evolutionis modus, et quomodo ingravescit? nonne ut plurimum versus secundum morbi stadium, quò liquidi biliaris secretio imminui aut alterari incipit, uti ex alvi adstrictione pertinaci et aliis digestionis ægritudinibus patet: nonne modus ejus invasionis et progressus lentissimus et sensim sine sensu augetur et ad summum pervenit, in omne periodos perfectè concomittans alterationis bilis. Itaque ideam saltent plus minus claræ circa depolarationem entis lienosis propriam acquirere possumus, quæ in sanguine nimis carbonisato ac hydrogenato secundum hanc doctrinam consistere videtur.

Quoad chemicas proprietates, tales sunt principales sanguinis permutationes. Dilucidandæ veniunt aliæ ab obstaculo in ejus modo progrediendi oriundæ.

Intelligitur autem quum capillaria alicujus visceris vasa inertia fiunt vel obstruuntur, sanguinem a tergo continuo per arterias impulsam haud amplius in textum organi propelli posse, et eatenus vasorum majores truncos inter corporales et organon obstructum distendi debere, cum respectiva hujus fluidi quantitas in canalibus, in quibus circulat, augmentum patitur. Phenomenon

hoc in lienis morbis evenit, quando ratione obstructionis status in organo existentis, sanguinis transitus arteriosi impeditur in venas; arteria igitur splenica expanditur ob laticis vitalis aditum continuum, et in verum tandem aneurismaticum statum abit. Arteria aorta atque sinistrae cavitates cordis eodem nonnumquam afficiuntur statu, nam evictum est, dum aliquod vas ob majorem in ejus cavo contentam quantitatem sanguinis propter obstaculum in quodam organo existentis dilatatur, quod lapsu temporis tunicae ejus relaxari atque debilitari debeant.

De quo jam sermo est, status ille varicoso aneurismatico vasorum lienis morbis inductus, ex tumefactione ac livore in facie aut symptomatibus apoplexiae similibus vel autem per diversos in diversis corporis regionibus sanguinis fluxus ut plurimum narium et pulmonum saepe diagnoscitur. *Lienosos, hæmorrhagia narium superveniente, levare*: ait sagax medicinae parens (1). Pulsus quoque ille durus et plenus quem practici in ægrotantibus lienis obstructione correptis, observant ad eandem causam referri potest.

Secundariae omnes ægri tudines hactenus descriptae et dilucidatae, ab una eademque fonte originem sumunt; id est, phenomena omnia talem inter sese ligationem alunt, ut, unum indubitanter ex alio procedere debeat; itaque visum, lienis morbos in bilis secretionem vitia producere; perversa bile, inde systemata alia uti sanguineum, nutritivum et similia, quae imperio ejus reguntur, alterari; ast organi cerebri gravissimae turbae, quomodo in lucem proferendae? qui explicandus status ille moestitiae, quo miseri ægrotantes diu noctuque cruciantur? ad quam verum referendam causam delirium illud melancholicum cujus tristissimam effigiem vix calamus describere queat? quo auxilio haec obstructionibus lienis phenomena propria, perlustranda? admodum in arte medica celebri verbo uti sumus coacti; de consensu insigni qui inter vias digestivas et centrum encephalicum viget, quaestio est.

Illustrissimi in arte medica observatores semper scrutari mate-

(1) Hipp: in epidem. vide Biolan anthrop, pag. 215.

riem, de qua jam, agitur tentaverunt, ast parum huic attulisse lucis, confirmat eorum circa hanc rem altum silentium; modus, quo consensus ille in actum ducitur, omnino nos latet et eorum tantummodo effectuum non nescii sumus. Ast revera multiplex est numerus viscerum abdominalium morborum, ægritudines et varii generis abnormitates in organon cerebrale producentium; ita plurima dantur deliria in abdominis visceribus originem sumentes specialem; celeb. viri *Morgagni* et *Tissot*, organon cerebrale intactum in pluribus casibus delirii per autopsiam cadavericam demonstrarunt, dum viscera abdominalia, manifestis scatebant vestigiis læsionum in organis illis, existentium.

Quoniam hæc considerationes apertissimè et planissimè naturam nexus inter organon entepthali et vias digestivas, enucleare non valeant, attamen integram probant veritatem nostri, de sympathia cerebri cum digestionis organis, propositi.

Sed antequam huic articulo finem faciamus, cur in abdominalium viscerum obstructionibus et præsertim lienis, passionibus cerebrum sit affectum tristibus, ab ingrata simplicissima et molesta sensatione, usquè ad melancholicum perfectum delirium, haud immeritò petere licitum est; quare enim horum indolem indiscriminatum non offendimus vel mitem, furiosam, aut hilarem? omne desuper cogitandum meris innititur hypothesis; nihilominus id momento suo ponderari potest, omnia *pathemata animi tristia* specialem cum organis digestionis vinculum habere; 2<sup>o</sup> sensationes easdem, intacto cerebro, posse enasci a morbificâ eorundem viscerum affectione.

Præter consensum hasce inter corporis regiones, quo intellectus organi abnormitates denucleantur, illi, accedere possunt causæ aliæ, ordinem naturalem hujus nobilis partis mutandæ capaces: sicuti verò a sanguinis penuria et perversis ejus qualitatibus omnes secretiones, omnes exhalationes infirmantur, et cum molestia munere funguntur; sicuti omnes corporis partes debito spoliantur nutrimento, et eorum functio tædiosè peragitur, ita cerebrum et omnia, quæ imperio suo reguntur organa, de hisce calamitatibus participia meritò esse possunt.



Quæ in tota œconomia animali oriri valeant jam delineatæ ægritudines secundariæ, opus hic non absolvunt; propter volumen ingens, quod multis in morbificis affectionibus lien acquirere potest, partes vicinæ, cum quibus mediatas aut immediatas alit connexiones, tali modo molestari possunt, ut eorum negotia planè inde pervertantur. Hujus visceris extensio non raro tam enormis evadit, ut ex œsophago alimentorum in stomachum transitus impediatur, cum inter hepar et lienem tumidum præmatur ventriculus.

Apud illos, quibus lienis volumen nimis auctum propter impeditam diaphragmatis descensum, respiratio plus minus difficilis et anhelosa offenditur: pulmo in hocce casu lateris sinistri ægrè expanditur, consequenter in ejus cavitatem aer difficile introducitur et laboriosam reddit respirationem; functiones inde impedit cordis et palpitationes ingentes nonnumquam excitare solet.

Œdema extremitatum inferiorum brevissimo lapsu temporis in anasarcam et ascitidem abiens in obstructionibus lienis frequenter observatur (1).

### Sect. III. DE LIENIS MORBIS IN SPECIE.

Ad sequentes referri possunt omnes lienis morbi: 1. ad obstructionem; 2. summam laxitatem; 3. ad inflammationem et ejus sequelas uti chronicam inflammationem, indurationem, suppurationem, adhæsivam inflammationem, tandem gangrænam; 4. hydatides; 5. statum callosum et cartilagosum; 6. atrophiam; 7. plethoricum statum; 8. hæmorrhagias; 9. nevralgias; 10. et mutatum positum.

Multiplicare horum numerum morborum, e symptomatibus foret creare morbos.

(1) Vitio lienis hydrops nascitur. — Riolan anthrop. lib. II. pag. 137. secund. Hipp.



## OBSTRUCTIO LIENIS.

*Synonyma*: Morbus niger. Atrabilis. Moelena. Splenalgia. Spléen. Emphraxis splenis. Physconia lienis (1).

*P. I.* Antequam historiam hujus ægritudinis aggrediamur, aliquas de *causis* lienis obstructionis considerationes generales præmittemus.

Primarias inter causas recenseri possunt *hepatis morbificæ affectiones*, in quibus bilis secretio impeditur, aut totaliter aboletur: morbi igitur lienis indè redundantes, pro primaria causa, obstaculum, in hepate aliquod, per illud viscus sanguinis transitui obicem ponens, ut plurimum agnoscunt. Si enim confectioni bilis dicatum systema capillare debilitatur, infirmaturque, a quacumque supposita causa, sanguis a liene per portarum venam adveniens ad hepar, iter ulterius per organon illud facere nequit; necesse enim est ut stagnet cum ipsi via datur nulla aperta, per quam circulare liberè et commodè valet; debet autem refluxum versùs illa organa pati, undè immediatè fluit; obstruitur igitur lien, ejus perturbantur functiones, tandem silent totaliter, non solùm quia comprimitur a venoso continuo refluente sanguine et textum dilatante, sed quia arteriosus sanguis indesinenter in ejus substantiam proruens magis magisque organicum textum extendit. Sicuti lienis ægritudines hepatis producant vitia, ita vitia quoque hepar malè affectum in liene determinat.

Neque silentio prætereundus est *abusus spirituosorum*; excitante

(1) Multitudine illi affectioni denominationum dicata artis libri abundant. Itaque obstructio lienis vel aliarum abdominis partium morbus niger ab Hippocrate nominata fuit: atrabilis-moelena ab aliis: splenalgia a Zwediaur; in anglia sub nomine *spleen* cognita est. Inter illas opiniones diversas fluctuantes, nullam harum designationum adoptare potuimus; nam hic atrabilis, morbi nigri etc., denominatio, tam obscura nobis videtur quam splenalgia, quæ accurato sensu nihil aliud quam lienis dolor designat; quoad significationem *spleen*, quæ tantummodò est verbi latini corruptio omnium maximè impropria. Ad causam itaque proximam confugimus et morbum de quo sermo jam est sub nomine obstructionis, designavimus; forsàn hæc vitiosè, sed sufficit rem intelligamus.

spirituosa et speciali vi in systema hepaticum venamque portarum et per associationis vinculum in lienem agere, compertum habemus; eorumque nimis protractum usum et repetitum non solum propter nimiam prægressam excitationem, inactionem inducere, sed quoque in illo systemate nonnumquam obstructions produxisse, hodierna confirmat experientia. Potulenta hæc propter functionum associationem languoris et debilitatis statum (legitima consequentia dum per longum tempus validiori irritamento pars aliqua vivens stimulat) lieni communicant. Ad hanc causarum classem merito referri possunt, spirituosi liquores, ætherei, aromatici, stimulantes; opium, scilla, cortex cinchoninus, emetica, violentiora purgantia; cibi austeri duri sicci annosi, etc.

Alia datur series causarum, modo omnino opposito præcedentibus agentium; sunt in viis digestivis substantiæ introductæ, non per stimuli excessum, laxitatem et debilitatem hisce organis inducentes, sed merè defectu debitæ stimulationis agentes (1) quo reactio vasorum in liquida infringitur et humorum stagnationi et congestioni ansam præbetur. Ad hanc revocantur seriem, potuum aquosorum usus præcipue tepidorum, ut thé, coffé, juscula carniuum nimis aquosa, juscula herbarum, alimentorum defectus, mucilaginosorum et oleosorum usus, et alia ejusdem generis.

*Motus muscularis.* Contractiones musculares, ut notum per physiologiam, in venis sanguineam circulationem admodum activant, quarum defectus, ut causa efficacissima ad inducendum in lienem debilitatem nostrâ dignus attentione, quotiescumque imminuentur aut perfectè cessabunt; undè quies protracta, exercitii defectus positus curvatus, etc. ut potentiæ debilitati determinandæ sufficientes in venæ portarum systemate, perpendi possunt.

*Animi pathemata.* Quod ferè omnium œconomix animalis in venæ portarum systemate lentiùs circulatio peragatur ob rationes jam latè explanatas, allatum est. Si nunc perspectos teneamus effectus ex animi debilitantibus pathematibus et circulatorium

---

(1) Debilitas directa *Brown*.

systema afficientibus redundantes, nemini non patebit, quare viscus, in quo a natura lentior sanguinis motus et minore fit facilitate, prius affici debeat, quum a quacumque causa energia generalis systematis circulatorii, infringitur. Efficiunt id, tristes animi passiones duplici modo; primò vires totius systematis cordis et vasorum diminuendo, et secundò specialem exercendo in viscera abdominalia effectum, præcipuè in digestionis organa: deprimunt enim animi pathemata illa vitales motus horum organorum, undè canales circulatorii minus urgent aut propellant fluida; tardius fit motus et ad quietem reducitur sanguis, et lienem plures ad affectiones eò graviores quò violentior atque diuturnior fuerit eorum influxus, disponunt.

*Aer humidus et calidus* debilitatem et laxitatem inducendo ad obstructions lienis viam struit.

Duæ sunt *constitutiones* infarctui lienis obnoxia, prima illa, quâ donati homines, quibus in sanguine abundans est fibrina, immunito sero, hæc atrabilaris audit temperies; homines ad eam referri possunt, illi, qui per negotia coacti sese exponere aeris calidi æstuanti fervori, quo multum consequenter, sudoribus continuis, de sanguinis massâ dissipatur: alterum est temperamentum subjectis lymphaticis proprium, quorum fibræ laxæ et debiles minorem præbent resistantiam liquido circulanti. Harum conditionum, una ad laticem vitalem, altera ad solidas partes relativa.

Obstructionibus specialiter afficiuntur lienis *ætate propeiores feminae*, quibus menstrua remanent: prædisponuntur quoque matres, numerosâ prole effætæ. In universum generalitèr in lienis obstructions proclives sunt ii omnes coacti inflexo corpore munera peragere, uti hortulani, sedentarii litterati, scribæ, typographi compositores, coronarii, pistores, etc.: hîc enim ex tali situ si consideremus canales abdominis exindè curvari et inflecti debere et per hos inflexos et curvatos sanguinem difficilius moveri, cum in eodem tempore ob difficilem agendi modum musculorum respirationis, et inactivitatem systematis generalis motorii, sanguis venosus per venam portarum difficilius propellitur, lien omninò ab hacce parte obstructioni exponitur.

Quoad *etatem*, compertum est obstructioni lienis specialiter homines disponi versus secundum vitæ stadium. (Circa quadraginta aut quinquaginta annos) hoc vitæ tempore in lienis morbos proclivitas facilè dilucidatur: legibus corpus humanum regentibus scimus enim arteriosum systema magis juvenili ætate adolescentiæque vigere, ætate proveciore verò venosum; undè sequitur plethoram venosam circa stadium illud occurrentem, nonnumquam ut lienis obstructionis causa aspici posse: est igitur in hoc statu, quod prius venæ portarum systema superpondio sanguinis venosi afficitur, cum minorem undique sanguini in eo lentius circulanti præbeat resistantiam.

Ubi endemicæ sunt lienis obstructiones, *climata et regiones* observantur; sicuti in Anglia, in Hungaria, Italia, Hollandia septentrionali, etc.

Ultimam seriem causarum complent *morbi prægressi varii*, capaces ægritudines lieni inducendi. Classes diversas perscrutando morborum, illos, quibus debilitas aut laxitas prædominat, lienis ægritudines concomitari, invenimus semper. Patet itaque, cur longi morbi, quibus signum characteristicum debilitas est, tam propensam ad istius partis morbos inducendos, ostendunt proclivitatem, undè in acutis, in quibus omnes natura intendit vires, rarissimi sint. Quamobrem intermittentes febres non infimum occupant locum in producendis alterationibus lienis, eò magis quò, quæ eas præduxit, causa profundius nervosum systema attegit. Veniunt hic febres præcipuè quartanæ, quotidianæ et tertianæ, protractæ, et a miasmate ortæ, palludosæ, perniciosæ, verbo omnes quarum indoles specialis est virium fractura et partium solidarum laxitas, his adjungendæ intermittentes febres illæ, nimis citò per corticem cinchonæ, tonica aromatica, spirituosa, drastica, et alia ejusdem generis, jugulatæ.

Superfluum et inutile foret, omnes indicare succinctè chronicos morbos, qui lienis obstructionem determinant, sicuti scorbutus, hydropes varii, icterus, scrophuli, etc. id enim nimis longum et tædiosum, ac de nostra non esset provincia.

Quoad *acutos morbos*, sunt illi, in quibus ad degenerationem proclivi sunt humores, uti in typhis, in putridis, aut in quibus metastatica fit depositio versùs lienem, quòd obstructions observari possunt.

Si omnia, de causis lienis obstructionis hucusque tradita, benè revolvamus, morborum lienis causas in hoc commune focum convergere ut per parenchyma splenis laticis vitalis transitum impediant, ejusque progressui obicem ponant et sic in vasis hujus organi congestionem et stasi faveant, facile erit visu ac perspectu.

*P. II.* Perlustratis causis, opus hic erit paucis ideam causæ proximæ mirifici hujus morbi pingere, de qua tam obscura hucusquè habetur doctrina. A quacumque igitur causa lienis textus debilitatur relaxaturque, ita ut canalium parietes non amplius impulso sanguini et ipsi advenienti, resistere possint, dilatari debent et in eis contentum liquidum, lentius quam par est, propter vim resistantem minorem, sensim sine sensu promovetur; et uti jamjam sæpiùs allatum, in textu lienis humores cum minore activitate circulant, obstructio faciliùs atque citius indè enasci potest: quousque enim inter vasorum vim resistantem et cruorem debita est proportio, liberè et commodè per omnia vasa progredi potest liquidum hoc.

Itaque in parenchymate lienis contentus sanguis insensibiliter ad quietem et meram reducitur stagnationem; cum hujus fluidi transitus impeditur ob jam existentem infarctum, liquida a tergo advenientia et ante obicem retenta magis magisque volumen organi augment et distendunt: in hac periodo lien non amplius adimplere valet munus ad quod destinatum est; cum sanguis sibi viam facere nequeat per textum organicum, et quum consequenter per venam splenicam fluidum hac ad jecur parùm, aut totaliter non vehitur, bilis secretio si omnino non cessat multum tamen a naturali statu recedit.

Provectiore verò morbo, durus compactus atque ponderosus ulterius minimam admittere valet lien sanguinis quantitatem in ejus textum; in vasa vicina refluit atque remota fluidum hoc, ibi

stagnat, vasa distendit, et intestinorum aut stomachi oscula exhalantium vasorum transcendens, in canalem cibarium exhalatur, ibi depositum accumulatur, donec qualitate aut quantitate contractiones musculares illius tubi vellicans foras per vomitum aut alvi fluxum expellitur. Periodus, qua evacuatio hæc in lienis obstructionibus evenit, sub nomine atrabilis mobilis designata fuit, et hujus hæmorrhagiæ causa proxima, vasorum brevium stomachi erosioni tribuerant pathologi; ast doctrina hæc, omni fundamento nobis denudata videtur, et ut exhalatio sanguinea passiva vera, sanguinis ille fluxus habendus (1).

Itaque, hisce perspectis, ut ordine aliquo symptomata exponamus, cursum totalem, quem obstructio lienis in ejus modo, progressionis ostendit, tria in stadia dividere non inutile duximus: nimirum 1° in stadium, quo sanguinis circulatio in liene imminui incipit; 2° in stadium stagnationis; et 3° in illud, in quo hæmorrhagia observatur.

*P. III.* Perlustratis tam remotis quam proxima causis, ad enumerationem symptomatum pervenimus: ut plurimum incipit morbus cum ingrata molesta plus minusve sensatione, in initio tamen levi, quæ in abdomine persentitur specialiter: insensibiliter hypochondrium sinistrum et præcipuè lienis regio, sedes fit sensus gravitatis et ponderis; de motu undulatorio in hac parte admoventur ægrotantes; qui, post plus minusve longum tempus, in meram pulsationem, systholi et diastoli correspondentem cordis, abit; (2) præsertim si, ab animi pathematibus, musculari motu, digestionem difficili, causisve aliis sanguinis motus incitetur. Abdo-

---

(1) Quoniam ad nostram dissertationem non pertineat dilucidatio mechanismi, quo fit sanguinis hæc evacuatio, attamen plusquam probabile est, illam non per erosionem vasorum fieri, sed per exhalationem, nam numquam in cadaveribus erosiones illæ reperiuntur, et si ab erosione aut ruptura vasorum dependet, quare hæmorrhagia hæc semper locum habet in aliquâ membranæ mucosæ portione et non in aliis locis tam vicinis quam remotis?

(2) Solertias. observ. doct. *Jacobs* allegat ad hoc, aliquibus in casibus tam manifestè posse observari illam pulsationem, ut nudis oculis, trans vestimenta ægrotantis percipi valeat. Vide de mœlena multipl. *J. Jacobs*.

minis dolores et præcipuè cardialgia, pro diversis circumstantiis varii illis accedunt, Sensim sine sensu de assidua sensatione ponderis circà ventriculum, atque de constipatione pertinaci conqueruntur ægrotantes; materies fæcalis sicca, quod hîc ordinarium, quandoque solida, argilacea, indurata, exiguique diametri aut potius applanatæ figuræ, transpressa, tardiùs parciùsque cum inani et difficili desidendi conatu, prodeunt. Urina parca, aliquando profusa limpida aquosa, quandoque crassa expellitur. Apparere nonnumquam hocce tempore hæmorrhoides, sæpius ab artis observatoribus visum est.

Itaque, summo cum lentore, ad secundam periodum, in qua ob sanguinis perfectam stagnationem in liene, hepaticum systema labefactatur, proserpit morbus; symptomata autem, quæ hacce in periodo aparere solent, ex bilis secretionem læsa specialiter petenda erunt.

Quam in initio morbi observavimus, in loco, quem occupat lien in statu naturali, pulsatio illa insensibiliter evanescit, et in tumorem plùs minùs voluminosum, durum, tactu perceptibilem, et pressione dolorificum mutatur. Læditur digestio, nauseis, materiæ acidæ vomitibus frequentibus corripitur, siti afficitur intolerabili, insuper in latus affectum ferè impossibilis evadit decubitus, positionemque erectam cum summo quærit delectamento ægrotans.

Quæ hucusque omnia vidimus symptomata, concentrata sunt in abdomine: temporis lapsu difficilis fit et anhelosa respiratio; de anxietate præcordiali summâ, cordis palpitationibus frequentibus, indesinentèr, conclamans est æger; tussi sicca quoque afficitur, et pulsus ejus rarus, durus, plùs minùs fortis invenitur: sensim sensimque in colore naturali cutis alteratio detegitur, qui priùs pallidior, fusco luridus fit; lividæ et brunæ maculæ regionibus in diversis corporis, circumcircà orbitas præcipuè, sese monstrant: hæmorrhagiæ de tempore in tempus, et præsertim naris sinistri nonnumquam, ut memoriæ tradidit summus *Hippocrates* (1),

(1) Lienosos hæmorrhagia superveniente levare. *Hipp. in eoid.* Vide *Riolan anthrop.* p. 115.



observantur, idem de hæmophysi et hæmorrhoidibus valet; tandem aliquibus in casibus, aut generalis macies cum vultu tumido et decomposito, aut anasarca, aut leucophlegmasia ægrotantis interitum præsignant: tanta alimentorum in hoc stadio est inappetentia ut ne ullum tandem ferri possit, exinde talis debilitas ut proeminentes, marcidi et torpidi musculi ad levissimum motum imbecilles evadant. In hac rerum facie, frigida, rudis, fœda, retracta et dura cutis est: oculi cavi in orbitas retracti luctuosam corporis imaginem præbent, observatorem horrore percutientem.

Si morbus hic diu perseverat, turbatur intellectus organon; morosi et inquieti fiunt ægroti, secundum observationem ornatiss. doctoris *Jacobs* (1), involuntario instinctu continuo versus speculum vertuntur, horridum vultus aspectum, explorandi causa; solitudinem quærunt, et tempore somni tericulamentis imò noctambulismo nonnunquam afficiuntur: demum perfectò melancholico corripuntur delirio, quod sæpius ad suicidium ipsum observatum est. Alienus ægrotantium vultus, suspiciosa eorum iadoles, et summâ cum attentione attendunt ad omnia quæ circumcercâ eos peraguntur; verbo concentrari in se ipsis videntur miseri illi.

Talia sunt symptomata principaliora, quæ secundam cum ultimâ ligant hujus morbi periodum. Dum igitur per totum organon completa evasit obstructio, ad membranæ mucosæ ventriculi aut intestinorum superficiem fit hæmorrhagia, undè sanguis sæpè sub formâ liquidi summè tenacis et ferè picis duritiem habentis, acerrimi et acris, per vomitum aut per alvi fluxum expellitur; ast quàm evacuatio hæc tristissimam insequitur catervam symptomatum! Summa adest debilitas in omnibus corporis functionibus, fœda vultus est decompositio, ingrâtè pallet aut quandoque livida, lypothimiis frequentibus, syncope, imò aliquandò alicujus membri paralyti, superiorum præsertim, æger afficitur; pulsus ejus frequens, parvus, quasi imperceptibilis; frigus marmoreum per totam corporis superficiem dominat, ita ut ipsissimam mortis imaginem, in omne referat.

---

(1) *Jacobs* de mælena multiplici, pag. 69.



Dum jam per sanguinis evacuationem depletionem passa sunt vasa, et ægotans morti non occumbit, symptomata, quæ antea ægrum obsesserant, quodam tempore alleviari videntur: quàm perniciosam levamen! Ægroti interitum aperto ore invocant; post tempus enim plus minusve breve, reaparent priora enumerata, majore quidem vigore exsurgunt, et ultimum ægotantis extinguunt spiritum.

Autopsiæ cadavericæ, quæ hujus diræ affectionis existentiam demonstrare, amplè, celeb. a viris *Tissot* (1), *Morgagni* (2), *Lieutaud* (3) et *Portal* (4) descriptæ sunt. Ita loquitur *Lieutaud* de liene, quæ ferè totam implebat abdominis cavitatem (5). *Morgagni* de obstructo liene casum nobis refert, in quo organon illud æquum ac hepar habebat volumen, in alio casu invenit lienem quinque libr. ponderantem. Citatus *Lieutaud* (6) tricennarii ponderis descripsit splen.

#### DE LIENIS MORBOSÀ MOLITIE.

Præcedenti articulo adnectere potuissemus ægritudinem de qua hic agitur, ast cum sine ulla obstructione locum habeat morbosa lienis molities, vel laxitas, conflavimus indè separatum genus.

Nimiam frequentissimè offendimus lienis textûs molitiem, in scorbuto (7), in febribus typhosis, in putridis, in paludosis præcipuè intermittentibus, in et larvatis perniciosis, in hydropicis morbis, in ictero. Et nonnumquam in morbis pulmonum, uti in pneumonia (8). A clarissimo professore *Van Rotterdam* de venæ sectione in suo opere, casum allatum summæ laxitatis lienis, post pulmonis dextri destructionem, hic transcribimus: » *La cavité droite,*

(1) *Zimmermano, Tissot.*

(2) *De causis et sedibus morborum.*

(3) *Historia anatom.*

(4) *Anatomie médicale.*

(5) *Lieutaud, hist. anat. tom. 1. pag. 218.*

(6) *Lieutaud, hist. anat. obs. 933.*

(7) *Lieutaud, hist. anat. med. obs. 965.*

(8) *Lieutaud, hist. anat. obs. 850, 967, 990.*

(scilicet pectoris) » était toute remplie d'un pus ichoreux et très-fétide; et chose bien singulière, il n'existait plus aucun vestige du poumon droit qui était tout-à-fait consommé avec ses membranes, vaisseaux, nerfs, etc. tandis que les parties voisines étaient restées intactes. Cavité abdominale, tous les viscères sains à l'exception de la rate qui avait un volume double du naturel, et dont la consistance était si molle qu'elle se déchirait au moindre attouchement (1).

## SPLENITIS.

### P. I. Splenitis acuta.

*Synonyma*: inflammatio acuta lienis.

*Causæ*. Longam seriem causarum lienis morborum perscrutando, nullæ ferè inveniuntur, statum proprietatum vitalium hujus organi augere valentes, omnes ferè illæ, quæ energiam vitalem splenis infringunt aut diminuunt, adamussim detegi possunt. Si verò ad inflammatorium statum facientes causas, nostram vertimus attentionem, nullam verùm reperiemus specialem ad phlogosim lienis inducendum idoneam, omnes enim, ut ita eloquamur, accidentales et tam obscuræ, ut ne quidem in artis libris de eis agatur. Itaque aliquas præter causas externas, uti ictus, lapsus et alia similia, re ipsâ ignorantur aliæ omnes: cum omnibus organis circulatorii systematis, de hoc particeps est lien; quod verò cordis et vasorum morbos impenetrabile velum nostris desquisitionibus, non substrahit! Ita meritò dici potest, organorum illorum solùm, quæ cum ambientibus objectis immediatas alunt conjugationes, causas morbificas et effectus ex hisce oriundos perfectè et ritè a judicioso observatore detegi posse.

De hujus ægritudinis causa proxima non agemus; materies hæc jam latè est tradita in capite tertio hujus dissertationis.

---

(1) Mémoire couronné, pag. 263.

*Nosologica descriptio.* (1) Sequentibus morbus hic stipatur symptomatibus; incipit ut plurimum lienis inflammatio, cum dolore plus minusve obtuso, qui in hypochondrio sinistro ad lienis regionem persentitur, tenduntur parietes abdominales illius regionis, et a corporum externorum contactu admodum evadunt sensibiles, imò tumefiunt, caloris et ardoris sensum ad partem, quam in naturali statu occupat splen, ægrotantes referunt. Omnibus illis addenda pyrexia inflammatoria.

Sed præter inflammationi hæc essentialia symptomata, cordis ingentes palpitationes, vomitus continui, sitis ardens, dysuria, stranguria, dolores colici, icterus et alia, nonnumquam hanc affectionem concomitantur. Originem et causam harum affectionum facile intelligimus dum perspectum tenemus, diaphragmati, ventriculo, reni sinistro, contiguum esse lienem et partibus eatenus illis vicinis alterationes posse communicare: sed antequam ulterius procedamus, in universum adnotandum tantum volumus, enumerata ad obstructionem lienis signa, circa bilis alterationem, tam acuratè in phlogosi lienis non posse observari, cum in hocce ultimo casu, in substantia splenis circulans, et ad bilem confiendam destinatus sanguis, alterationes haud patiatur, omnia enim inflammationi propria phenomena, in ipsis capillaribus textum organi constituentibus vasis, sedent; in obstructione lienis vero, in organo contentus cruor alteratur morbificè afficitur secretioni bilis inserviendi impar est, tandem in ipso organo stagnat. Itaque summa est analogia inflammationem pulmonis inter et illam lienis, in ambobus verò casibus organicus textus inflammatur et in eo contensus sanguis per organon phlogosi correptum non cessat transire.

Funerum sectiones celeb. *Portalis* demonstravere lienis inflammationem aliquando et illam pulmonum insequi: » *Je l'ai trouvée*, ait egregius ille auctor, *dans quelques sujets qui avaient péri après avoir*

---

(1) Experientia adhuc parva, quâ, hocce momento, in practica medicina polleo, modusque vagus, quâ materies hæc ab auctoribus exposita propter hujus affectionis raritatem, amplè nosologicam descriptionem enodare, mihi non permittit.

*éprouvé les signes de la péripneumonie et dont le siège avait paru être borné dans le poumon gauche, cependant à l'ouverture de leur corps, on a trouvé non-seulement le poumon gauche enflammé, mais encore la rate, qui était plus rouge et plus volumineuse (1).»*

P. II. *Splenitis chronica.*

Quum acuta inflammatio, in principio haud totaliter extinguitur ut fieri possit resolutio, chronica proveciore periodo evadere potest; supponit hæc ut plurimum alicujus stimuli actionem nimis protractam, impedientem quo minus ad resolutionem acuta inflammatio vergere valeat.

Lentissimè procedit morbus hic, et sæpè tam obscura edit signa, ut ne quidem ab expertissimo detegi possint observatore. Sicuti in splenitide acuta, tumor plus minus voluminosus et obtusus dolor in hypochondriaca abdominis regione sinistra, deprehenduntur; pulsus plerumque frequens et debilis est. Morbus hic licet rarus, frequentius quam acuta inflammatio occurrit.

P. III. *Induratio Lienis.*

Sive inflammatio lienis chronica vel acuta, induratio virium necessariorum ad suppurationem in actum ducendam imbecilitatem ponit, aliis verbis, inflammationem minus intensam.

Quæ in lienis textu protrahitur inflammatoria irritatio ibi quasi continuam intertinet fluxionem, ast non sat intensam, ut inde oriatur suppuratio : sanguine turgida capillaria vasa densiora fiunt, sanguinis illius liquidiores absorbentur partes, crassiores aut melius concrecibiles coagulum efficiunt et nimis duræ ut auferri possint absorptione, jam debilitatos capillarum vasorum canales obstruunt, et futuri squirri primum sistunt rudimentum.

Non semper induratio hæc totum occupat organi textum, aliquando sine ullo incommodo squirro lienis affecti ægroti ad pro-

---

(1) *Portal, anat. medic., pag. 333, t. V.*

vectiorem senectutem pervenire valent : *Portal* ad hoc casum refert sequentem (1) » *Madame de Maurepas eût vers l'âge de cinquante ans une maladie inflammatoire, qu'on crut avoir son siège dans la rate et malgré de nombreuses saignées, que Dumoulin et Vernage lui prescrivirent, il lui resta une tumeur considérable dans l'hypochondre gauche, qui le débordait de plus de trois travers de doigt comme je m'en suis plusieurs fois assuré par le tact. Les divers fondans furent prescrits inutilement, des voyages aux eaux minérales furent infructueux, la tumeur resta toujours grosse, très-dure, et madame de Maurepas mourût à l'âge de quatre-vingt-neuf ans.* Casus illi rarissimi.

Ex illis jam allatis, clarè patet diagnostica signa induratum lienem concomitantia admodum obscura esse debere, adest quidem tumor plus minus durus in regione lienis, digestionis functiones labascuntur, sed omnia illa signa tam confusè existunt ut difficilè ab aliis ægritudinibus hujus organi distinguantur; et ut plurimum, ægri tali morbo correpti, cachexiâ hydropicâ mortem obeunt: nonnumquam observarunt auctores per totam corporis regionem sinistram, anasarcam locum habere in statu squirrositatis lienis (2).

Sedulò distinguendæ hæ squirrosæ alterationes ab illis, quæ scrophulosam agnoscunt causam.

#### P. IV. *Suppuratio et apostemata Lienis.*

Quamvis, uti antea enarratum, rarissimus sit morbus splenitis, aliquibus attamen in casibus in suppurationem abit. Ut nova secretio illa fieri possit, ordinarios pertransire debet inflammatio limites; supuratio verò in quocumque ex sua naturâ, parvâ vitalitatis dosi, donato organo efficiatur, necesse est autem, ut, causa ad phlogosim inducendam idonea, ad talem gradum proprietatum vitalium energiam augeat, qualis est necessaria, ad functionem illam novam puris secretionis in actum ducendam.

(1) *Portal*, anat. med. t. V. pag. 337.

(2) *Theop. Borden*, aquitan. mineral. aquæ. Paris., 1754.

Dum igitur ad summum inflammatio pervenit, pus secerni potest; deponitur tunc fluidum illud in areolis telæ cellulosæ organi, et ibi accumulatur ita ut quandoque plus minusve voluminosum efformet aposthema.

Aliquando totius textus organi puris præsentia et confectione destruitur (1); aliis in casibus pus est saccatum in diversis kystis nonnumquam modo ferè incognito in canalem cibarium penetravisse aposthemata illa, aliis in circumstantiis terminata fuisse per effusionem retrò peritoneum, et per aperturas spontè in cute ortas, foràs evacuatum fuisse, asserit *Portal* (2) » *Alors le pus a parcouru un chemin plus ou moins étendu, s'est frayé une route à travers les muscles abdominaux et a donné lieu à une ou plusieurs ouvertures par lesquelles des fragmens de la rate sont sortis.*

Aliquibus annis lapsis, in nosodochio civili Gandense, lien in cadavere inventus est ferè totaliter pure repletus, et quod mirandum, nullum, stante vitâ, detectum fuit symptoma præsentiam hujus abscessûs ingentis decelans. Factum hoc et plurima ab auctoribus allata hujus generis nos docent, symptomata abscessûs lienis tam obscura esse, ut collectio hujus fluidi tempore vitæ exstare possit sine ullis manifestis signis: ast ut plurimum adsunt febris hectica post pastum exacerbans et vesperè, sudores profusi et enervantes, urina turbida, diarrhea colliquativa, œdema pedum, quandoque anasarca generalis et specialiter lateris sinistri notante *Bordeu*; verbo, cachexiâ completâ, corpus contabescit. Status ille à nonnullis scriptoribus sub nomine pthysis lienalis designatur. Quoad secundarias ægritudines à functione læsa splenis dependentes, multum colunt analogiæ, cum illis affectionibus, quas in obstructione hujus organi descripsimus, uti digestionis turbæ, sanguificationis, secretionum et nutritionis læsio. Sed, quoniam signa seu symptomata diagnostica tam difficile detectu sint in hacce affectione, sæpè mors subita, dum spontè

(1) *Portal*, anat. medic. t. V. pag. 535.

(2) *Anat. medical*, t. V. pag. 536.

aperitur abscessus, illa insequitur; hocce adamussum jam sæpius citato non latebat celeb. *Portalis* (1).

In gignendo aposthemate, lienis phlogosis non semper est inculpada, metastases illud sæpius producere valent; quandoque in hepatis abscessibus collectum pus in splenis textum metastaticè deponitur; aliis in rarioribus circumstantiis, pus in thoracis cavo contentum, ope adhærentiarum cum liene contractarum in parenchyma hujus organi penetrasse, repertum est.

Sæpius ab inflammatione per causas externas uti vulnera, contusiones et alia similia, inducta, originem sumunt puris collectiones in organo illo observandæ.

Quibusdam in casibus merè sympathici sunt lienis abscessus, uti in commotione et fracturis cranii.

#### P. V. *Inflammatio adhæsiva Lienis.*

Supponunt lienis adhæsiones cum vicinis partibus, 1º inflammationem alicujus membranæ peritonealis partis organon obvestientis: et 2º minorem phlegmasiæ intensitatis gradum.

Ex talis phlogosis effectu, adhæsiones, sive cum ventriculo, diaphragmate, colo, rene sinistro, formâ concretionum ligamentorum aspectum præbentium suboriri possunt, quæ secundum diversitatem partis, quacum connectuntur multa et differentia in œconomia animali phænomena edere valent.

Inflammatio adhæsiva in liene novam sæpè generat membranam, quæ nonnumquam totam organi superficiem obvestit (2).

#### P. VI. *Gangræna Lienis.*

Semper totalem abolitionem proprietatum vitalium supponit gangræna, inflammationi lienis superveniens. Etsi inter artis infrequentiores casus, attamen ab auctoribus allegata, et ab illis

(1) *Portalis*, anat. med., t. V. pag. 535.

(2) *Idem*, anat. med., t. V. pag. 537.

descripta est; noscimus enim talem corporis partem, quosdam ad morbos magis disponi, quam quidem alia, sub proprietatum vitalium respectu: itaque lien multum, quoad gangrænam, colit affinitatis cum systematibus fibroso arterioso venoso osseo, etc. in quibus hic inflammationis exitus rarissimè occurrit.

Uti, in omni inflammatione, dum oboritur gangræna, symptomata inflammatorium ad statum pertinentia, quasi modo repentino in splenitide labascunt, vultus evadit decompositus; summa adest debilitas in musculis, pulsus intermittit debilis et frequens evadit, lypothymiis frequentibus, imò quandoque convulsionibus corripitur ægotans, pallet facies, sudoribus frigidis obducitur, ut plurimum tandem morti occumbit miser tabefactus.

Celeb. *Portal* contendit lienis gangrænam in febribus maligis observatam fuisse (1).

#### HYDATIDES LIENIS.

Hujus phenomeni cum pluribus corporis organis, participat lien: ita de hydatidibus lienis mentionem facit *cel. Morgagni*(2), vel coarctatæ sunt; vel à se invicem distantes et ad superficiem organi collocantur aut totum visceris textum occupant: *J'en ai vu*, ait *Portal* (3) *qui étaient renfermées entre les membranes de ce viscère, d'autres qui étaient contenues dans son intérieur; quelquefois on en voit qui sont attachées à sa surface par des pédicules si grêles, qu'on comprend facilement que ces sortes d'hydatides peuvent s'en détacher et devenir flottantes dans la cavité abdominale comme on y en a trouvé sans en connaître l'origine.*

#### LIENIS STATUS CARTILAGINEUS OSSEUS ET CALLOSUS.

Auctores unanimi affirmant voce, sæpissimè lienem cartilagineum, osseum aut callosum fieri, ita *Lieutaud* (4); se sæpiùs

(1) *Anat. med.*, t. V. pag. 336.

(2) *Morgag.* de caus. et sed. morb., epist. XXXVIII.

(3) *Portal*, *anat. med.*, t. V. pag. 338.

(4) *Lieutaud* obs. 961, t. I. pag. 229.



splen invenisse callosum et cartilagineum affirmat. Illustris *Hallerus* (1) de osseo loquitur liene. Concretiones lapideas frequentes inesse testantur à celeb. *Portal* institutæ variæ autopsiæ cadavericæ (2); et observat auctor ille, status illos ut plurimum concomitari hydropicos morbos, tamen sine ullo incommodo locum habuisse. Clariss. doct. Parisiensis *Broussais* (3) sæpè lienem invenit durum, callosum, aut tuberculosum. Omnibus hisce factis, addere possumus illa nobis propria, sæpissimè in differentibus cadaverum sectionibus, illos diversos callositatis cartilagositatisque aut ossificationis status observavimus præsertim in ætate proveciori.

#### LIENIS PLETHORICUS STATUS.

Per plethoram intelligimus lienis, illum statum, in quo superpondium sanguinis in hocce organo contento offenditur. Frequens est apud fœminas, quibus menstrua parcius, tardius, malè fluunt, aut quibus fluxus ille totaliter cessat. Optimè illum descripsit et observavit statum clariss. *Baillou* (4). Non minùs frequens est ante hæmorrhagiam narium, aut hæmorrhoidum apparitionem. In pluribus vitiis hepatis, uti in ejus inflammatione, suppuratione, induratione, obstructione aut destructione hujus visceris. Sic celeb. *Tissot* de autopsiâ loquitur, in quâ lien ab obstructo et indurato hepate » æquo major subnigri coloris, atro » fluido sanguine turgidus, quem facillimè parvo inflicto vulnere » effundebam (ita sonant verba auctoris), ut vix dubitare liceret » de effusione intrâ cellularem, quæ vasa sustentat et nectit, aut » ea anastomosi, quâ ex unico vasa alia evacuantur; ab induratione, quod notatu dignum, adeò alienus ut effluxo cruore » marcesceret » (5).

(1) *Haller* elem. physiol., t. VI. pag. 538.

(2) *Anat. med.*, t. V. pag. 542.

(3) *Traité des phlegmasies*, t. I.

(4) *De virginib. et mulierib.*, t. IV, pag. 75.

(5) *Tissot, Zimmermanno*, pag. 26.

Omnibus in illis casibus, plus minus voluminosus datur sub costis spuris tumor dolorificus, et pro diversitate circumstantiarum vomitus, nausæ, capitis gravitas statum illum insequuntur.

#### ATROPHIA LIENIS.

Quoniam hic status morbificus rarissimè observetur attamen de ejus existentia exempla inveniuntur apud *Lieutaud*, *Thonerum* atque *Portal*.

Aliquibus in subjectis magnitudinis instar nucis juglandis inventus fuit lien. In melancholico, de quo loquitur *Thonerus* non ultrà unciam ponderabat splen; ad magnitudinem nucis moschatæ reductum vidit illud organon celeb. *Portal*.

*Causæ*, plures in censum veniunt volumen lienis diminuendi capaces, uti nimia hujus visceris compressio, tumoribus in vicinis partibus duris, inducta; telæ cellularis atque vasorum hujus organi induratio aut ossificatio, uti videre est proveciori in ætate; arteriam comprimens splenicam, tumor uti vidit *Portal* (1), vel tandem ipsa istius organi suppuratio (2).

Quæcumque in omnibus hisce casibus sit causa imminutionem in lienis statum voluminis inducens, semper aut nimiam in partibus solidis ablationem aut defectum appositionis materiæ nutritivarum supponit, aut deniquè penuriam cruoris in textu organi deponendi à splenica arteria.

#### LIENIS POSITUS MUTATUS.

Affectionem illam ut plurimum, obstructions aut aliū morbi, in quibus lienis volumen multum augetur, eruunt. Sic *Morgagni* (3) de splene agit in inguine dextro collocato, tres libras ponderante.

---

(1) *Portal*, anat. med., t. V.

(2) *Lieutaud*, obs. 961.

(3) *Morg.* epist. XXXIX. art. 42.

Alicujus feminae cui post partum in hypogastrio supervenit tumor, quem à lienis positione mutata ortum duxisse sectio demonstraverat cadaverica, historiam reliquit *Ruysch*. Liberè hærentem in abdomine vidit lienem *Cabrol* (1).

In, *Mémoires de l'académie de sciences de Paris* (2), circa lienem maximo præditum volumine situm in pelve habentem, observatio invenitur.

De liene in iliaca regione sinistra collocato, in provectoris ætatis homine exemplum affert *Portal*: »elle avait la grosseur de la tête d'un enfant.»

Propter quas lienis positio mutari valet, tres reperiuntur rationes; vel ob partium summam laxitatem, organon illud in sua positione retinentium in naturali statu, de sic dictis lienis ligamentis, atque vasis et nervis agitur: 2º vel quia partes hæ disruptæ sunt; 3º aut quia nimis, propter auctum volumen, est ponderosus lien.

#### LIENIS HÆMORRHAGIÆ.

Lienis hæmorrhagiæ ad quatuor reduci possunt species 1º vel in ipso organi fit textu, sine ulla externa evacuatione; cum debilitate solidorum et humorum jactura morbis propria est; species hæc uti in scorbuto, in putridis febribus, in typhis, accidit.

2º Vel locum habent hæmorrhagiæ, per membranæ mucosæ canalis cibarii portionem aliquam: obstructionibus splenis ut jamjam enarravimus familiares.

3º Aut à læsione, rupturâ, laceratione aut aliâ causâ simili dependent. Semper species hæc ut funestissima est habenda; è textu læso sanguis continuò in abdominis cavitatem profluit, ægrotantis perduntur vires et ultimum brevi tempore spiritum exhalat. Hæmorrhagia hæc in lienis ingenti obstructione, in quo organicus textus admodum est tensus, nonnumquam evenit, uti ex variis constat

(1) *Alph. anat.*

(2) *Anno 1767.*

auctorum observatis. *Hunauld* de morte subita post ruptam lienem agit. *Richard* (1) de rupto loquitur liene. *Scheid* (2) de lienibus ruptis tractavit.

Species hæc ab externa causa oboriri etiam valet.

4° Vel per serosam membranam organon obducentem fit hæmorrhagia, frequens animadvertitur in scorbuto, in febribus putridis, in ascitide, etc. vide *Lieutaud* (3).

#### DE SPLENALGIA NERVOSA.

Ad considerationes generales circa pathologicam lienis dispositionem (caput tertium) jam observatum est, ad dolores et spasmos organon illud esse dispositum; inquirendum nunc erit in causas, quæ affectioni illi ansam dare possunt et in symptomata illam concomitantia.

Acutus, vel obtusus, aut gravativus, *dolor* lienis in hypochondriaca regione, sinistra ubi splen situm suum obtinet, observatur; transitorius est, sine ullo signo inflammationis præsentis, cum pulso retracto, frequente, pallore aut rubore faciei, et urina pallida, compressione non exacerbans, è contrà quandoque ex illa alleviatio manifesta.

Ante hæmorrhagias naturales, aut in morbis criticas ut plurimum evenit, uti, ante epistaxim, fluxumque menstruorum præcipuè: sæpissimè, sine ullo organico vitio in liene existente; præsertim animadvertitur dolor splenicus in infantili aut juvenili ætate, in violentioribus et prolongatis cursibus, aut in exercitiis laboriosis, saltu chorea et aliis ejusdem generis.

Hisce in casibus, propter circulationis incitationem, cor frequentioribus atque validioribus contractionibus, dato tempore, majorem in lienis textum propellit sanguinis quantitatem, quam

---

(1) *Journal de médecine*, t. XXVII.

(2) *Argent.* 1725.

(3) *Lieutaud*, *hist. anat. med. obs.* 962.

capillaria vasa parva donata vitalitate, suis vicibus, in splenicam venam protrudere possunt; ita sanguis celerius allatus in organum textum, vasa distendit, nervos organum illud circumdantes irritat, et causa nonnumquam doloris violentis evadit: unde Belgæ idiomate suo exprimunt *van de milt gestooken*. ut plurimum subito dolor ille nascitur et cum magna animi dejectione observatur.

## COROLLARIA EX ANTE DICTIS DESUMPTA.

### I.

Quæ lienis textum constituunt elementa, cognita sunt. Intima verò structura nos latet: scimus quidem membranam serosam membranamque fibrosam, nervos et vasa, ad organicum textum efformandum, concurrere, ast modum, quo sese in parenchymate gerant, planè ignoramus.

### II.

Quoniam lienis intima fabrica nos lateat, tota attamen vasculosa reperitur,

### III.

Ab arteria splenica in lienem allatus sanguis in textu ejus omninò mutatur.

### IV.

In splenica vena sanguis contentus, ut venosus quidem aspici valet, ast ab eo tamen est distinctus, nam fluidior, magis oleosus et niger, numquam e liene effusus in coagulum abit.

### V.

Hepatis organum est auxiliare lien, et novus in eo contentus sanguis qualitates acquirit, quibus secretioni bilis inserviendi efficax evadit. Quod è sequentibus probatur. 1° Per directam operationem splenicæ communicationem inter lienem et hepar; 2° per arteriosi sanguinis quantitatem ab arteria splenica allati nimiam ut solùm lienis nutritioni inserviat; 3° dum lien in vivis animalibus extirpatur aut laceratur, bilis secretio languescit et organo-

rùm digestionis functiones turbantur; 4° in omnibus ægritudinibus lienis, in quibus sanguinis in textu ejus contenti qualitas à naturali statu recedit, labefactatur bilis secretio; 5° in omnibus hepatis affectionibus in quibus bilis secretio alteratur vel impeditur, ægritudines particeps est lien; 6° volumen et evolutio splenis in diversis vitæ stadiis, cum apparatu excretorio bilis, semper quadrant; 7° dum digestionis tempore secretio bilis augetur, ob depletionem momentaneam sanguinis, lienis volumen imminuitur.

VI.

Proprietates vitales unicè ferè ad organi nutritionem destinatæ sunt; alteræ organo alienæ.

VII.

Laxa et admodum extensibili structura gaudet lien.

VIII.

Principales lienis associationes sunt cum organo bilis secretionis et viis digestivis; consensum quoque cum organo encephalico alit.

IX.

Propter minorem vitalitatem et laxitatem textus organici, omnino ad morbos circulationis debilitatem agnoscentes, lien disponitur. Minimè ob easdem rationes ad inflammatorium statum.

X.

Frequentissimi sunt morbi lienis, obstructio et mollities, rarissimus inflammatorius status et omnes ejus sequelæ.

XI.

Quæ imminuunt aut infringunt lienis vitalitatem causæ aut ejus laxiorem reddunt textum ritè cognoscuntur; illæ quæ phlogosim in illud organon inducere valent inter obscuriora artis latent.

XII.

Lienis affectiones vitia in bilis secretionem inducunt; bile vitiata, digestio, chylificatio, sanguificatio, exhalationes, secretiones et nutritio læduntur.

FINIS.

CAROLI LIBBRECHT,

EX INGELMUNSTER,

RESPONSIO

AD

QUÆSTIONEM, AB ORDINE JURIDICO

ANNO M. D. CCC. XVIII PROPOSITAM :

*Quænam sunt principia de portione legitima, tam secundum Jus Romanum quam hodiernum ?*

*In hujus quæstionis solutione hic imprimis ordo observandus est : Enarretur primum universa de necessaria hæredis institutione et legitima portione historia, idque inde a Legibus XII Tab. usque ad Justiniani Novellam CXVIII. — Deinde, explicata hujus materiei historia, exponantur : 1.º Quibus competat legitima, et quænam sit inter jus legitimam postulandi et succedendi ab intestato differentia. 2.º Quanta illa esse, quâ ratione determinari, et quomodo hæredibus relinqui debeat. 3.º Expositis Juris hodierni de legitima portione principiis, comparentur hæc cum Juris Romani constitutionibus. Et denique in fine exhibeantur rationes, quæ legislatorem impulerint, ut a principiis Juris Romani recederet.*

QUÆ PRÆMIUM REPORTAVIT A. D. IV. OCTOBRIS M. D. CCC. XIX.

---

*Quæ est igitur melior in hominum genere natura, quam eorum, qui se natos ad homines juvandos, tutandos, conservandos arbitrantur.*

Cic. Tuscul. quæst. lib. 1 cap. 14 n° 32.

---



---

## PROOEMIUM.

*E*Tsi probè scio, longe supra vires juveniles esse, difficultates et controversias in juris scientia obvias penitus perscrutari, et ordine exponere velle, idque vix fieri posse a viro egregiis animi ingenii-que dotibus ornato, et insuper etiam longo rerum usu subacto; tamen credidi, neque a proposita quæstione alienum esse, neque mihi parvæ utilitati fore, tentare pro viribus meis illos nodos quoquomodo dissolvere, qui sese mihi in elaboranda hac quæstione proposita oblaturi essent. Jam autem, quantum in illo negotio humeri valuerint, et quid ferre recusaverint æquis iudicibus dijudicandum merito relinquo.

Interim tamen in hac commentatione ordinem illum ubique sequi conatus sum, qui in ipsa proposita materie nobis indicatus est. Utile duxi eam in duas dividere partes, quarum in priori juris romani, in posteriori principia juris hodierni exponere tentavi. In utraque parte ordinem et subdivisiones easdem secutus sum, ut lucidius principia juris romani cum illis juris hodierni comparari possent, et exhiberi rationes, quæ legislatores impulerint, ut a principiis prioris juris recesserint. Omnia juris hodierni principia, quæ cum illis juris

romani in priori parte enucleatis congruunt , breviter tantum proposui , ne latius hanc commentationem extendere coactus fuerim . Circa loca autem discrepantia , rationes differentiae fusius exponere , easque e legislatorum mente eruere conatus sum . Cæterum , postquam principia juris romani exposui , haud inutile existimavi , paucis tradere verbis , quantum a principiis , secundum jus romanum expositis , consuetudines patriæ recesserint .

In tam ampla materia ritè explananda innumeras quæstiones contentionesque , quibus in utroque jure ortum præbuit , non fusè latèque exponendas esse existimavi . Plurima hanc ob rationem sæpius rescidi ab illis , quæ primitus sive ad enucleandam controversiam , sive ad stabiliendam meam opinionem scriptis consignaveram . Porro haud obsonum duxi , circa difficiliores contraversias sententiam , quam juris principiis magis aptam credidi , non raro celeberrimorum scriptorum auctoritate corroborare , et afferre opinionem illorum , qui contrariæ suffragentur sententiæ .

---

# CONSPECTUS

COMMENTATIONIS.

*PARS PRIOR,*

DE JURE ROMANO ET CONSUECUDINARIO.

Hæc pars in septem capita divisa est.

*PARS POSTERIOR,*

DE JURE HODIERNO ET DE RATIONIBUS

DIFFERENTIÆ INTER JUS ROMANUM ET HODIERNUM

Hæc pars etiam septem capita continet.

# CONSPIRACY

COMMENTARIES

BY

THE EDITOR OF THE

REVUE INTERNATIONALE DE DROIT

ET DE JURISPRUDENCE

COMPARÉE ET DE SCIENCE POLITIQUE

ET DE SCIENCE SOCIALE

PAR

---

## Caput primum.

---

### HISTORIA.

**V**I legis quibusdam personis, quæ *necessarii* hæredes nominantur, certa debetur honorum defuncti portio. Hæc honorum defuncti portio, in quâ ex legis dispositione hæredes *necessarii* sunt instituendi, nisi *justa* eos exhæredandi causa adsit, dicitur *legitima*. Arg. l. 8. § 8 et 10 ff. de inoff. test. l. 6. C. eodem.

Portionem illam a lege stabilitam invectamque ipsa vocis etymologia arguit, nam et ideo legitima dicitur, quia debetur ex lege, uti ait Faber (1) arg. l. 31 C. de inoff. test. l. 5. C. de inoff. don., ubi debitum legis subsidium appellatur.

Legitima, ut subsidium illis, qui injustè penitus a successione parentum amoverentur, concessa, non *scripta sed nata lex* dici potest (2). Legem hanc cum ipso humano genere proditam natura homines docuit, eorumque cordibus veluti insculpsit, antequam leges civiles de illa exstarent. Quid enim naturæ hominum rectæque rationi magis consentaneum, quam ut parentes liberis amorem præsent, et in tempus, quo mors amoris curarumque finem fecerit, unde bene sustentent vitam, relinquunt. (3) Quod igitur tam altè mentibus ingeneravit natura, legibus humanis nequaquam confirmandum videtur. At quem fallit hominum infirmitas, ad mala perpetranda præceps, et officiorum persæpè incuriosa? Parentes, pravis abrepti cupidinibus non continuo

---

(1) In codice definitionum lib. 8. tit. 39. def. 7. n° 9.

(2) D'Aguesseau, vol. 2. pag. 80 op. édit. Par. 1761.

(3) Cic. pro Roscio Amerino; cap. 19. dicit: »Multa oportet esse vitia, atque peccata  
» filii, quibus parens potuerit animum induere, ut naturam ipsam vinceret, ut amorem illum  
» penitus insitum ejiceret ex animo, ut denique patrem esse sese oblivisceretur.»

boni rectique viam calcant; sed extraneum nonnumquam maximis cumulant bonis, liberis, quos carissimos cuique natura esse voluit, turpiter repudiatis. Legislatores, utilitatis et securitatis publicæ promovendæ studiosi tantas injustitias, imo inhumanitates prohibere conati sunt. Ita apud Græcos leges nonnullæ partem bonorum, de quâ statuere liceret, decernentes, latæ fuerunt. De hac re argumenta invenimus plurimis in locis, uti apud Demosthenem in oratione *contra legem Leptinii*, et præcipuè in legibus illis Solonis, quæ ad nos pervenerunt, quarum in lege undecima hæc perspiciuntur verba :

Ω βούλεται τις τὰ αὐτοῦ, εἰ μὴ  
 παῖδες ᾗσιν αὐτῷ, δοῦναι ἐξείναι.

*Cui voluerit quis, bona sua dandi*

*Nisi filios habeat, jus esto.* (1)

Romani, qui leges suas a Græcis præsertim petiverunt, uti testatur Plinius (2), officium illud humanum neglexerunt, et durioribus moribus imbuti quam Græci, illud penitus ferè ignorare visi sunt. In eorum primis legibus, quarum ad nostrum tempus fragmenta pervenerunt, quanquam Cicero (3) eas bibliothecam omnium philosophorum et Livius (4) fontem omnis publici et privati juris dicit, nullam tamen tam præstantis naturæ principii memoriam, at omninò planè contraria cernimus. Populus ille summa potestate parentes in liberos armaverat, ita ut ne hæsitaverit quidem, jus vitæ et necis illis concedere, sicuti videre est in *tabula 4. cap. 2*. Patres summum imperium exercentes, in familiam suam sæpius ut tyranni in suos sævierunt : nec contentis quidem tanta potestate, libera quoque dispositio bonorum concedebatur, ut post mortem sævitiam in liberos persequi possent. Lex duodecim tabularum, sancito hoc principio : *Pater familias uti legasset super pecuniæ tutelæve suæ rei, ita jus esto* (5), iis libertatem impulsit,

(1) Vid. Samuelis Petiti commentarius in leges atticas, p. 576 et seq. et conf. thes. Jur. Rom. Everardi Ottonis. v. 4. pag. 463.

(2) In lib. 8. epist. ult. » Habe ante oculos, inquit, hanc esse terram, quæ nobis miserit jura, quæ lege non invitis, sed petentibus dederit, »

(3) In orat. cap. 44.

(4) Histor. lib. 3. cap. 34.

(5) Tab. 5. de hæreditatib. et tutelâ.

non solum liberos prætereundi aut injustè exhæredandi, at etiam alienum summis beneficiis cumulandi, et illis, sibi sanguine et naturæ vinculo junctis, anteferendi (1). Brevi Romanorum inhumanitas mitigabatur; illi, qui parentum crudelitatem timebant, undique querelas tollebant, et paterna potestas arctioribus sed æquis terminis circumscripta fuit. Exolevit primum jus vitæ et necis patribus concessum, remansitque modica tantum castigatio, quæ videri potest in titulo Pandectarum *de his qui sui vel alieni juris sunt*. Prætereà submittebantur, uti ait D'Aguesseau (2), sententiæ judicis dispositiones paternæ, in testamento scriptæ. Si pater sua potestate perversè usus esset, si temerè liberos exheredasset, eosque inhumaniter omni re orbatos reliquisset, eis querela contra testamentum paternum competebat. Hæc, *querela inofficiosi testamenti* dicta, introducta fuit a Jurisconsultis, et per praxin judiciorum centumviralium (3), sub colore, quod liberi, potestati paternæ subacti, fingantur unam eandemque personam constituere cum patre, et quod proinde etiam in vita patris rerum omnium paternarum sint condomini; ex quo consequitur, patrem non posse dominium illud in personam alienam transferre, nisi prius illud liberis validè ademert.

Si vero ademptio illa non æquè et ob æquas causas facta esset, testamentum inofficiosum dicebatur, utpote contra officium pietatis factum, et parentes non sanæ mentis fuisse existimabantur, cum tale testamentum condiderint, et alienos liberis suis antetulerint. *L. 2. ff. de inoff. test.*

Simul tamen introductum est, hanc liberorum querelam cessare, si ipsis certa bonorum pars, quam legitimam portionem nominatam ad quartam bonorum definierunt, a parentibus fuerit relicta. De origine autem legitimæ portionis Jcti quam maximè dis-

(1) Parentes sæpissime sine ulla causa liberos exhæredasse probant exempla in Plin. lib. 6. ep. 33 et Valer. Max. lib. 7. cap. 7.

(2) Vol. 2. pag. 80.

(3) Videatur Heineccius antiquitatum romanarum, etc. lib. 2. tit. 18. p. 130 et seq. Pr. Int. de inoff. testam. Plinius lib. 5. ep. 1. lib. 6. ep. 33. Valerius Maximus lib. 7. cap. 7. et ita querela ita soepe judicium centumvirale nominatur. Cic. de orat. lib. 1. cap. 38. l. 13. ff. de inoff. test. Corn. van Bykershoeck obs. jur. rom. lib. 5. cap. 5.

sentiant (1). Sunt qui eam ex jure romanorum scripto derivent; qui tamen iterum inter se dissentiunt. Alii enim contendunt legitimam lege quadam *Glicid* introductam fuisse (2). Alii lege Falcidia (3). Alii constitutionibus Imperatorum præsertim Marci Aurelii (4). Hæc tamen Jctorum opinio solide fundamento caret. Legis cujusdam Glicix, quam Cujacius a dictatore quodam *Marco Claudio Glicia* anno 504 u. c. latam contendit, ne minima quidem vestigia occurrunt, nisi in legis 4 de inoff. test. inscriptione admodum suspecta: *Cajus liber singul. ad legem Gliciam*. Quod si enim Cajus revera commentarium ad legem Gliciam scripsisset, magnoperè mirandum foret, cur Pandectarum compilatores unum dumtaxat, eumque minoris momenti locum ex illo exscripsissent; et multò magis adhuc, cur Justinianus legem gravissimam silentio in Institutionibus planè prætermisisset, si revera legitima et inofficiosi querela per eam fuisset introducta.

Legitimæ originem ex lege Falcidia derivari non posse, probat *l. 8. § 9. ff. de inoff. test.* in quâ Ulpianus legitimam a Falcidia distinguit, et statuit, quod, si hæres ex asse institutus tot liberalitatibus oneratus esset, et quartam integram non habeat, inofficiosi querelam instituere non posset, quia habeat Falcidiam.

Neque constitutione quadam Marci Aurelii legitima fuit introducta; nam ex Plinii epistola 1 *lib. 5* id evidenter apparet. Plinius enim hæres institutus a Pomponia Gratella, hæc epistolâ responsum mittit filio defunctæ, qui de inofficiosa matris dispositione querebatur, eique scribit, ipsum ad querelam non admittendum esse, « *nam, ait si mater te ex parte quarta scripsisset hæredem, num quæri posses?* » His verbis enitet, quartam bonorum liberis relinquendam diutius viguisse ante Marcum Aurelium, qui ad

(1) Historiam legitimæ optimè perscrutatus est Zepernick in diss. historix juris civilis de legitimâ portione parentum.

(2) Cujacius observ. lib. II. cap. 21. et in Papinian. lib. XIV. ad leg. 15. ff. de inoff. test. Gravina de legibus et SCstis cap. 80. Dion. Gothofredus ad leg. 4. ff. de inoff. test.

(3) Jacobus Gothofredus in comment. cod. Theod. ad leges 4 et 5 de inoff. test. J. a Costa ad tit. 1. de inoff. test. § 6. Anton. Schultingius ad Pauli recept. sentent. lib. III. tit. 8. § 3. Heineccius in syntagm. antiq. rom. lib. II. tit. 18. Pothierus comment. ad Pand. lib. V. tit. 2. de inoff. test.

(4) Pancirollus in thesau. variar. lect. lib. I. cap. 39.



imperium venit anno 138<sup>o</sup>; cum Plinius junior natus sit anno 62 regnante Nerone, et generatim a scriptoribus vita functus dicatur anno 46 ætatis suæ, ideoque sub Trajano, qui ante Marcum Aurelium summum imperium tenuit.

Vero itaque similior eorum videtur sententia, qui contendunt legitimam auctoritate prudentum tanquam medium fuisse introductam, excludendi querelam inofficiosi, et ita hujus abusum restringendi (1); illius tamen quantitatem et naturam ex legis Falcidiae analogia definitam postea fuisse. Ob hanc quoque rationem *legitima* sæpius *Falcidia* in legibus nominatur (2). Hæc tamen legitimæ quantitas et natura aliter determinata est a Justiniano, uti perspici potest in *Nov. 18 et 92*.

Quidquid de controversiis circa originem hujus legis sit, omnes fatentur legitimam primam liberis concessam, postea quoque aliis personis traditam fuisse. Initio non adeo favorabilis, nec eadem erat, uti postea per Justinianum præscripta fuit: ita huic Imperatori præcipuam hujus institutionis adimpletionem debemus, qui eam auxit et certis stabilivit principiis. Omnes fere populi, natura et recta ratione moti, principium tam humanum, statuendi legitimam, amplexi sunt atque voverunt. Id apud Gallos nobis testantur eorum consuetudines (3); apud Anglos Blakstone (4); apud Germanos Heineccius (5); nec non in consuetudinibus nostræ regionis, hac de re dispositiones inveniuntur (6).

(1) Quam ob causam Ulpianus dicit L. 8 § 8 ff. de inoff. test. quarta debita portio sufficit ad excludendam querelam.

(2) L. 31 C. de inoff. test. L. 5 § 3.º c. ad leg. jul. majest.

(3) Videatur Toullier, Droit civil français suivant l'ordre du code. vol. 5.

(4) Pag. 98. commentaires etc. lib. II chap. 25.

(5) Elem. juris germanici lib. II § 357.

(6) Videantur cons. Gand. rub. 12 art. 1. Brug: tit. 7 art. 6 Cortr. rub. 14 art. 1. Alost. rub. 11 art. 1. Aldenard. rub. 8 art. 1.

---

*Caput secundum.*

---

SECTIO PRIMA.

QUIBUSNAM DEBEATUR LEGITIMA.

§. I. Variis personis jure romano legitima conceditur; inter illas primitus numerantur descendentes 2.<sup>o</sup> ascendentes 3.<sup>o</sup> collaterales quidam 4.<sup>o</sup> patroni; de quibus omnibus singulatim agendum erit.

§. II. Antequam de personis, quibus legitima debetur, agam, quædam præmittenda esse generalia principia existimo. Legitima a lege introducta multum cum jure ab intestato succedendi similitudinis habere videtur: atque inde plurimi facile in errorem ducuntur, cum in hac re reciprocatione argumentandi utantur, et ita falsas eruant consequentias. Ut in hacce ideo materia rite procedere possimus, duplex principium animo infigendum est. Prius nobis præscribit, *de successione ab intestato ad legitimam rectè argumenta negativa procedere*, ita ut recte dicere possimus, quod ille, qui jus non habeat ab intestato succedendi, ad legitimam admittendus non sit. Legitima enim portionem efficit bonorum, quæ ab intestato ad aliquem pervenissent l. 8 c. *de inoff. test*; ita ut, si lex tibi nihil ab intestato concesserit, merito legitima tibi denegetur. Ulpianus in l. 6 § 1. *ff. de inoff. test.* principium modo memoratum quoque stabilivit, cum voluerit, ut si quis ex his personis, quæ ad successionem ab intestato non admitterentur, de inofficioso egerit, et casu obtinuerit.

rit, eis non prodesset victoria; sed his, qui haberent ab intestato jus succedendi. Itaque, hac lege parentibus, qui liberis suis ab intestato non successerint, omne emolumentum ex querela denegavit Jurisconsultus. Ubi verò posterioribus legibus aliquando, quosdam ad legitimam admissos legimus, qui ad successionem ab intestato nullum jus haberent, id tum ex expressa legis concessione promanavit, quæ uti exceptio, ad alios casus produci nequit. Cæterum celeberrimi auctores (1) huic principio suffragantur, illudque tanquam jurisprudentiæ præceptum recipere non dubitant.

Posterior regula observanda prohibet, *affirmativè argumentari de successione ab intestato ad legitimam*. Hæc regula paucioribus controversiis ortum præbuit; e contra fere omnes interpretes illam agnoscere ut æquam et justam solent, quum perpendant naturam legitimæ, quæ lege tantum concessa est certo personarum ordini, ubi tamen sæpius personæ extra illos ordines ab intestato succedendi jus habent.

## SECTIO SECUNDA.

### DESCENDENTIUM LEGITIMA.

§. I. Quemadmodum sana mens et ratio legi ortum præbuerunt, quæ liberis hæreditatem parentum addicit, *l. 7 ff. de bon. donat.* et parentes ex voto communi omnia liberis suis servant *l. 7 ff. unde liberi*, ita in favorem liberorum primùm concessa fuit legitima portio.

Sub nomine liberorum computantur descendentes tum prioris tum posteriorum graduum, qui ab intestato succedendi jus habent, sive nati sint sive posthumi, *l. 6 §. 1. ff. de inoff. test. § 2. Inst. eodem*. Nec minus hoc verbo comprehenduntur filiæ; genus enim masculinum in toto jure comprehendit fœmininum nisi aliquid obstet *l. 195 ff. de verb. sign.*

---

(1) Voetius ad ff. lib. V tit. 2.º n.º 42. Van Leeuwen, Censura forensis, part. 1. lib. III. cap. 4 n.º 5.º qui plurimorum aliorum refert testimonia.

Nepotibus æque legitima debetur ex hæreditate avi et proavi, si, defunctis jam parentibus, ad ipsos jus succedendi ab intestato devenerit, *l. 7 Cod. de inoff. testamento, l. 8 § ff. eodem.*

Ut igitur nepotibus et generatim ulteriorum graduum descendentibus legitima debeatur, requiritur, ut eorum parentes ante testatorem fuerint defuncti, alias enim legitima eis non competit, quum in ea petenda nulla *graduum* successio locum habeat. Fac itaque patrem exhæredavisse filium, et ex hoc nepotem præteruisse, filium autem post testatorem, sed antequam hæres adiverit hæreditatem, decessisse. Nepotem neque inofficiosi querelam movere, neque testamentum rumpere potest (1). Quum enim nepotes avo non ab intestato succedant, quamdiu parentes adhuc vivant, consequens est, illorum præteritionem testamentum avi rumpere nequaquam posse: cum nec exhæredari hujusmodi nepos deberet ab avo, quem pater præcedebat, ut Ulpianus dicit *l. 6 pr. ff. de injusto rupto irrit. testam.* Vinnius (2) quidem et Noodt (3) contendunt, nepotibus querelam competere casu, quo pater eorum exhæredatus eam movere vel non potuisset vel non voluisset: sed *l. 31 ff. de inoff test. (4)*, quâ opinionem defendunt, de successione *ordinum*, in querela inofficiosi certè locum habente, non autem de successione *graduum* loquitur.

§. II. Legitimati per subsequens matrimonium eodem jure gaudent ac legitimi, legitimam postulandi ex hæreditate omnium parentum, quum legitimatione omnia jura obtineant quæ haberent, si legitimi ab initio fuissent. *Nov. 74 et 48.*

Dubitant aliqui, utrum naturalibus liberis, rescripto principis plene legitimatis, legitima relinquenda sit? Id affirmandum existimo *ex § 2 inst. de hæred. quæ ab intest. deferunt* etiamsi legitimi liberi postea exstarent, cum concurrat factum principis, quod in locum legis succedit, nec non potestas et voluntas patris

(1) *L. 9 § 2 ff. de liber. et posth. l. 6. ff. de inj. rupto et irrit. test. l. 7 ff. unde liberi Ant. Faber de error. pragmat. dec. XXIX, err. 5. Voet ad ff. h. l. § 6.*

(2) *Select. juris quæst. lib. I cap. 20.*

(3) *Comment. ad Pand. h. t. operum tomo II, p. 163.*

(4) Si is, qui admittitur ad accusationem, nolit aut non possit accusare, an sequens admittatur, videndum est; et placuit posse, *ut fiat succussionis locus.*

qui potest de bonis suis libere disponere, et legitimatione filium suum ut hæredem assumere, ut ita remotiores excluderet cognatos affinesque. Accedit, quod hac legitimatione liberi consequantur eadem jura, ac si legitimè nati essent, ut apparet ex *Nov. 74 cap. 2.º* et *Nov. 89 cap. 9.* Neque obest, quod in eadem *Nov. 74* in fine dicatur, quod *suis existentibus, deinde naturalibus procreatis, aut primitus natis, nequaquam legitimorum jus iis adjiciatur.* Nam verborum horum ille est sensus, liberos ordinariè non legitimari, si antea legitimi nati adsint, at si post factam legitimationem nascentur legitimi, valida manebit legitimitas ex principio: *quæ semel ritè constituta, durant;* § 14. *Inst. de leg. (1).* Aliud dicendum esse existimo circa legitimam in successione cognatorum, cum legitimi eis ab intestato succedere nequeant, nisi aliter foret expressum in rescripto.

Quoad legitimatos per oblationem curiæ, dubium nullum, quin legitimam petere possint ex successione patris legitimantis, non autem ex illa cognatorum, quibus ab intestato succedere nequeunt. *Nov. 89 cap. 2º et seq. l. 9. C. de nat. liber. (2).*

§ III. Illegitimis liberis non debetur legitima ex hæreditate paterna, cum patris testamentum non impugnent, quia ille incertus habetur. Nec patèr inofficiosus erga illos dici potest, cum, justis liberis existentibus, non liceat patri plus uncià illis relinquere. *Nov. 89 princ.* Etsi, cum uxor et liberi legitimi desint, illis eadem *nov. 89 cap. 12* § 4.º duæ unciæ concedantur, id ex speciali legis concessione profluit, adeoque ad alios casus non est extendendum. Respectu matris, liberi illegitimi eatenus legitimam postulare possunt, quatenus matri ab intestato succedunt (3); inde spurii legitimam frustra vindicarent in successione matris illustris originis, et quæ liberos ex justo matrimonio habet. *l. pen. C. ad SCstum Orphitianum.*

(1) Confer. Voetius ad ff. lib. XXV tit. 7º nº 13 et 14, et Perezius ad cod. lib. 5 tit. 27 nº 20.

(2) Conf. Voetius loco cit. nº 50.

(3) Ulpianus expressè dicit: *de inofficioso testamento matris spurii quoque filii sunt dicendi: l. 29 § 1 ff. de inoff. test. l. 8 ff. unde cognati.*

§ IV. Minus plenè adoptatis, jure antiquo quum transirent in potestatem patris adoptantis, querela concessa erat contra testamentum illius patris, si a successione remoti injustè essent; porro cum adoptio imitetur naturam, ut legitimi habebantur liberi adoptati, et legitimam eis relinqui oportebat. § 4.<sup>o</sup> *Inst. de inoff. testam.* At jure novo, æqua ratione ductus, illud mutavit Justinianus, statuitque, ut in potestate patris naturalis remaneret adoptatus, et jus ad successionem ejus retineret, *l. 10 C. de adopt.* Itaque adoptati jus ad legitimam habent ex hæreditate patris naturalis, nullatenus ex illa adoptantis, cum querela contra ejus testamentum eis denegetur; *l. 10 C. de adop.* § 2.<sup>o</sup> *Inst. de inoff. testam.*(1). Contrarium tamen jure novo quoque obtinet, si ascendens sit adoptans; § 2.<sup>o</sup> *Inst. de inoff. test.*; tum juris veteris dispositiones servantur, et legitima adoptato competit in successione adoptantis.

Si quæritur an, qui arrogati dicuntur in jure Romano, legitimam habeant ex bonis patris arrogatoris, distinguendum est: si puberes, gaudent legitima in bonis arrogatoris *l. 10*; § 5.<sup>o</sup> *C. de adopt, l. penult.* § *ult. ff. eodem.* Si impuberes, legitimam amplius non vindicare possunt, sed remedium eis conceditur quartæ Divi pii, quod est *actio personalis l. 1 § 21 de collat. bonor.*, et quod querelam excludit *l. 8 § 15 ff. de inoff. test.* In successione cognatorum nunquam eis legitima debetur, cum arrogatio non jura cognationis tribuat; *l. 23 § 5 ff. de adop.*

§ V. Cum emancipatione liberi tantum excedant patriam potestatem, sed cætera jura inter illos et patrem remaneant, ideo emancipatis competit legitima; *vid. nov. 118 cap. 1 et 4*; quemadmodum querela ipsis non denegatur; § 2.<sup>o</sup> *Inst. l. 4 C. de liberis præteritis.* Confer. *Voetius ad ff. lib. V tit. 2.<sup>o</sup> n.<sup>o</sup> 5.<sup>o</sup>*

§ VI. In consuetudinibus nostris ferè eadem principia servabantur atque in jure Romano. Legitima quoque ante omnia liberis debebatur, uti videri potest in textibus jamjam allatis post historiam legitimæ. 2.<sup>o</sup> Legitimatio per oblationem curiæ sicut et

---

(1) Conf. Voetius ad ff. lib. V tit. 2.<sup>o</sup> n.<sup>o</sup> 11.<sup>o</sup>

adoptio atque emancipatio exoleverat, uti nobis testatur Groenewegen (1). 3<sup>o</sup> quoad naturales liberos, principia eadem ac de jure romano leguntur in consuetudinibus *Gand. rubr. 26 art. 11 Brug. tit. 9 art. 2 Ipreu. rub. 10 art. 5 Contrac. rub. 15 art. 34 et Aldenar. rub. 23 art. 39 etc.*

## SECTIO TERTIA.

### ASCENDENTIUM LEGITIMA.

§ I. Liberis deficientibus, parentes semper jure rom. secundo loco vocati fuerunt ad legitimam, l. 17 et 28 de *inoff. test. nov.* 115 cap. 4<sup>o</sup> *Authent. licet. Cod. de nat. lib.* imo id ita obtinebat etiam jure veteri, quamvis parentes fratribus postponerentur in successione ab intestato; nam « *etsi parentibus non debeatur hæreditas, propter votum parentum et naturalem erga filios charitatem, turbato tamen ordine mortalitatis, non minus parentibus quam liberis p<sup>ro</sup> relinqui debet* » l. 15 ff. de *inoff. test.*

§ II Legitima tamen parentibus non nisi *naturalibus* debetur haud verò *adoptivis* (2). Et quoque adversus testamentum filii in adoptionem dati pater naturalis rectè de inofficioso testamento agere potest, ita ut adoptio filii *plena* patris naturalis jus ad legitimam minimè excludat. l. 30 pr. ff. h. t. Hoc jam diù antea edicto prætoris *Calpurnii Pisonis* introductum fuit, uti testatur *Valerius Maximus.* (3)

Legitima tamen non proximis dumtaxat ascendentibus debetur; non autem parentibus solis, sed quoque, his præmortuis, avo vel proavo vel remotissimis ascendentibus, ita, ut tamen proximiores

(1) De legibus abrogatis p. 7 et 9 editio Lugduni-Batavorum 1649.

(2) Gluck diss. de constituenda legitimæ portionis parentum quantitate, sect. 1 § 3. In opusc. jur. fascic. III pag. 22 et seq.

(3) Lib. VII cap. 7 § 5 : « Egregia quoque est *C. Calpurnii Pisonis*, prætoris urbani, constitutio. Cum enim ad eum *Terentius* ex octo filiis, quos in adolescentiam perduxerat ab uno, in adoptionem dato, exhæredatum se querelam detulisset : bonorum adolescentis possessionem ei dedit, hæredesque lege agere passus non est. Movit profectò Pisonem patria majestas, donum vitæ, beneficium educationis. »

semper remotiores excludant. Quod, si tamen ascendens defuncto proximus, cui legitima debebatur, præteritus aut exhæredatus querelam instituere aut noluerit aut non potuerit, remotiores ascendentes in legitimam minimè succedunt, sed exclusi tenentur, quia, quum de legitima et inofficiosi querela agatur, *graduum* successio nulla locum habet (1).

§ III. Quum jura successionis sint *reciproqua*, sequitur, *illegitimis* eatenus tantum ascendentibus legitimam debere, quantenus ipsi ab ascendentibus legitimam petendi jus habeant. Quam ob causam itaque mater a sobole illegitima, dummodò huic ab intestato succedat, legitimam petere, et præterita vel injustè exhæredata querelam movere potest; filius tamen naturalis patrem præterire potest, quum ab hoc quoque præteriri possit; nisi tamen plenâ legitimatione jura legitimi adquisiverit. Quod ad hanc ascendentium legitimam denique attinet, hoc adhuc observandum venit, illos tunc demum ex descendantium bonis legitimam postulare posse, si ipsi testentur, et ideo testamenti factionem habeant. Quod si enim liberi adhuc minores nequeant testari, pater in testamento, vi substitutionis pupillaris, pro illis confecto matrem impunè potest excludere, l. 8 § 5 ff. de inoff. test. cap. 1 de testam. in 6<sup>o</sup> Ant. Merenda controv. jur. lib. III cap. 40; contra Westenberg de portione legit. diss. II cap. 3 § 8<sup>o</sup>.

§ IV. Florentibus consuetudinibus, hæc legitima ascendentium generatim admittebatur. Testantur id nobis *De Ghewiet* (2) et *consuet. Alden.* rub. 8 art. 1, nec non illa *Gand.* rubr. 12 art. 2. quæ jus scriptum invocat.

(1) Ant. Faber err. pragmat. dec. 29 err. Hofacker princ. jur. romani, qui § 1697 notâ 6 rationes optime exposuit.

(2) Institutions du droit belge part. 2 rit 4 § 14 art. 7.



## SECTIO QUARTA.

## COLLATERALIUM LEGITIMA.

§ I. Deficientibus liberis et parentibus, quibus legitima debetur, vel his exclusis, et querelam instituere nolentibus vel impotentibus, legitimam postulare possunt 3<sup>o</sup> *fratres sororesque defuncti* § 1<sup>o</sup> *Inst. de inoff. test.* l. 1 l. 8 § 5 ff. eod. Quibus tamen legitima tunc demum debetur, si persona turpis a testatore praelata illis fuerit. Quam ob causam Justinianus nov. 1<sup>a</sup> præf. § 2 dicit. « Considerandum est, legem quibusdam testatoribus necessitatem imponere, partem aliquam certis personis tribuendi, tanquam a natura iis debitam, ut liberis, nepotibus, patribus et matribus, interdum etiam fratribus. » et § 1<sup>o</sup> *Ins. h. t.* « soror autem et frater, turpibus personis scriptis hæredibus, ex sacris constitutionibus praelati sunt, non ergo contra omnes hæredes agere possunt. »

Constitutionis autem integræ, qua hoc principium stabilitur, legis scilicet 27 *C. de inoff. test.*, verba clara sunt, nec dubium relinquunt. Hæc autem l. 27 *c. de inoff. test.* per Tribonianum consarcinata est e duabus diversis Constantini Magni constitutionibus, lege scilicet 1 et l. 3 *cod. Theodos. de inoff. test.* quarum dispositiones nosse juvabit, quum ex iis tanquam fontibus l. 27 *C. Just. promanaverit* l. 1 *Cod. Theod. de inoff. test.* ita sonat: « Fratres uterini ab inofficiosis actionibus arceantur, et germanis tantummodo fratribus adversus eos dumtaxat institutos hæredes, quibus inustas constiterit esse notas detestabilis turpitudinis, agnatione durante, sine auxilio prætoris, petitionis aditus referretur. »

Legis autem 3 *Cod. Theod.* verba: « Servus necessarius institutus est, quia non magis patrimonium quam infamiam consequi videtur; unde Claret actionem inofficiosi fratribus relaxatam, cum infamiae adspargitur pitiis iis, qui hæres exstitit omniaque fra-

« tribus tradi, quæ per *Turpitudinem*, aut aliquam *levem notam* capere  
 « non potest institutus. Ita in hac quoque parte, si quando libertis  
 « heredibus institutis fratres fuerint alieni, inofficiosi actione pro-  
 « posita, prævaleant in omnibus occupandis facultatibus defuncti,  
 « quas ille perperam ad libertos voluerat pertinere.» Hisce consti-  
 tutionibus inter se comparatis principia duo sequentia profluunt.

§ II. Non omnibus fratribus sororibusque querela inofficiosi com-  
 petit, sed fratribus sororibusque dumtaxat *germanis* atque *consan-*  
*guineis*. Constantinus quidem in *l. 1 C. Theod. fratrum* non nisi  
 germanorum mentionem facit, et Tribonianus *consanguineos* dicit  
 loco *germanorum*. Sed jam Gothofredus in comment. ad *l. 1 C*  
*Theod. h. t.* observat, Constantinum voce germanorum omnes  
 fratres sororesque ab eodem patre procreatos complecti, non  
 itaque solos fratres sororesque ab eodem patre cum eadem matre  
 (germanos str. s. d.) sed quoque ab eodem patre cum diversis  
 matribus progenitos (consanguineos) quod quoque ex eo apparet,  
 quod Constantinus uterinos opponat Germanis. Eodem quo-  
 que modo vocabulum *consanguinei*, quo Tribonianus in *l. 27*  
*C. h. t.* utitur, germanos quoque comprehendit, eo, quod tunc  
 temporis fratres sororesque *bilaterales* sive *germani* et *consangu-*  
*inei* eisdem succedendi juribus utebantur, et ideò vocabula *ger-*  
*mani* et *consanguinei* synonyma sæpiùs in legibus nostris occur-  
 runt, ut demonstravit *J. H. Boehmer diss. de querela inoff. fra-*  
*trum consanguineorum* § 18. Quam igitur ob causam magnoperè  
 errant qui credunt, *consanguineos* tum demum, si turpis persona  
 iis prælata fuerit, germanos autem semper inoff. querelam mo-  
 vèrè posse quia *l. 27 C. h. t.* consanguineis dumtaxat hanc con-  
 ditionem imponat. Hanc opinionem esse inanem probavit rite  
*J. H. Boehmer diss. laud. §. 17, 18.* In eo tamen Constantinus et  
 Tribonianus consentiunt, quod uterini ab utroque sub nulla con-  
 ditione ad legitimam admittantur. Inter fratres autem sorores-  
 que *uterinos* non solum intelliguntur, qui à diversis patribus cum  
 eadem matre, in justo matrimonio, sed quoque qui ab eodem  
 patre cum eadem matre, sed extra matrimonium procreati, ne-

que postea plenè legitimati, matri quidem non autem patri plenè succedunt (1). Constantinus primus fuit, qui uterinos a querela excluderet, quum leges ante Constantinum omnes de fratribus sororibusque sine distinctione facta loquuntur, l. 1 ff. l. 21 C. de inoff. test. : quam ab causam uterinis quoque, dummodò bonorum possessionem unde cognati antea obtinuissent, querelæ movendæ via patuit *Ant. Faber in rational. ad l. 6 ff. de inoff. test.*

Conditiones, sub quibus germanis consanguineisque querela conceditur, secundum Constantini constitutiones sunt sequentes.

1.º *Agnatione* dumtaxat durante jus querelam movendi concessum iis est, quia Constantini temporibus jus agnationis emancipatione sublatum est. Tribonianus autem l. 27 C. de inoff. test. id mutavit, et expressè ita scribit : *Durante agnatione vel non*; ita ut legitima tam emancipatis quam non emancipatis jure Justiniano competat. 2.º Querela fratribus sororibusque germanis atque consanguineis non contra omnes hæredes institutos, sed contra eos dumtaxat ex Constantini constitutionibus concessa est, quibus *inustas constiterit esse notas detestabilis turpitudinis*, et tales institutæ in testamento personæ patribus sororibusque præteritis omnia remittere debent, *quæ per turpitudinem aut aliquam levem notam capere non potest institutus*. Tribonianus autem in l. 27 substituit : « si scripti hæredes infamiæ vel turpitudinis vel levis notæ macula adsparguntur. »

§. III. Ex verbis legis citatæ 27 Cod. de inoff. testam. : *Si scripti hæredes infamiæ vel turpitudinis vel levis notæ macula asperguntur*, maximæ controversiæ ortæ sunt inter interpretes : Quisnam scilicet gradus turpitudinis vel infamiæ hæredis instituti requiritur, ut legitima fratribus vel sororibus competat? Infamia autem est diminutio famæ vel existimationis, quæ est dignitatis illæsæ status legibus ac moribus comprobatus; l. 5 §. 1 ff. de extraord. cognitionibus. Duplicem infamiam omnes distinguunt interpretes, *juris nempè et facti*.

(1) Conf. Koch de successione ab intest. § 83 et seq.

Infamia juris, illa dicitur, quæ ex turpi vitæ facto, per jus notato irrogatur. *Vid. l. 12. Cod. ex quib. caus. inf. irrog.*

Infamia facti, quâ quis apud honestos viros pro infami habetur, quamvis eum neque lex, neque iudicis sententia infamem declaret, vid. *l. 39. ff. de furtis, l. 20 de his qui notant. inf.*

De infamia juris nulla difficultas: omnes consentiunt, personas, quæ illa notentur, comprehendi dispositione legis *27 Cod. de inoff. test.* At controversia movetur circa illas personas, quæ infamia facti notantur, inter quas 1.º numerantur debitores, qui insolvens facti sunt suâ culpâ. *Nov. 115. cap. 1.º 2.º* Qui artis ludicræ pronuntiandive causâ in scenam prodierunt *l. 1. ff. de his qui not. infam.* 3.º Qui ab exercitu ignominia causâ demittuntur *l. 2. ff. de his qui inf. not.* 4.º Mulieres, quæ turpiter vivunt, et vulgò corpore questum faciunt, vel fecerunt, *l. 41. et 43. § 4.º ff. de ritu nupt.* Van Leeuwen (1), et alii quos memorat, et quorum sententiæ suffragamur, existimant, personas tali infamia notatas excludi a legitima per dispositionem *l. 27 C. de inoff. testam.*; cum turpis persona in eadem definiatur, quæ vel turpitudinis vel infamiae vel levis notæ macula aspergitur, quibus verbis haud dubii infames antea memorati comprehenduntur.

§. IV. Dubitaverunt aliqui, an liberi ex conjunctione illicita procreati, infamia notati dici possint? Voetii (2), Huberi (3) et Van Leeuwen (4) sententiam amplector, illos nulla infamiae nota maculari. Æquitas et recta ratio non patiuntur, ut infames dicantur; nihil enim commiserunt, quod existimationem suam offenderet apud justos viros, et crimen paternum nullam maculam filiis infligere potest *l. 26. ff. de pœnis, l. 5. et 6. ff. de decurionib., l. 7. ff. de nat. lib.*

(1) In cens. forens. lib. 3 cap. 4 nº 7.

(2) Ad ff. lib. 5 lit. 2 nº 10.

(3) Ad inst. lib. 2 lit. 18 nº 4.

(4) Censura forensis part. 1 p. 181 nº 8.

Nec ulla distinctio admittenda est inter naturales et illos, qui ex damnato coitu nati sunt, uti aliqui volunt. *L. 26 ff. de pænis generalis est, nec patitur exceptionem ullam, præsertim cum odiosa restringenda sint, et nulla lex distinctionem illam confirmet.*

Alii frustrâ vero objiunt nostræ sententiæ *l. 3 § 2.º ff. de decurionibus*. Quamquam vero hæc lex legitimè procreatos naturalibus quoad munera publica anteferat, inde tamen consequi nequit, naturales liberos infamiâ maculatos esse, è contra lex in eodem paragrapho testatur, illos ad munera *et re et vitâ honestâ* admittendos esse.

§ V. Non minoris difficultatis est, utrum infamia proroganda sit ad liberos, quos pater per testamentum reprehendit, aut contumeliæ notâ designavit? Primo intuitu affirmativè cum Accursio (1) decidendum esse videtur ex dispositione *l. 13 C. ex quib. causis infam. irrog.*, quæ expressè decidit, quamvis reprehensio patris in testamento non inueret ignominiam liberis, tamen apud graves et honestos viros existimationem illorum onerari. Nihil vero re accuratè perpensâ iniquius quam illa Accursii sententia. Huic merito obstat opinio Le Brun (2), cui suffragamur. Quid enim frequentius quam reprehensio paterna? *Hoc enim pater circa filium solet facere*, ait legislator in *l. 132 ff. de verb. oblig.* Aliquando vero natura et auctoritas paterna patres impellit, ut filios redarguant, ut ita illos ad meliores mores ducant. At ex verbis illis paternis non eruendum, liberos illos infamiâ notatos esse; nam si iniquum illum juris rigorem cognovisset pater, haud dubiè filium suum non redarguisset. Nec ullo modo illa legis conditoribus sententia tribui potest, cum *l. 4 de inoff. test. aperte dicat; non est consentiendum parentibus, qui injurias adversus liberos testamento indicunt.*

§ VI. Mutatio morum hæredis instituti num impediatur, quominus fratres sororesve præcedentem turpitudinem invocent, ut

(1) Cujus sententiam tradit Le Brun : *Traité des succ. liv. 2 chap. 3 sect. 2 nº 23 pag. 226.*

(2) Loco laudato.

legitimam obtineant, quæstio est? Naturalis ratio solutionem hujus quæstionis dictat, distinctionesque faciendas esse præscribit.

Si hæc mutatio ante obitum testatoris evenerit, et infamis non tantum infamiæ notam exuerit, sed insuper sententiam, restituentem famam et honorem suum, obtinuerit, dubium non datur, quin ille, acsi nunquam ignomiâ notatus fuisset, habeatur: ita si aliquis furti reus sententiâ iniquè dictus fuisset, et postea, vero reo cognito, sententiâ honoris restitutoriâ liberaretur, sanè non infamiâ notatus dici posset. At si poenitentia tantum adesset a parte instituti, qui sese ad meliora verteret, tamen perseverat nota infamiæ, quamdiu sententiam, restituentem famam suam, non obtinuerit; ita mulier questuaria ad mores integros reversa tamen infamiâ non purgatur *l. 43 § 5º ff. de ritu nuptiar.*

Si post obitum testatoris accedat morum mutatio, indistinctè fratres et sorores, dum legitimam salvam non habeant, ad querelam admittuntur; nec quidquam iniquum in illa dispositione reprehenderis; nam testamenta confirmantur morte testatoris; ideo ab hoc momento, jus querelam movendi acquisitum est fratribus et sororibus, et quod nostrum semel est, ad alium transferri nequit *l. 11 ff. de reg. jur.*

Si autem nota infamiæ tantum obveniat post mortem testatoris, querelæ locus non est, nec legitimam requirere possunt fratres. Nullam enim injuriam illis fecit frater, cum illis extraneum antetulerit, qui infamiâ nondum notatus erat: injuria enim non intelligitur nisi ubi intentio et factum concurrunt *l. 3 § 2 ff. de injuriis.*

§ VII. Auctores disputant, si persona infamis instituta una sit ex fratribus vel sororibus defuncti, an tum etiam cæteris jus sit petendi legitimam? Contraria opinio nobis æquior et juris principiis accommodatior videtur. Lex enim *27 C. de inoff. test.* nullas admittit distinctiones, itaque et nos distinguere valide non possumus.

§ VIII. Incidit quæstio, an fratres sororesve querelæ jus vindicare possint, si ipsimet notati sunt eâdem infamiâ, quam exprobrant instituto hæredi. Plurimi auctores negativè respondent (1)

(1) Confer. Donnelli comment. de jure civili, lib. 6 cap. 15 n° 8.

eorumque sententia admittenda videtur. Hæc conditionis paritas non permittit, ut querelam movere possimus, et fratri exprobrare eandem turpitudinem, quæ in fronte nostra elucet, et unde erubescere deberemus *l. 47 ff. soluto matrim.* Huic casui applicari possent Juvenalis versus (1).

Quis tulerit Græchos de seditione querentes?

Quis cælum terris non misceat, et mare cælo

Si fur displiceat Verri? homicida Miloni?

Clodius accuset mæchos? Catilina Cethegum?

In tabulam Sullæ, si dicant discipuli tres?

Nostra opinio pluribus quoque juris Romani textibus corroboratur. Ob eandem enim rationem pater non poterat exhæredare filios, ob id, quod gladiatores essent, si ipse pater eodem munere functus fuisset; uti expresse testatur *l. 11 C. de inoff. testam.* Objectio non minoris ponderis hic verò fieri potest. Jus Romanum tantum tres causas determinavit, ob quas frater fratrem præterire aut exhæredare potest, etiam institutâ turpi personâ, inter quas causas species hujus controversiæ non numeratur.

Sed 1<sup>o</sup> *Nov. 22 cap. 47* causas tres allegat ob quas fratres et sorores a successione ab intestato exclusi sunt; non itaque causas exponere voluit, ob quas fratres et sorores in testamento justè exhæredari vel præteriri possent. Dubitari quidem nequit, fratris exhæredati vel præteriti querelam, contra personam turpem institutam, nullum effectum producturam, si hæc unam ex illis tribus causis probaverit, sed exinde nondum concludi potest, fratres atque sorores ex nulla alia causa quam ex iis tribus, ob quas propter ingratitude a successione legitimæ removeantur, exhæredari vel præteriri posse. 2.<sup>o</sup> Ab indignitate ad successionem ab intestato consequentiam trahi non posse ad exhæredationem per testamentum, exinde clarum erit, quod *Nov. 115 cap. 5, 4* plures alleget causas, ex quibus ascendentes et descendentes per testamentum possint exhæredari, sed ex his paucas tantum recenset, ob quas a successione ab intestato etiam remo-

(1) Sat. 2 vers. 24.

veantur. Neque 3.<sup>o</sup> credendum est, Justinianum tribus dumtaxat causis quoad exhæredationem fratrum sororumque acquievisse, quum quoad ascendentium exhæredationem octo, descendentium autem quatuordecim causas statuerit. Ex omnibus hisce apparet, iudicis arbitrio relictum esse debere, inquirere, utrum fratres atque sorores justè fuerint exhæredati vel præteriti, nec ne. Quum autem fratres et sorores ipsimet infames de injuria conqueri non possint, quod persona turpis in testamento illis prælata sit, querela illis competere nequaquam potest.

Si fratres vel sorores, qui legitimam portionem vendicant, non tantâ infamiæ maculâ aspersi sint, quantâ hæres institutus, tum, deficiente paritate conditionis, jure legitimam postulant.

§ IX. Si testator simul instituat personam infamem et personam honestam, cum Voetio (1) et Brunnemanno (2) opinor, querelam pro ea parte concedendam esse, pro qua scriptus est infamiâ laborans, rata manente defuncti dispositione quantum ad reliquos institutos, nullâ infamiâ notatos. Hæc sententia expressis verbis sustinetur *l. 24 § de inoff. test.* Nec obstat regula: *Nemo pro parte testatus pro parte intestatus mori potest.* Nam testamentum integrum existit tempore mortis testatoris; aliter non locus foret rescissioni per querelam, sed penitus nullam esset, inde testamentum ex postfacto merito pro parte rescindi potest, uti testantur *l. 13 C. de inoff. test. et l. 15 § 2 ff. cod.*

Si in hac specie persona infamis renunciaret hæreditati testatoris, non accresceret pars personæ honestæ; at fratres sororesve, quibus legitima non relicta est, haberent querelam adversus hæredem honestum pro parte alterius instituti; et hoc, sive renunciatio gratuita fuerit sive onerosa. Qui enim acquirit jure accrescendi jus sui cohæredis, tenetur ad omnia onera *l. 1 § 4<sup>o</sup> C. de caduc. toll.* In specie pars hæredis infamis subiacebat querelæ: ita huic obnoxia permanet (3).

(1) Ad ff. lib. 5 tit. 2 n<sup>o</sup> 9.

(2) Ad ff. lib. 5 tit. 2 n<sup>o</sup> 24.

(3) Confer. Brunnemannum loco landato et auctores ab ipso allegatos.



§ X. Præter infames et turpes personas aliæ quædam dantur, quarum institutio jus tradit fratribus sororibusve ad querelam et legitimam *l. 27 C. de inoff. test.* Illæ personæ sunt liberti, qui, ut *l. 27* dicit, «perperam, et non benè merentes, maximisque beneficiis suum patronum assecuti non sunt.» In hac lege vocabulum *non* omissum est, ut optimè probavit Puttmann in interp. et observ. Jur. Rom. Cap. 29 p. 143. Constantinus in *l. 3. C. Theod. de inoff. test.* sine distinctione patribus sororibusque, si, libertis institutis, a successione fuerint alieni, querelam concedit. Quum autem Justinianus in *l. un. C. de latinor. lib. toll.* libertis jura libertatis et ingenuitatis concessisset, hanc quoque Constantini dispositionem mutavit.

§ XI. Hactenus principia juris romani de personis, quibus legitima relinqui debeat, exposui; sed quæstio certe maximi momenti solvenda occurrit, utrum Justinianus per nov. 118 illa immutaverit nec ne, quum per illam novum succedendi ab intestato ordinem introduceret. Nam 1° secundum *Nov. 118* fratres sororesque bilaterales cum ascendentibus in successione ab intestato concurrunt. Quam ob causam plures (1) contendunt, illos etiam cum his jus idem ad legitimam habère, dummodò persona turpis illis sit prælata.

2.° Secundum *Nov. 118* liberi fratrum sororumque prædefunctorum jure repræsentationis gaudent, vi cujus cum fratribus sororibusque defuncti in successione ab intestato concurrunt, eamque hæreditatis partem capiunt, quam parentes præmortui accepturi fuissent. Ex hæc ratione *Otto* (2) opinionem sequitur, illos etiam quoad legitimam fratribus sororibusque æquales esse.

3.° Secundum *nov. 118 cap. 3* fratrum sororumque bilateralium liberi in successione ab intestato fratres sororesque unilaterales præcedunt. Nonne etiam idem jus præcipuum illis quoad legitimam competit, si testator personam turpem instituerit?

---

(1) Vinivius comment. ad § 1 de inoff. test. et Boehmer in diss. de querela inoff. patrum consanguineorum § 25.

(2) Comment. ad § 1 J. de inoff. test. n° 4.

J. H. Boehmer id contendit. (1) Sunt denique Jcti., (2) qui contendunt, secundum *nov.* 118 cap. 4. nullum amplius discrimen inter uterinos atque consanguineos quoad jus ad legitimam intercedere : legem 27 *C. de inoff. test.* enim uterinos eam ob causam a legitima exclusisse, quia *cognati* essent, qui antiquo jure succedere ab intestato non potuissent. Justinianum autem omnem *cognatos* inter atque *agnatos* differentiam *nov.* 118 cap. 4 sustulisse, adeoque cessante legis ratione cessare quoque illius dispositionem.

Omnis difficultas in eo hæret, utrum a jure succedendi ab intestato argumentum affirmativum quoque valeat et deduci possit ad jus legitimam postulandi, nec ne. Hacce quæstione soluta omnia, quæ ab auctoribus citatis moventur, dubia evanescent. *Voëtius comment. ad Pand. de inoff. test.* § 11 et *Gluck opuscula jurid. fascic. III pag. 47 seqq.* firmissimis argumentis evicerunt, à jure succedendi ab intestato argumentum affirmativum ad legitimam duci haudquaquam posse, ita ut jus ab intestato succedendi alicui posset competere, quin tamen legitimam sibi vindicare queat.

Leges enim 1º in illis personis, quibus jus ad legitimam, et inde ad querelam concesserunt, neque agnationem, neque cognationem, sed solum *sanguinis vinculum*, quo quis cum defuncto junctus fuerit consuluerunt : quam ob causam non ordinem succedendi ab intestato vi jurium familiæ et agnationis secutæ sunt in dispositionibus suis circa legitimam et querelam inofficiosi, sed solum pietatis officium, quod defunctus erga personam quandam habuit, solamque injuriam, per inofficiosum tale testamentum personæ illatum, respexerunt. Documento sunt *l. 2 et 8 ff. de inoff. test.* Quo arctiori sanguinis vinculo quis cum defuncto junctus, quo gravior injuria per præteritionem vel exhæredationem ei illata esset, eo potiori jure querelam movere potuit. Quam ob causam

---

(1) Dissert. cit. § 25 ita dicit : « si fratrum germanorum liberi, una cum consanguineo defuncti patris exclusi sunt a testatore, soli fratrum germanorum liberi ad querelam admittuntur, quia paria cum germanis jura in successione acceperunt, et præterea consanguineis præferuntur. »

(2) Otto comment. ad inst. ad tit. de inoff. test. § 1 Boehmer diss. laud. § 27 Huberus præl. ad inst. lib. II tit. 18 nº 4.

parentes præcedunt fratres sororesque in movenda querela, et jura horum ad legitimam conditionibus restricta erant. Quam ob causam cognati, qui tamen hæredes jure civili non erant, perindè ac agnati querelam instituendi jus habebant *l. 5 pr. l. 6. pr. ff. de inoff. test.*

2º. Inofficiosi querela, quum sub furoris colore moveretur, remedium legibus odiosum fuit. Constitutionibus tituli Codicis de inoff. testam. cum illis tituli de legitimis hæredibus inter se comparatis clarius apparebit, Justinianum ex una parte inofficiosi quærelam, quantum fieri posset, restringere, ex altera autem successionis legitimæ limites magis proferre voluisse. Quonam jure igitur contendere quis posset, Justiniani consilium fuisse, tot constitutiones atque leges expressas, principia de legitima et inoff. querela continentem, per nov. 118 tacitè abrogandi, quæ non nisi successionem ab intestato regens querelæ et legitimæ ne verbo quidem mentionem facit? Quomodo fieri potuisset, quod Justinianus querelam ac legitimam silentio plane præteriisset, si ordinem succedendi ab intestato, novella 118 constitutum, etiam quoad legitimam atque querelam introducere voluisset? Nemo certe de Justiniano contendet, eum tacitè jus antiquum abrogare voluisse, cui notum est, imperatorem, quotiescunque juris antiqui præcepta immutaverit vel abrogaverit, eorum speciatim mentionem facere, suarumque constitutionum divinas quasi virtutes prædicare et extollere solere, quod jam Vinnius select. juris quæst. lib. 2 cap. 20 21 observavit.

Liquet itaque, quamvis fratres sororesque germani unà cum ascendentibus ab intestato succedant, eos tamen cum his ad legitimam concurrere, et querelam conjunctos movere non posse; quod clarius adhuc exinde sequitur, quod illi jure ad legitimam conditione restricto, ergo hypothetico dumtaxat gaudeant. Quodsi a jure succedendi ab intestato ad legitimam argumentum affirmativum valeret, fratres sororesque germani, etiam turpi personâ non institutâ, ad querelam admitti deberent, quia etiam ab intestato sine illa conditione succedunt; quod tamen nusquam introductum

videmus. Hanc opinionem quoque defendunt Voetius (1) Hofaker (2) et Huberus (3).

Neque fratrum sororumque liberis legitima competit, quamvis jure Justiniano cum illis in successione ab intestato concurrant. Nam 1°. Leges (4) expressæ eos a legitima et querela remotos volunt, quarum dispositiones postea abrogatæ non sunt, neque tacitè abrogatæ præsumi possunt, ex ratione supra exposita. 2°. Jus repræsentationis fratrum sororumque liberis tanquam privilegium concessum est; Justinianus enim expressè in nov. 118 cap. 3 dicit: « Hujusmodi privilegium in hoc ordine cognationis « solis præbemus fratrum masculorum et feminarum filiis aut filiabus: ut in suorum parentum jura succedant. » Quum autem privilegia interpretationis restructivæ sint, sequitur, jus repræsentationis fratrum sororumve liberis in successione ab intestato concessum esse, neque ad legitimam protrahi posse (5).

Ex supra dictis denique luce clarius apparet, uterinos per nov. 118 nullum jus ad legitimam accepisse, quamvis per hanc nov. unà cum consanguineis ad successionem ab intestato vocentur, omnisque agnatos inter atque cognatos differentia quoad successionem ab intest. sit sublata. Neque opponi possunt sententiæ nostræ verba cap. 4 nov. 118. Huberus (6) his verbis probare conatus est, Justinianum uterinos unà cum consanguineis ad legitimam vocasse: sed si verba hujus capituli sequentia legamus et attentè consideremus, consentire cogimur, ea non nisi de successione ab intestato loqui, quod verba præfationis extra omnem dubitationis aleam ponunt. « Cum multas — quæ nunc definimus. » 2° Longe jam ante nov. 118 anno 543 promulgatam, Justinianus anno 534 l. 15 § 2 C. de legit. hæred. edidit, quâ uterinos perindè ac consanguineos ad

(1) Comment. ad ff. tit. de inoff. test. § II. lib. 5 tit. 2.

(2) Principia juris rom. II § 1693 et 1697.

(3) Ad ff. lib. 5 tit. 2 n° 9.

(4) § 1° in fine inst. de inoff. test. l. 1 ff. l. 21 C. eod. nov. 1 in præf. § 2 in fine.

(5) Voet comment. ad ff. lib. 5 tit. 1 2° § 11. Lebrun, Traité des successions, l. 2 chap. 5, sect. 2 n° 27. Hofaker, Princ. jur. rom., tom. II § 1693.

(6) Prælec. ad inst. lib. II tit. 18 n° 4.

successionem ab intestato admittit; verba legis videantur: «*Sed nec » fratrem — esse sancimus.*» Nihilominus tamen in eodem codice *l. 27 de inoff. test.* recipit, quæ *uterinos* a legitima excludit. Oppugnant quidem adversarii, Justinianum *l. 27* codicis jam inseruisse, antequam *l. 15* tulerit: et postea, quum *l. 15* in codice repetitæ prælectionis exciperet, illam tollere oblitum esse. Sed hæc adversariorum opinio mera est conjectura, solido fundamento destituta. Ratione falsa nititur, quasi *uterini* a legitima fuerint exclusi, quia cognati sunt. Leges autem in dispositionibus suis circa querelam et legitimam, neque agnationis neque cognationis vinculum respexisse, supra jam probavi, et clarius adhuc ex ipsa *l. 27 C. de inoff. test.* fluit. Quæ enim lex ex duabus Constantini constitutionibus consarcinnata est, nempe ex *l. 1 et 3 C. Theod. de inoff. test.* In priore Constantinus dicit: «*Germanis tantummodo fratribus,* » *agnatione durante, petitionis aditus refertur.*» Tribonianus autem in *l. 27 C. de inoff. test.* substituit: *Durante agnatione, vel non,* quibus verbis indicare certe voluit, in fratrum sororumque legitimam et querelam, jura agnationis minime respicienda esse. Liquet itaque *uterinos* a *l. 27* non eam ob causam a querela esse exclusos, quia agnati non sunt. (1)

§ XIII. Ex consuetudinibus nostris hæc legitima fratribus sororibusque debita etiam recepta erat. Id primum expresse dicitur in *consuet. Alden. rub. 8 art. 1.* Cæterum *consuet. Cortr. rub. 14 art. 4. Brug. tit. 13 art. 2. Gand. rub. 28 art. 2 etc.* omnes generaliter statuunt quod, si *inofficiosæ* sint testamenti dispositiones, *quisque hæres* possit vindicare portionem sibi a lege concessam. Itaque omnis disparitas inter fratres germanos, consanguineos et *uterinos* adempta videtur, et admittendi sunt nepotes cum patris et avunculis ad legitimam. Tamen quum illi omnes hæredes fratris aut patris avunculive existant, interpretes consuetudinum, legitimam quoque collateralibus illis tri-

(1) Confer. Donnellus comment. jur. civ. lib. 6 cap. 15 § 1 Voetius ad ff. lib. 5 tit. 2 n° 9 van Leeuwen censura forensis lib. 5 cap. 4 n° 9.

buunt. Ita van den Hane (1) dicit, *non tantum in linea directa sed etiam collateralis jus ad legitimam habent. Insuper sententiam suam sustinet opinione Rat ad Consuet. Pictaviens.*, qui ait : « *Consuetudo statuit sine discrimine, duas hæreditatis antiquæ » partes filiis deberi; vel nepotibus in directa, hisce cessantibus, collateralibus. Quamvis jure scripto, tantus collateralibus ipsis favor » non tributus sit. Ejusdem sententiæ est Argentreus ad Consuetudines Brit. art. 418.*

## SECTIO QUINTA.

### PATRONORUM LEGITIMA.

§ I. Patronus, quoniam liberos vitâ civili donabat, apud Romanos parens alter est habitus. Ita Schulting. (2) affirmat, in jura agnationis patronum inter et libertum intercedere, quod patet, uti ait, ex græca constitutione, quam edidit *Cujacius lib. 2 cap. 34, etc.* Lex 12 tabularum vocabat patronos, ad successionem libertorum, si illi ab intestato absque suo hærede mortui essent. *Proëm. Inst. de succes. liber. l. 3 princ. ff. de suis et legit. hæred.* At si in testamento præteritus esset patronus, nullum ei concedebatur remedium. Postea Prætor Rutilius edixit, ut societatis lege patronus dimidiam partem bonorum liberti haberet : posteriores prætores jus illud paulo immutaverunt, patronum dimidiam bonorum partem successionis jure habere edixerunt, et contra tabulas testamenti liberti bonorum possessionem polliciti sunt, nisi aliquem ex naturalibus liberis hæredem libertus scripsisset : § *I Inst. de success. libert. l. 1 ff. de bon. lib. Ulpianus ad tit. 29 cap. 1 de bonis libert.* (3).

Decursu temporis lege Papia Poppæa adaucta fuerunt jura pa-

(1) In notis ad consuet. Gand. rub. 28 art. 2.

(2) In jursip. ante-Justin. pag. 488.

(3) Videat. Schultingius jure ante-Just. pag. 675 n<sup>o</sup> 7.

tronorum circa legitimam. Videat. hæc lex in § 2 *Inst. de succes. libert.* et apud *Ulpianum* in *tit. 29 n° 3 et 4 de bonis libert.* (1).

Tandem Justinianus ultimam manum huic apposuit materiæ § 3. *Inst. de succ. libert.* et voluit , ut libertus si sine liberis decederet , patrono legitimam relinqueret.

Jure consuetudinario servitus extincta erat , proinde hæ dispositiones in desuetudinem abierant ; uti testatur *Groenewegen* (2).


---

(1) Vid. *Schulting.* loco laudato.

(2) *De leg. abrogatis ad Inst. de succes. libert.* pag. 44 edit. *Lugduni-Batav.* 1649.

REVUE DE DROIT NATUREL ET DE PHILOSOPHIE

REVUE DE DROIT NATUREL ET DE PHILOSOPHIE  
REVUE DE DROIT NATUREL ET DE PHILOSOPHIE



REVUE DE DROIT NATUREL ET DE PHILOSOPHIE  
REVUE DE DROIT NATUREL ET DE PHILOSOPHIE  
REVUE DE DROIT NATUREL ET DE PHILOSOPHIE

---

*Caput tertium.*

---

QUIBUS IN CASIBUS JUS LEGITIMÆ VENDICATIONIS  
AMITTITUR.

Diversæ jure Romano dantur causæ, ob quas jus in legitimam adimitur illis personis, quibus aliter competeret; inter illas causas præcipuè enumerantur 1° *justa exhæredatio* 2° *incapacitas* 3° *indignitas* 4° *renunciatio* 5° *substitutio pupillaris* 6° *præscriptio* 7° *defectus inventarii*, de quo disputatur: de quibus singulis singulatim dicendum.

SECTIO PRIMA.

EXHÆREDATIO.

§ I. Exhæredatio, quæ definitur exclusio ab hæreditate legibus deferenda, variis formulis jure Romano præscripta erat. § 1. 2. 3. 4. *Inst. de exhær. liber.* Cum Justinianus imperium obtinuerit, penitus illud mutavit legislationis punctum in constitutione sua, quæ exstat *in l. ult. Cod. de exhær. liberor.* § 5. *Inst. cod. et nov.* 115.

§ II. Jure receptum fuit, ut aliquis hæredem exhæredare posset, ita, ut legitimam in successione non caperet; ne pater aut frater teneretur bona sua relinquere huic, qui maximis crimini-



bus maculatus esset, aut sæpius perversè meruerit de testatore. At ne levius procedat exhæredatio, imprimis requirit legislator, ut justa sit, et porro eam variis conditionibus circumscribit, quæ, si non observantur, exhæredationem nullam faciunt, et querelam infamosi tradunt exhæredatis legitimariis (1). Prima harum conditionum est, ut fiat in testamento, non in codicillis; 2<sup>o</sup> ut fiat nominatim *l. 5 ff. de lib. et posthumis. 3<sup>o</sup>*; ut pure fiat, sine conditione *l. 5 § 1 ff. eodem.*; 4<sup>o</sup> a tota hæreditate *l. 19 ff. eodem.*; 5<sup>o</sup> ab omnibus hæredibus, nec non ab omni hæredum gradu *l. 3 § 2 et 6 ff. cod.*

§ III. Ob justam rationem fieri dicitur exhæredatio, quoties ob satis gravem et veram ingratitude causam, testamento insertam, et ab hærede probatam, ab hæreditate fit exclusio *l. 30 Cod. de inoff. test. et nov. 115 cap. 3*. Insuper justa est exhæredatio si bona mente facta sit absque proposito lædendi.

Ad justitiam exhæredationis quid requiratur, olim erat in arbitrio centum virorum, teste. Quinctiliano (2) et Valerio Maximo (3) Justinianus rem tanti momenti arbitrariam esse noluit; proinde quatuordecim causarum canonem condidit in *nov. sua 115*, ob quas justa exhæredatione a successione parentes liberos suos repellerent, et quæ causæ antiquis versiculis variis ab interpretibus traduntur (4).

Causæ, propter quas parentes a liberis exhæredari possunt, quia facilius ingrati inveniuntur liberi, quam inhumani parentes, recensentur tantum octo, quæ videri possunt in *nov. 11 cap. 4* et apud Van Leeuwen antiquis versibus enumeratæ (5).

Sunt quidem Jcti, (6) qui credunt, Justinianum in *nov. 22 cap. 47*, etiam causas quasdam præscripsisse, ob quas solas fratres sorores-

(1) Confer. Voetius ad ff. lib. 5 tit. 2 n<sup>o</sup> 23. Perezius ad cod. lib. 4 tit. 28 n<sup>o</sup> 18 Huberus ad inst. lib. 2 tit. 18 n<sup>o</sup> 13.

(2) Inst. orator. lib 7 cap. 4.

(3) Lib. 7 cap. 7.

(4) Vid. Van Leeuwen censura forensis lib. 3 cap. 4 n<sup>o</sup> 21 partis prioris, et De Ghewiet inst. du droit Belg. part. 2 tit. 4 § 18 art. 2.

(5) Cens. for. loco laud.

(6) Voet. ad Pand. lib. 5 tit. 2 § 24 Westenberg. princ. jur. rom. secundum ord. digest. tit. de inoff. test. § 39. Malblanc princ. jur. Rom. secundum ord. digest. part. II secf. ult. § 700 Contra. sentiunt. Coccei jur. civ. controuv. de inoff. test. quæst. 9 et Hofacker princ. jur. civ. tom. II § 1694.

que possint exhæredari. Hanc tamen opinionem fundamento solido destitutam esse supra jam probavi. Hoc loco monendum adhuc est, Justinianum ordinem succedendi, nov. 22 institutum, postea per nov. 118 iterum mutasse. Quoad fratres itaque et sorores nullæ præscriptæ sunt causæ justæ exhæredationis, sed judici relictum est inquirere, utrum juste sint exhæredati, nec ne.

§ IV. Omnes illæ causæ, in Pandectis et Novellis enumeratæ, non similes aut graviores causas ejusdem naturæ excludunt. Verum Justinianus aperte asserit in nov. 115 cap. 3, præter causas in dicta nov. expressas nemini licere, ex alia lege ingratitude causas apponere. At hæc verba, uti plerique scriptores faciunt, ita interpretanda sunt ut aperte similes vel atrociores ejusdem generis causæ non excludantur, sed leviores, aut toto genere diversæ. Insuper hæc Imperatoris verba diriguntur ad causas anterioribus legibus expressas, et quæ non satis graves videbantur, ut ingratitude producerent. Præterea ut dicit, Julianus l. 12 ff. de legibus, non possunt omnes casus singulatim legibus comprehendere, sed cum in aliqua causa sententia earum manifesta sit, is, qui jurisdictioni præest ad similia procedere, atque ita jus dicere debet. Nec obstat, quod odiosa restringenda sint; nam causæ in novellis enumeratæ odiosæ dici nequeunt, si pares causæ, imo atrociores eandem pœnam non mereantur. « Quis non absurdum arbitretur, exclamat Voetius (1), excludi ab hæreditate velut indignum, « qui captum ab hostibus parentem non redemerit, aut carceri inclusum suam non receperit fidejussionem, nov. 115 cap. 3 § 8, si exhæredari a patre nequeat, qui patrem ipse aut publicis curavit « mancipari carceribus, aut privato carcere scelerate detinuit, quod « tamen causarum serie non comprehensum? » Præter Voetium eandem opinionem amplectuntur Huberus (2) Van Leeuwen (3) Fachinæus (4) Vinnius (5) Bynckershoek (6) Westenberg (7). At ob-

(1) Ad ff. lib. 5 tit. 2 n° 24.

(2) Ad Inst. lib. 2 tit. 13 n° 10.

(3) Cens. forens. part. 1 lib. 5 cap. 4 n° 24.

(4) Controv. jur. lib. VI cap. 78.

(5) Ad Inst. de inoff. test.

(6) Observ. jur rom. l. V cap. 5.

(7) Loc. laud. § 39.

servandum tamen, ne leviter, sed maxima cum prudentia aliæ causæ ad exhæredationem admittantur.

§ V. Non sufficit, ut causæ insertæ sint in testamento, requiritur insuper, ut hæres illas probare queat *nov. 115 cap. 3 in princ.* Si vero plures testator exhæredationis causas expresserit, et in quarundam probatione defecerit institutus, ratum tamen mansurum est testamentum, cum singulæ causæ per se sine aliarum adminiculo sufficientes sint; *nov. 115 cap. 3 in fine.*

Quanquam hæres plurimas causas probare possit, si nulla expressa sit in testamento, equidem non valide procederet exhæredatio, uti testatur *nov. 115 princ. cap. 3.*

§ VI. Præter exhæredationem, quæ fit ob causam ingratitudinis, justa quoque dicitur illa, quæ ex bona mente facta est et absque proposito lædendi (1). Hæc exhæredatio in jure dicitur non inofficiosa; quia potius prodest quam nocet, quemadmodum nobis exempla proponunt l. 18 ff. *de liberis et posth. l. 16 § 2 de curat. furios.* Quarum ultima proponit patrem, qui filium prodigum a sua excludit hæreditate, institutis nepotibus ab eo progenitis, et addita causa judicii sui. Quod de hac lege dixit illustris d'Aguesseau (2) referre utile duxi. « *Si un père observe les formalités prescrites par cette loi, s'il a institué ses petits enfans, s'il a marqué le motif de son jugement, ou du moins s'il est clairement établi; il est sans difficulté que le fils ne peut se plaindre de son père, et ne peut attaquer son dernier jugement qu'il a mérité par sa conduite. Il est même de l'intérêt public, que cette exhæredation soit exécutée, et que les fils dissipateurs apprennent que les pères ont en mains un remède moins sévère que l'exhæredation de rigueur, mais toujours également salutaire pour les faire rentrer dans leur devoir.*

Ex lege illa 16 § 2 *de cur. fur.* satis requisita ad exhæredationem non inofficiosam enotescent. Requiritur enim inprimis,

(1) Confer. Van Leeuwen censura forensis lib. 3 cap. 4 n° 19 partis prioris. Pothierius Pandect. Just. tom. II tit. de curat. furioso dando n° III Puffendorf observ. jur. univ. tom. I, observ. 192 § 3 Hofacker princip. jur. civ. tom. II § 1702 Voet. ad ff. lib. 5 tit. 2 § 22 Stryck, univ. mod. pand. lib. 28 tit. 2 § 11.

(2) Vol. 2 pag. 84. Oper. edit. Par. 1761.

ut pater nepotes ex filio exhæredato instituat, 2º. ut alimenta adscribat filio 3º. ut causa exhæredationis expressa sit.

Si vera causa officiosæ exhæredationis cessaverit, uti si furiosus ad sanam mentem redierit, cessare quoque exhæredationem existimamus; *cessante enim causa, cessant et ejus effectus.*

§ VII. Nullas ingratitude causas extinguere per solam poenitentiam existimo, cum illis illata fuerit testatori injuria, quæ sola poenitentia extinguere nequit; arg. *l. 65 ff. de furtis.* Atqui nulla est ratio, cur magis exhæredationis causæ per solam poenitentiam extinguantur, quam illæ ingratitude causæ, quæ, nonobstante poenitentia, perdurant, nisi aliter speciali dispositione voluisset legislator (1).

Dissentiunt auctores, utrum per reconciliationem tollatur exhæredatio? Huic quæstioni affirmativè respondendum esse credo, absque ulla distinctione, quam tamen faciunt nonnulli interpretes (2), ita, ut sive expressa sive tacita sit reconciliatio, modo sat ex factis testatoris erui possit voluntas, favorem tradendi exhæredato, semper tollatur exhæredatio. Sententiam nostram eruiamus ex *l. 4 ff. de adim. vel trans. leg. et § ult. inst. de injur.* ubi statuitur, quod extincta censeatur injuriarum actio, quoties injuriam passus in gratiam cum eo, qui eam fecit, redierit (3).

§ VIII. Si exhæredatus aut infamis ante testatorem mortuus sit liberosque reliquerit, liberi illi ob factum paternum legitima sua portione in successione testatoris privari nequeunt. *Nihil iniquius ait Seneca (4) quam aliquem hæredem paterni odii fieri. L. 33 in fine Cod. de inoff. test.* eandem manifestat sententiam, nec vult, ut exhæredationis poenam subeat ille, qui testatorem numquam offendit: videatur quoque *l. 26 ff. de poenis et Pothierus (5).*

§ IX. Exhæredatio sub consuetudinibus nostræ regionis etiam

(1) Confer. Voet. ad ff. lib. 5 tit. 2 nº 29. Perez ad Cod. lib. 6 tit. 28 nº 21.

(2) Perez loc. laud. Huber ad ff. lib. 6 tit. 28 nº 21.

(3) Confer. Voet. loco citato et Pothier, sur les Successions, pag. 74 édit. 1784. Paris. — Item Le Brun, sur les Successions, liv. 3, chap. 9, sect. 2, nº 16.

(4) Lib. 2 de Ira. Cap. 34.

(5) Loco laud. pag. 72.

locum obtinuit, uti testantur *consuet. Gand. in Concess. Carolina art. 48, consuet. Cortrac. art. 23, Aldenard. in Concess. Carol. art. 21*, et pleræque aliæ consuetudines; nec non Anselmus (1). Principia circa exhæredationem tunc temporis obtinentia, eadem fere erant ac juris Romani; id citatæ consuetudines nobis manifestum faciunt, quemadmodum et van den Hane in notis ad *consuet. Jprens. rubr. 10 art. 35*, ubi easdem exhæredandi causas refert, quas novellæ continent, sicut et de Ghewiet (2), qui insuper ut causam justam adjecit: si liberi minores absque consensu parentum nuptias iniverint, de qua latius loquitur Voetius (3).

## SECTIO SECUNDA.

### INCAPACITAS.

§ I. Incapacitas diversis modis procedit, uti si alicui facultas adimatur aliquid dandi, accipiendi aut faciendi. Qui autem inter hæredes nihil accipere potest, aut per se, aut interventione tertii, tempore, quo persona, cui succedere potuisset, moritur, ille ab intestato succedendi incapax dicitur, et pars ei competens ad alios transit hæredes. Jure antiquo plurimi numerabantur incapaces, uti peregrini, personæ incertæ; § 25 *Inst. de leg.*; pluri- mæque aliæ, quæ fere omnes jure hodierno capaces habentur; uti testantur *Authen. omnes peregrini. Cod. commun. de success. et § 27 Inst. de legat.*

Jure novo variæ tamen personæ dantur, quibus jus succedendi ab intestato adimitur, ita personæ, quæ maximam aut mediam capitis diminutionem passæ sunt, aut incapaces aut indignæ succedendo dicuntur *l. 13 ff. de bonor. possess. 2.º Filii naturales respectu patris, nec non adulterini et incestuosi generatim nec patri nec matri succedunt; arg. nov. 89 cap. ult. et nov. 74 cap. ult. Con-*

(1) In suo Triboniano Belgico cap. 54 n° 4.

(2) Institutions du droit Belgique part. 2 tit 4 § 18.

(3) Ad E. lib. 5 tit 2 n° 27.

feratur Domat (1) qui optime et latius de incapacitate succedendi scripsit.

§ II. Incapaces ab intestato succedendi nullum ad legitimam jus vindicare posse omnes interpretes fatentur, veluti Præses Faber (2) Voetius (3) et de la Champagne (4) Nec dubium fere ea opinio pati potest, ad quam sustinendam afferemus frustra argumenta, quibus supra (cap. 1 sect. 1), stabilivimus, recte procedere argumentum negativum a successione ab intestato ad legitimam.

§ III. Uti Jure Romano, etiam consuetudinibus nostris causæ numerantur, quibus aliquis fit incapax ab intestato succedendi; id nobis testantur variæ consuetudines, uti illa *Gand. rub. 26 art. 21 et art. 10; Brug. tit. 4 art. 1; Aldenar. rub. 23 art. 43 et rub. 4 art. 17 etc.* Non minus receptum erat, quod incapaces ab intestato succedendi nullum ad legitimam jus haberent; consuetud. allegatæ id nobis manifestum faciunt, cum semper requirant, ut aliquis *sit hæres (elk hoir)* ut legitimam obtineat. Idem expressé dicitur in *decisione 22 relata a Stockmans n° 4 et 5.* Cæterum id expressis verbis affirmat de Ghewiet (5) suamque opinionem sentiis latis corroborat.

## SECTIO TERTIA.

### INDIGNITAS.

§ I. In jure generatim indigni dicuntur, qui officio suo defuerunt erga defunctum, sive durante ejus vita, sive post mortem, quibus ideo jus, defuncto illi ab intestato succedendi, aufertur, et jure romano sæpius fisco traditur *l. 1 ff. de jure fisci.* Nonnullæ inter-

(1) Sur les lois civiles liv. 1 tit. 1 sect. 2 des héritiers en général.

(2) In Cod. definit. lib. 3 tit. 19 def. 1.

(3) Ad ff. lib. 5 tit. 2 n° 42.

(4) Traité de la légitime pag. 43. Paris édit. 1720.

(5) Opere laudato part. 2 tit. 4 § 15 art. 6.

cedunt differentiæ inter incapacem et indignum. Ille enim nec acquirere nec accipere potest, cum indignus et acquirere et accipere possit, at ex postfacto res acquisitæ ei auferuntur. Indignitas ex pravis moribus et sæpius e crimine vel delicto procedit, uti ait Domat (1); incapacitas e contra oritur ex causis, quæ ab ipsa incapacis persona, non pendent, nec spectant ad officia, quibus incapax perfungi tenetur erga defunctum.

§ II. Variæ indignitatis causæ in jure offeruntur, veluti 1<sup>o</sup> si comprobatum sit hæredes ita egisse, ut per negligentiam aut dolum eorum is moreretur, a quo instituti sunt *l. 3 ff. de his quib. ut indign.* 2<sup>o</sup> indignus est hæres, qui violentam testatoris necem in jure vindicare neglexerit *l. 1 Cod. de his quib. ut ind.* 3<sup>o</sup>. Si hæres testatorem in jure reum dixerit criminis capitalis *l. pen. § pen. ff. de adim. vel trans. legat.* Plurimæ adhuc causæ, quas hic enumerare superfluum esset, occurrunt, quæ videri possunt in *tit. ff. et Cod. de his quibus ut indign.*, ad quem titulum brevitatis causâ remitto. Maxime tamen notandum, quod et aliæ causæ, quamvis non enumerentur in legibus citatis, etiam indignitatem producere possint, modo ejusdem naturæ et ejusdem gravitatis, aut gravioris sint. Valent hic argumenta, quæ proposuimus sectione 1 § 3 hujus capituli circa causas similes exhæredationis, et sententia Domat (2) qui eandem amplectitur opinionem.

§ III. Privatio, quâ plectitur indignus, an extendatur usque ad legitimam, in eo dissentiunt auctores. Quidam distinctionem faciunt, utrum procedat indignitas ex una causarum ingratitude, quas rescenset *nov. 115*, an ex causa, quæ e quocunque alio fonte proveniat. Priori casu orbatur indignus tam hæreditate quam portione legitima, posteriori autem jus ad legitimam retinet. Varia argumenta pro illa distinctione militare videntur. Imprimis si causa emanat *ex nov. 115*, indignus æque inhabilis est ad succedendum, ac si exhæredatus fuisset a testatore ob causam justam; nam neque æquitas neque legis ratio patiuntur, ut indignitas eosdem

(1) Sur les lois civiles liv. 1 tit. 1 sect. 3 des héritiers en général.

(2) Sur les lois civiles loco laud. n<sup>o</sup> 2.

non producat effectus. At si ex alia causa profluit indignitas, iniquum esset, legitimarium privari sua legibus debita portione, cum causa non sit ex illis, ob quas exhæredatio rite fieri potest, uti patere videtur *ex nov. 115 cap. 3*. Cæterum quanquam incapaces succedendi, a legitima repudientur, non inde sequitur, indignos ab ea æque amovendos esse. Magnæ enim dantur differentiæ, uti vidimus, inter utrumque, ita ut incapax ab intestato non succedat, cum e contra tantum ex postfacto res e successione acquisitæ indigno auferantur. Tandem corroboratur ea sententia *nov. 1 cap. 1. § 1*, quæ adimit successionem hæredi instituto, qui voluntatem testatoris intra annum non adimplevit, eique tamen legitimam relinquit.

Quanquam hæ rationes magni videantur ponderis, attamen illis assentire nequeo, omnemque distinctionem hoc in puncto supervacua esse credo. Distinctio supra allata originem duntaxat ducit ex analogia, quam auctores ipsi statuunt inter causas ingratitudinis aut indignitatis, quæ ex *nov. 115* promanant, et illas, quæ aliundè profluunt. Differt tamen quam maximè indignitas ab ingratitudine. Prior locum obtinere potest, simul ac causa satis gravis existat, et in tantum, ut quamvis in testamento adjecta non sit, tamen hæres, qui ea laborat, excludi possit ab hæreditate; ingratitudo e contra non procedit nisi causa expressa sit in testamento, et ab hærede probata; *nov. 115 cap. 3 « nisi forte san probantur ingrati. »* Inde enitet, analogiam supra deductam minime admittendam esse, cum aliter sequeretur, ut nulla daretur indignitatis causa, quæ, si non expressa sit in testamento, aliquem a successione excluderet: insuper falsum est, quod exhæredatio tantum valide procedat ex causis *nov. 115* enumeratis; graviores aut similes sæpius admitti posse ostendimus supra *cap. 3 sect. 1 § 4*.

Itaque generatim affirmandum esse existimo, indignitatem tollere et jus ad successionem et ad legitimam. Nec obstare potest *nov. 1 cap. 1*. Nam ejus decisio speciali legis dispositione nititur, quæ protrahi nequit. Insuper *l. 5 Cod. de his quib. ut indigni*: non



vult, ut generatim et in omni casu indignus dicatur ille, qui voluntatem testatoris non adimplevit.

Corroboratur nostra sententia naturâ ipsâ legitimæ, quæ introducta fuit tamquam remedium legis adversus liberalitates inofficiosas testatoris, non autem, ne hæres aliquis sibimet ipse hæreditatem adimat, et ob pravos suos mores plectatur. Tandem accedit nostræ opinioni *l. 21 ff. de his quæ ut indign. auf*, quæ ademit hæreditatem patrono, qui liberti mortem vindicare neglexit, et *l. 26 ff. de lege cornel. de fals.* qua filio aufertur *tota hæreditas* paterna, quia testamentum ejus delevit. Quibus verbis *tota hæreditas* haud dubie legitima comprehenditur.

§ IV. Si defunctus jam diu cognovisset factum, ob quod aliquis indignus dici possit, eumque a sua hæreditate non repulisset; eo ipso silentio defunctus existimandus est remissionem tradidisse læsionis sibi illatæ. Injustum enim foret, hæredes lucrum æstuanes ab hæreditate illum amovere posse, quem exhæredare noluit testator. Pothierus (1) et Le Brun (2) eandem amplectuntur sententiam.

§ V. Consuetudines nostræ indignitatem succedendi receperant, et iisdem fere principiis stabiliverant ac jus romanum. Consulantur *consuet. Gand. rub. 24 art. 26 et 81. Brug. tit. 4 art. 10. Alden. rub. 2 art. 15* sicut et de Ghewiet (3) qui nobis testatur concubinas a minorennibus nihil per donationem accipere posse. Videantur insuper Anselmus (4) et Pothierus (5).

(1) *Traité des successions* pag. 75 édit. in-8o.

(2) *Des successions* l. 3 chap. 9 sect. 2 n° 15.

(3) *Instit. du droit Belgique* part. 2 tit. 4 § 4 art. 22.

(4) *In aut Triboniano Belg.* cap. 6a.

(5) *Sur les successions* pag. 75 édit. laud.

## SECTIO QUARTA.

## RENUNCIATIO.

§ I. In solvenda quæstione , an renunciatio interposita ab eo , qui alioquin jus ad legitimam habuisset , progignat legitimæ ademptionem , distinguendum esse credimus inter renunciationem factam ante mortem illius , e cujus successione legitima petenda foret , et inter illam post mortem ejus factam.

Priori casu , si quis a testatore certas res vel pecunias receperit , et pactus fuerit , quatenus de inofficiosa querela adversus testamentum minime ab eo moveretur , hæc renunciatio nulla , et perinde est , ac si juri suo non renunciasset , ita , ut vel exhæredatus vel præteritus inofficiosi querelam nihilominus movere posset. Justinianus in l. 35 § 1 *Cod. de inoff. test. dicit* : « Illud etiam » sancimus : ut si quis a patre certas res vel pecunias accepisset , » et pactus fuisset , quatenus de inofficiosa querela adversus testamentum paternum minime ab eo moveretur : et post obitum » patris filius , cognito paterno testamento , non agnoverit ejus judicium , sed oppugnandum putaverit , vetere jurgio exploso , hujusmodi pacto filium minime gravari , secundum *Papiniani responsum* , in quo definivit , *meritis magis filios ad paterna obsequia provocandos , quam pactionibus adstringendos.* » Et *Paulus sentent. recept. lib. IV tit. 5 § 8. In Schulting. jurispr. antejustin. pag. 399.* « Pactio talis , ne de inofficioso testamento dicatur , querelam super judicio futuram non excludit. *Meritis enim liberos , quam pactionibus adstringi placuit.* » Ratio itaque , cur ejusmodi renunciationes jure Romano sint prohibitæ , non tam in eo posita esse videtur , quia pacta de non succedendo jure romano sint nulla (1) ; Sed præsertim , ut Justinianus et Paulus ipsi dicunt , *quia meritis magis filii ad paterna obsequia provocanda sunt , quam pactionibus*

---

(1) L. 94 ff. de acq. vel. omitt. hæred. l. 16 ff. de suis et legit. hæred. l. 3 C. de collatione.

*adstringendi; vel ut Basilica tom. V lib. XXXIX tit. 1 pag. 216 dicunt :  
μᾶλλον εὐεργεσίαις προκαλεῖσθαι πρὸς ὑπακοήν, εἰς τὰς πατρικὰς  
ὑπηρεσίας ἀπὸ τῶν πατέρων τοὺς παῖδας, καὶ μὴ διὰ συμφώνων  
συμφίγγεσθαι.*

Militat quoque pro nostra sententia ipsa legitimæ natura. Legitima enim introducta est, ne liberi priverentur rebus ad vitam agendam necessariis; itaque magna viget paritas legitimam inter et alimenta, quæ leges liberis concesserunt. Quemadmodum itaque prohibitum est de alimentis futuris transigere, *l. 7 § 2 l. 8 ff. de transactionibus*, sic etiam æquitas et juris ratio suadent, ut ad legitimam eadem decisio protrahatur. (1)

§ II. Nec obstaret, si renunciatio facta foret in tabulis dotalibus, ita ut, si filii filiæve, accepta dote, aut ante nuptias donatione, sese nullam post parentis obitum controversiam moturos promississent, nulla equidem foret stipulatio. Nec magis impediret, si parentes liberorum suorum dotales tabulas, pacta renunciationis successioni continentes, subscripsissent; nec etiam, si renunciatio in ipsis testamenti tabulis facta esset. Semper enim eadem pro nostra sententia militant rationes, cum ubique agatur de renunciatione legitimæ nondum acquisitæ; quam renunciationem rejiciunt leges, etiam in pactis dotalibus, quorum tantus esse non potest favor, ut leges eludere et defraudare possint.

Etsi necessarius hæres jam ante testatoris obitum partem legitimam ei debitam accepisset, ne querelam moveret, nihilo tamen minus exhæredatus vel præteritus testatoris judicium posset querelâ impugnare. *Ulpianus* quidem in *l. 1 § 3 ff. si quis a parente manumiss.* dicit: «*Si parens vel accepit pecuniam, ut emanciparet, vel postea vivus in eum filius, quantum satis est. (i. e. legitimam) contulit, ne judicia ejus inquietet, exceptione doli repellitur*» Sed Justinianus id mutavit *nov. 115 cap. 3 et 4*, ubi expressis verbis dicit, neque parentibus liberis, neque liberis parentes exhæredare vel præterire licere, *et si quacunque donatione, vel legato*

---

(1) Confer. Voetius lib. 5 tit. 2 n° 35, et De la Champagne, opere laud. pag. 238.

*vel fideicommisso*, VEL ALIO QUOCUNQUE MODO *partem legibus illis debitam dederint*, nisi ex causa justa et in *nov. 115* allegata.

§ III. Si post mortem illius, e cujus successione legitima petenda est, renunciatio facta foret, valida esset, atque suos produceret effectus *l. 35 § 1 C. de inoff. testam.* « sed hoc ita admittimus, nisi *transactiones ad hæredes paternos* (i. e. cum hæredibus paternis) filius celebravit, in quibus *apertissime iudicium patris agnovit.* »

§ IV. Ut renunciatio legitimæ valida sit, necesse est, ut expresse fiat *l. 31 § ult. ff. de inoff. test. l. 35 § 2 Cod. eod.* Per requisitum illud, *expresse*, intelligitur, ut fiat *specialiter* circa legitimam; si vero fieret *generaliter* circa jura omnia aut totam successionem, non extenderetur ad legitimam. Legitima non dicitur pars successionis, sed quota honorum, adeoque si juribus successionis renuncio, inde erui non potest voluntas renunciandi legitimæ. Insuper nemo in dubio presumitur voluisse suum jactare, neque donationes, quibus annumerandæ juris successiones, præsumendæ sunt, quoties nulla urget necessitas, et res aliter explicari potest *l. 25 ff. de probation.*

§ V. Maxime contraversa est inter interpretes questio, utrum renunciatio *tacita* sufficiat in illis casibus, ubi expressa sufficeret; nempe post obitum illius, de cujus successione agitur? Ratio dubitandi ortum ducit *ex l. 10 § 1 ff. de inoff. testam.*, e qua eruitur, solam tacitam renunciationem sufficere ad excludendam querelam, ita et legitimam. Sententiam illam tuentur Voetius (1) et Perezius (2).

Quanquam auctoritates horum virorum mihi magni ponderis videntur, tamen illorum sententiæ suffragari nequeo. *Æquitas et l. 35 § 2 Cod. de inoff. test.* quæ aperte dicit: *nisi hoc specialiter scripserit, vel pactus fuerit, quod contentus relicta vel data parte de eo, quod deest, nullam habeat quæstionem*, non patiuntur, ut unquam renunciatio legitimæ procedat, nisi *specialiter et expresse* facta sit. Quod ad argumenta de querela ad legitimam, magna inter

(1) Ad ff. lib. 5 tit. 2 n° 52.

(2) Ad Cod. lib. 3 tit. 28 n° 7.

utramque disparitas. Prima enim maximè odiosa est, cum tendat ad evertendam ultimam patris voluntatem, et præcipuè ad probandum, parentem testatorem non sanæ mentis fuisse, neque consuisse officio pietatis, sed potius inhumanitati. Legitimæ petitione contra naturam favorabilem habet, tradit substantiam illis, quibus natura jubet, ut alimenta relinquatur. Ex illa disparitate, et principio, *odiosa restringenda sunt*, quanquam querela per renunciationem tacitam tollatur *l. 10 § 1º ff. de inoff. test.*, ea dispositio tamen non extenditur ad legitimam, præcipue cum *l. 35 § 2 de inoff. test.* penitus huic adversetur opinioni. Cæterum, quid hac de re dixerit celeberrimus Cochin (1), hic afferre utile duxi : « *En effet, dit-il, pour étendre cette garantie à la légitime, qu'il* » *était en droit d'exiger, il aurait fallu une stipulation expresse,* » *parce qu'on ne renonce à un droit de légitime qu'en termes for-* » *mels et bien marqués. Les lois nous administrent une infinité* » *d'exemples qui justifient la faveur qu'on a accordée en tout tems* » *à la légitime, et les précautions scrupuleuses qu'on a coutume d'em-* » *ployer pour n'en point dépouiller ceux qui n'y ont point formelle-* » *ment renoncé.* » Affert *arg. l. 35 § 2º C. de inoff. test.* ; porro auctoritate Mornacii et illa Ricard *des donations* sententiam suam » corroboret, et ita persequitur : « *Comment donc, après de telles* » *autorités osera-t-on soutenir qu'un fils, qui n'a pas reçu sa légitime,* » *n'a plus de pouvoir, d'en former la demande, parce qu'il s'est engagé* » *dans des termes généraux, etc.*

§ VI. Liberos patrem renunciantem successioni avi aut proavi, in eadem representare non posse manifestum est ; nemo enim plus juris in alterum transferre potest quam ipse habet ; *nov. 118 cap. 3º.* At nihil impedit, quominus liberi renunciantis proprio capite veniant ad successionem avi aut proavi.

§ VII. Pacta de non succedendo, quæ jure romano prohibita et improbata vidimus, sub consuetudinibus nostris generatim recepta erant, et hæreditati futuræ renunciari validè poterat, quod ordinariè in stipulationibus antenuptialibus fieri debebat. Mani-

(1) Dans sa cause 52, vol. 3 page 7 et 8 de ses œuvres. édit. de Paris 1760.

festum id nobis faciunt de Ghewiet (1), Zoesius (2), Stockmans (3) nec non Voetius (4).

At questio datur inter interpretes, qui indè maximè dissentiunt (5), an talis renunciatio ad legitimam extendi possit? Principia explanata juris romani hic applicari non posse existimo, cum legitima sub consuetudinibus non concedatur nisi hæredibus; (ut infra ostendemus), itaque, simul ac renunciatio valida aliquis hæres non amplius est, jus quoque nullum habet ad legitimam. Illud ita judicandum esse refert Christinæus loco laudato (6). Plerique quoque auctores, qui de jure consuetudinario egerunt, rejiciunt renunciationem tacitam in casibus, ubi expressam admittunt, nempe post mortem illius, de cujus successione agitur. Jamjam opinionem celeberrimi Cochin attulimus; Andreas Gaill in observationibus suis (7) eandem sequitur sententiam; nec non huic suffragari videtur Stockmans (8), cum velit, ut renunciatio tantum effectus suos producat ad casus designatos in stipulatione.

## SECTIO QUINTA.

### SUBSTITUTIO PUPILLARIS.

§ I. Substitutio, quæ generatim dicitur subrogatio in locum hæredis instituti, varias complectitur species, inter quas pupillaris numeratur de qua hic solum agendum.

Pupillaris substitutio definitur illa, qua pater hæredem scribit liberis suis impuberibus in potestate sua constitutis, nec post mortem ejus in alterius potestatem recasuris, pro casu, quo liberi

(1) Instit. du droit Belg. part 1.<sup>ère</sup> tit. 4 § 4 art. 19.

(2) Ad ff. lib. II. tit. 14 n.º 36.

(3) De jure devolut. cap. 18 n.º 19.

(4) Ad ff. lib. V. tit. 2 n.º 36.

(5) Confer. Christinæi decis. curiæ Belgicæ vol. 4 dec. 28 n.º 1.

(6) Decisiones curiæ Belgicæ vol. 4 dec. 28 n.º 1.

(7) Lib. II observ. 119 n.º 8. observ. practic.

(8) Decis. Brabanticæ dec. 128 n.º 6.

illi post eum ante pubertatem morerentur. In illa substitutione illud speciale occurrit, quod tertius non testetur de propria hæreditate, sed de illa alterius. Illud contra principium generale receptum fuit in favorem impuberum, quibus licitum non erat testari, ne ab intestato morerentur, quod apud Romanos dedecori erat *l. 2 princ. ff. de vulg. et pup. subst.*

§ II. Triplex hujus substitutionis distinguitur species, 1<sup>o</sup> *expressa*, seu dispositio paterna, qua filio hæres scribitur pro casu, quo ante pubertatem moriturus sit 2<sup>o</sup> *Tacita*, quæ sub expressa vulgari continetur; v. g. si pater scripsisset, *si filius mihi hæres non erit, Caius mihi hæres esto*; quamquam filius in hoc casu hæres existerit, si ante pubertatem obierit, Caius hæres erit: *l. 4 ff. et l. 4 C. de vulg. et pup. subst.* 3<sup>o</sup> *Compendiosa*, qua filio substituitur, qualicumque tempore morietur. Hæc vero etymologicè *compendiosa* dicitur ob causam, quod breviter, et quasi per compendium in omni casu substituatur, inde complectitur etiam pupillarem expressam et vulgarem expressam.

Si substitutio pupillaris debitè et ritè facta sit, tum effectum producit, ut tota hæreditas transeat ad substitutum, si filius ante pubertatem moriatur, proinde substitutus acquirit omnia bona pupilli, tum illa, quæ a patre ad pupillum pervenerunt, tum ea, quæ aliundè pupillus acquisivit *l. 10 § 5 et l. 41 § 8 ff. eod.*

§ III. Ex effectu generali substitutionis quæstio sese offert, an substitutio pupillaris impedire possit, quominus mater aut avus legitimam capiat ex successione filii aut nepotis, cui substitutum est? Dum substitutio expressa est, affirmativa responsio nullum patitur dubium, arg. *l. 8 § 5 ff. de inoff. test.*, quæ ab omni successione pupilli matrem in illo casu excludit, adeo, ut nec de inofficioso testamento mater agere possit; nec sola mater, sed etiam avus et alii ascendentes eadem ratione a querela repulsandi sunt. Itaque cum querela alicui denegetur, meritò ei auferitur legitima, quæ præsupponit jus querendi de inofficioso testamento, et his tantum conceditur personis, quibus querela competit: *nov. 18 Cap. 1 in fine*; ob eandem causam indicavit legislator *in l. 8*

§ 6 et 8 ff. de inoff. test. , legitimam portionem relinquendam esse , ut illi , qui aliter querelam movere possunt , ab illa excluderentur.

Ratio hujus dispositionis in ipsa l. 8 § 5 ff. de inoff. test. allegata est. Dicit enim Ulpianus : *quia pater testamentum fecit ; pater autem non tenetur legitimam relinquere uxori suæ , cum conjugii adversus conjugis dispositiones querela non concedatur : itaque querela matri non datur contra dispositionem substitutionis pupillaris , cum non reperiatur in testamento filii , sed in illo quod pater pro filio condidit , et quod junctum testamento huic , quod pater pro semetipso antea facere debet , unum idemque testamentum efficere videtur , quemadmodum et hæreditas filii cum illa patris unam tantum hæreditatem efformat l. 2 § 4 ff. de vulg. et pup. subst. magis corroboratur l. 20 ff. eodem.*

§ IV. Utrum eadem decisio valeat in casu , ubi substitutio pupillaris tacita est , acerrimè disputatur. Multi juris interpretes negativam defendunt sententiam (1) quam sequentibus argumentis stabilire conantur. Substitutio tacita , aiunt , fundatur præsumpta testatoris voluntate , quæ eosdem effectus habere nequit ac expressa , aliter periculum incurrimus , ne sacra justitiæ præcepta lædamus. Non credendum , patris voluntatem fuisse , ut excluderetur mater per illam personam , quam pater non expressè filio suo substituit ; inde ex eo solo , quod ascendentes existant , qui amoverentur a debita ipsis successione , pater præsumi debet , non tam iniquam habuisse voluntatem. Ulterius allegant l. 8 C. de impub. et alior. subst. et l. ult. Cod. de inst. et subst. , et inde consequentias in favorem suæ opinionis eruere volunt. Contraria opinio , nonobstantibus his rationibus , præferenda mihi videtur. Inprimis quod contineatur substitutio pupillaris tacita sub expressa vulgari , id nos docet l. 4 ff. de vulg. et pup. subst. Porro substitutio pupillaris tacita eosdem effectus producere debet ac expressa , ex principio *eadem vis tacitæ ac expressæ* : ergo nulla ratio , cur non idem diceremus de substitutione pupillari tacita , ac de ex-

(1) Confer. Ricard , des Substitutions directes et Fideicommissaires , traité 3 chap. 2 part. 1 n° 65. Perez. ad Cod. lib. 6 tit. 26 n° 30.



pressa; cum ex illa non minus testamentum et hæredem recipiat pupillus, quam si expressa foret. 2.º Ex circumstantia illa, quod pater reliquerit ascendentes, nullatenus sustineri possunt adversarii, patrem noluisse comprehendere substitutionem pupillarem tacitam; nam ex ipsa substitutione jam elucet, quod pater antetulerit substitutum omnibus ascendentibus filii sui. 3.º Duarum legum textus perperam nobis opponuntur: *quoad l. 8 expedita responsio*: decisio Imperatoris spectat ad testamentum militis, quod non legibus aut constitutionibus regitur, sed ex simplici, et prout verbis expressa est, voluntate existimatur *l. 6 C. de testam. milit.* Porro *l. ult. Cod. de inst. et subst.*, non magis applicanda venit, cum mater in illa lege instituta supponatur simul cum posthumo; ex indè jam eruitur et enitet præsumptio, patrem noluisse, ut substitutus anteferatur matri, erga quam partem relinquendo, amorem suum ostendit. Secundo extraneus substitutus solummodo est in illo casu, quo posthumus non nasceretur; natus vero est posthumus; adeoque conditio adjecta deficit, et inde omne jus substituto recusari potest. Cæterum quis non videt, hanc constitutionem, speciem singularem efficere, ac proinde non facile ad alios casus porrigendam esse. Ostendunt hoc verba, *in hac specie, in hujusmodi casu*; quo colore J.Cti, post constitutionem Marci et Veri, de qua agitur in *l. 4 ff. de vulg. et pup. subst.* hac in lege responderunt.

Huic ultimæ sententiæ suffragantur plurimi celeberrimique juris scriptores uti Donellus (1), Faber (2), Vinnius (3), quibuscum conferantur Voet (4) et Huberus (5).

§ V. Superest ut de *compendiosa* videamus substitutione. Inter omnes interpretes satis convenitur, eam excludere a successione ab intestato, at an eadem exclusio ad legitimam extendenda sit, omnes disputant. Affirmativa sententia mihi æquior et juris prin-

(1) Ad leg. 8 C. de impub. et aliis subst.

(2) In Cod. Def. lib. 6 tit. 8 def. 1.

(3) Ad inst. l. 2 tit. 16.

(4) Ad ff. lib. 5 tit. 2 n.º 21

(5) Ad ff. cod. n.º 7.

cipiis conformior videtur. Etenim hic sustineri validè nequit, uti volunt, qui contrariam tenent sententiam, compendiosam substitutionem non virtualiter continere expressam pupillarem. Hoc mera juris cavillatio dici potest; nam quid his verbis evidentius; quocumque tempore filius meus decedat, Mævius hæres ejus esto; sive enim moriatur filius durante pubertate, sive postea, volo, ut Mævius hæres ejus sit. Audiatur Faber (1) «Compendiosa substitutio, ait, apta est comprehendere pupillarem substitutionem, » sicut et cæteras omnis substitutionis species, si aliud nihil repugnet, argum. l. 15 et l. 7 ff. de vulg. et pup. subst.» Præterea ut mater aut avus, dum substitutio compendiosa datur, legitimam requirere possent, oporteret, ut admitterentur ad successionem ab intestato, cum argumentum negativum a successione ab intestato ad legitimam rectè procedat; itaque cum extra controversiam sit, ascendentes excludi a successione, dubium dari nequit, quin excludantur a legitima.

§ VI. Alia quæstio hic enucleanda sese offert, utrum filius ipse, cui pupillariter substitutus, distrahere possit legitimam ex bonis sibi a patre sub substitutione pupillari relictis, eamque transmittere ad hæredes? Responsio prompta est ex dispositione l. 8 § 7 ff. de inoff. test. qua dicitur: *si quis impuberi filio substituit, secundas tabulas faciendo, non ob hoc admitteremus ipsum impuberem ad inofficiosi querelam*; ideoque per consequentiam non ad legitimam. Ratio hujus legis perspectu facilis; querela tantum conceditur ob injuriam præteritione aut exhæredatione illatam: pater autem in specie, filium minimè injuriâ affecit, sed e contra pupillo honorificum est et utile, hæredem testamentarium, patris judicio datum, habere; arg. l. 42 ff. de adq. vel amitt. hæred.; et ob id præsertim utile, quia ea ratione fit, ut agnatorum odio minus exposita sit vita pupilli, quoniam ignoratur, quis ejus successor futurus sit. Cæterum pupillus non præteritus aut exhæredatus a patre dici potest, cum vocetur ad totam hæreditatem paternam,

---

(1) In cod. definit. lib. VI. tit. 7 def. 4 n.º 1.

et legitima sua gaudeat, at non eo modo, ut in tempus, quo non amplius erit, de ea disponere possit præter voluntatem patris.

Nihil obest, quod legitima onerari nequeat substitutione fideicommissaria. Magnum enim discrimen inter substitutionem pupillarem et fideicommissariam. Posterior onus constituit, quia diminuit jus proprietatis, et id reducit ad simplicem usumfructum; cum prior ne minimam læsionem adferat juri dominii, nec quidem impediatur, quoniamus proprietas plena redeat in personam pupilli; effectus non alios producit, nisi quod pupillus non possit de bonis disponere in tempus, ubi non amplius erit, si impubes moriatur. *L. 22 § 1 ff. de adoptionib.* hanc disparitatem nobis evidenter tradit.

§ VII. Jure consuetudinario pupillaris substitutio exoleverat; nam etsi patres quoque potestatem in liberos suos haberent, non talis tamen erat, qualis apud Romanos, qui etiam ad bona liberorum propria sese extendebat. Sic ait Groenewegen (1): « moribus » hodiernis, singulari illa patria potestate, quæ Romanorum civium propria fuit, ejusque peculiaribus effectibus obsoletis, » pupillaris quoque substitutio in desuetudinem abiit. » Idem expressis verbis testantur Vinnius ad instituta (2), et Voetius ad Pandectas (3).

## SECTIO SEXTA.

### PRÆSCRIPTIO.

§ I. Jus legitimæ petitionis æquè ac omnis alia actio tolli potest per præscriptionem, quæ introducta est in utilitatem publicam, ut aliquando constaret de rerum dominio. Hæc potestatem suam in omnes extendit res, quæ ab illa expressa legis disposi-

(1) De leg. abrogatis pag. 36 edit. 1649.

(2) Lib. II. tit. 16 ad § 9.

(3) Lib. XXVIII. tit. 16 n.º 26 et lib. V tit. 2 n.º 4.

tione non eximuntur, itaque frustra quis sustineret, legitimam praescriptioni nulli subjectam esse, cum nullae jure romano reperiantur leges, quae legitimam a praescriptione eximant.

§ II. In statuendo tempore, quo praescribitur legitimae petitio, maximè dissentiunt auctores. Hæc tamen contraversia non, nisi soluta quaestione dirimi potest, quonam remedio testamentum sit impugnandum, et legitima persequenda? Plurimi (1) contendunt, remedium illud etiam post *nov. 115* esse *querelam inofficiosi*, quum Justinianus nullis verbis hanc sustulerit, aliudque remedium introduxerit, sed naturam tantum, ejusque fundamentum mutaverit; et hanc itaque querelam inofficiosi quinquennio præterlapso praescriptam esse secundum *l. 8 § 17 l. 9 ff. de inoff. test. l. 16 l. 34 in fine l. 36 § 2 Cod. de inoff. test.* Hanc autem opinionem, tamquam solido fundamento destitutam rectè impugnavit vir. clar. *Schneidt in diss. de querela inoff. inter parentes et liberos et in jurisprud. for. in ordine systemat. redact. tom. 1 § 642 et contendit, querelam inoff. post nov. 115 locum amplius habere non posse, mutato per hanc novellam illius fundamento. Sublatis enim actionis vel legis cujusdam fundamento et natura, ipsam actionem vel legem cessare quoque debere: Justinianum autem novum per novellam 115 remedium introduxisse, nempe conditionem ex *nov. 115*, i. e. actionem personalem ad persequendam legitimam. Præstantissima ejus verba, quibus hanc opinionem probare conatur *Schneidt* allegare utile duxi. Dicit enim § 19 dissert. « Si » alicujus actionis aut legis ratio fundamentalis semel et effectus » principalis deficit, certum est, et legem et actionem cessare, » præcipuè, si alia magis utilis substituatur, et prior concessa tantum sit actio subsidiaria; jam post *nov. 115 cap. 3 et 4* cessat » sat fundamentalis furoris ratio, utpote restricta testandi facultate, non amplius necessaria. Cessat principalis hujus furoris*

(1) Vinnius comment. ad princ. inst. de inoff. test. et in quaest. jur. select. lib. 2 cap. 21. Noodt comment. ad Pand. ad tit. de inoff. test. pag. 160. Huberus ad inst. de exhær. liberor. §. 2. Voet comment. ad ff. de inoff. test. § 23. Fachinæus contrav. juris lib. 4 cap. 9. Perezus ad cod. de liberor. præter. n° 13. Puffendorf observ. jur. univ. tom. 4 obs. 76 § 12 et 13. Westenberg ad tit. de liber. et posth. § 10.

» et inde natæ querelæ effectus, infirmitas scilicet integri testa-  
 » menti, et actio nova, seu *condictio ex nov. 115* est data, quæ  
 » certè utilior est priore; cum per eam voluntas testatoris, in quan-  
 » tum impia non est, conservetur, neque alii legatarii, qui re-  
 » vera innocentes sunt, per talem testamenti partialem rescis-  
 » sionem læduntur, sed solummodo illi, qui contra pietatem  
 » læsus est, subvenitur, et tantum extraneo instituto impietatem  
 » causanti hereditas adimitur; ex quo plano fluere alveo videtur,  
 » quod querelæ inofficiosi, utpote subsidiariæ, post novellam locus  
 » amplius esse haud possit. »

Huic opinioni, firmissimis argumentis probatæ, suffragan-  
 dum esse censeo. Legitimæ igitur petitio, sive *condictio ex nov. 115*  
 tanquam actio personalis 30 annis præterlapsis præscriptione ex-  
 tinguitur.

Porro actionem ad legitimam tantum præscribi intra trigenta  
 annos existimo, cum petitio hæreditatis tantum præscribatur illo  
 tempore, uti videre est in *l. 3 C. de petit. hæred.* et nulla ratio  
 sit, cur potius præscribatur legitima, quæ favorabilioris quidem  
 naturæ est. Cæterum rectius actionibus personalibus adnumeratur  
 petitio legitimæ; nam datur adversus illos, qui hæreditatem tenent;  
 nec certa bona designari possunt, in quibus legitima capienda est.  
 Quod attinet tertios possessores bonorum, e quibus legitima petenda est,  
 quin bona illis avocari non possint post possessionem 10 vel 20 annorum, mortuo illo, e cujus bonis legiti-  
 ma petitur, non dubito.

§ III. Sponte sese hic offert quæstio, a quonam temporis ter-  
 mino illa præscriptio incipiat? Solutio haud difficilis, si animad-  
 vertamus, nunquam præscriptionem incipere, nisi jus, de  
 quo præscribendo agitur, ita acquisitum sit, ut illud exerceri  
 possit *l. 7 C. 1 et 4. de præscr. 30 vel 40 ann.* Ex inde jam patet,  
 legitimæ petitionis præscriptionem non incipere, nisi a morte aut  
 naturali aut civili illius, e cujus bonis legitima petenda est.

Attamen hujus regulæ quædam sunt exceptiones, quæ etiam in  
 aliis præscriptionibus obveniunt, et faciunt, ut initium præscrip-

tionis non a die ordinariæ fixo procedat. Numerantur in primis, si legitimarius minorennis sit, ex axiomatico recognito, *adversus minores non currit præscriptio l. 3 Cod. quib. non obj. longi temporis præscr. l. 2 cod. in quibus caus. restit. in integ. necessaria non est.* 2.º Si legitimarius adhuc patris potestati subjacet, tum usufructus portionis legitimæ patri debetur, et principium in jure viget, quod nunquam currat adversus filios familias præscriptio quoad bona, quorum pater usufructum habet *l. 1 C. de bonis maternis, et matern. gen. quia nullam poterit exceptionem opponere filiis quocumque rem suam vindicantibus.* Urgent quoque *l. 1 § 2 de ann. except. et l. 4 C. de bonis quæ liber.* 3.º Quotiescunque legitimarius impeditus fuerit jus suum exercere; quod profluit ex principio: *contra non valentem agere non currit præscriptio*: argum. *l. ult. § 11 Cod. de jure delib. et de adun. vel acq. hæred. l. ult. § 3 C. com. de leg.* 4.º Non currit præscriptio, quamdiu legitimarius in communi vivens, ex ipsa successione, e qua legitimam petere debet, haurit alimenta sibi necessaria, et quæ sub hoc nomine intelliguntur. Legitimarius enim in hoc casu possedit ipsas hæreditarias res, quibus legitima sua complectitur. Sententiam nostram haurimus ex *leg. 7 § 5 C. de præscript. 30 vel 40 ann.*

§ IV. Florentibus consuetudinibus nostris, cum hæredes recte in testamento præteriri possent, nec institutio hæredis extranei admitteretur, sed hæres esset ille, qui proximus erat habilis ad succedendum; *Cons. Gand. rub. 28 art. 1. Alden. rub. 10 art. 3* et in omnibus reliquis; valebat quod legitima portio hæredibus debita, tantum per liberalitatem testatoris lædi posset. Simul ac hoc accideret, reducebantur liberalitates factæ, et legitimæ portiones ex illis deducendæ erant: vid. *Cons. Gand. rub. 28 art. 2* et *Van den Hane in notis ad eundem articulum; consuet. Brug. tit. 4 art. 2. Ald. rub. 20 art. 6.* Itaque hæredibus tantum actio competebat, quæ, cum nullæ dispositiones speciales hæc de re existerent præscriptioni subjacebat, ac aliæ actiones reales et personales, quæ pleræque tempore 30 annorum præscribebantur: *consuet. Gand. rub. 19 art. 1. Ald. rub. 15 art. 2. Contrac. rub. 11 art. 1.* Ulterius

quoad initium præscriptionis, tempus jure romano statutum servabatur; excipiebantur quoque casus, ubi adversus minores currebat præscriptio, nec non adversus interdictos, aut absentes, ita ut æque vigeret principium, contra non valentem agere non currit præscriptio; vid. *Cons. Gand. rub. 18 art. 1. Ipren. rub. 17 art. 1. Ald. rub. 15 art. 2.*

## SECTIO SEPTIMA.

### DEFECTUS INVENTARII.

§ I. Quæstio, utrum jus ad legitimam etiam tollatur defectu inventarii, multis controversiis locum dedit et in ea quam maxime interpretes dissentiunt. Quanquam Voetius ad Pandectas (1). Perezus ad Codicem (2) affirmativam sententiam sequuntur, tamen cum Brunemano ad Codicem (3), Hubero ad inst. (4), And. Gaill (5), negativæ sententiæ suffragor, quam æquitati et juris principiis magis concordantem credo. Ante omnia observandum est, filium, qui ad confectio- nem inventarii tenetur, et illam negligit, nihil deducere posse a creditoribus hæreditariis; itaque, dum plura dantur debita quam bona in successione, quæstio de legitima oriri nequit; legitima autem est portio honorum, quæ non intelliguntur, nisi deducto ære alieno *l. 8 § 9 ff. de inoff. testam.* Quæstio itaque tantum hæc est, utrum donatarii et legatarii filio, qui neglexit inventarium, legitimam auferre possint? Quod plane negandum esse dixi, cum secundum *leg. 32 Cod. de inoff. testam.* nunquam fieri possit, ut, extra casum justæ exhæredationis, legitima per dispositiones testatoris tollatur: nec ulla lex in jure Romano statuit, quod ob defectum inventarii jus petendi legitimam auferatur.

(1) Lib. 28 tit. 8 n.º 27.

(2) Lib. 6 tit. 30 n.º 13.

(3) Lib. 6 tit. 30 n.º 28 et 29.

(4) Lib. 2 tit. 19 n.º 16.

(5) Lib. 2 observ. 138 n.º 15.

Objiciunt huic sententiæ adversarii præcipue *l. ult. § 14 Cod. de jure delib. et de adun. vel adq. hæred. et nov. 1. cap. 2.* Prior vero lex quartam Falcidiam adimit hæredi instituto in pœnam neglecti inventarii; at inde nullatenus deduci potest, hanc pœnam ad legitimam producendam esse: principium enim, *odiosa restringenda sunt*, hic maxime obstat. Nec facit, quod interdum in jure et in quibusdam Pandectarum textibus (uti probavi in historia legitimæ) sub nomine Falcidiæ comprehendatur legitima. Quis docet nos a falcidia argumentari ad legitimam, cujus multo æquior ratio, et major necessitas? Etenim proprio verborum sensu magnopere differt legitima a Falcidia; et quidem eo magis jure novo, quod hæc Falcidia semper sit quarta, ubi e contra legitima aliquando sit triens, semis, et varietur pro numero liberorum. Itaque extendi non potest pœna, præsertim in specie, ubi legitima jure naturæ liberis debetur, et Falcidia ex jure civili omnem vim ducit. Ulterius ex lege ipsa, quam afferunt adversarii, eruimus, pœnam applicari non posse legitimæ: *nov. 1. cap. 2* in fine autem dicit: *si vero expressim designaverit, non velle hæredem retinere Falcidiam: necessarium est testatoris valere sententiam.* Hæc verba nullo modo de legitima loqui possunt, quia hanc a testatore non posse prohiberi nota res est; adeoque perspicue enitet, imperatorem non de legitima, sed de Falcidia specialiter loqui voluisse.

Frustra objiciunt, rationem, cur introducta sit pœna amissionis Falcidiæ neglecto inventario, quoque militare pro pœna amissionis legitimæ. Ratio, aiunt, pœnæ amissionis Falcidiæ est fraus præsumpta hæredis, cui facile fuit, res quasdam hæreditatis distrahere, et ita efficere, ut quartam Falcidiam salvam non habeat, et locus sit reductioni. Eadem autem ratio respectu filii datur circa legitimam suam; itaque principio standum: *ubi eadem est ratio, eadem esse debet legis dispositio.* At responsio in promptu est. Principium hoc non potest latius operari, quam rei veritas operaretur; ideo frustra invocatur si textus legis huic refragetur, uti hic obvenit in *nov. 1. cap. 2 et 3*, nec non in *l. ult. § 10 Cod.*



*de jure delib. etc.*, quæ statuit pœnam, qua in duplum tenetur hæres, qui fraude egit in confectione inventarii, non autem mulctatur amissione legitimæ. Secunda disparitas est inter legitimarium et extraneum, qui negligit repertorii confectionem. Hæres autem extraneus fraude efficere potest, ut quartam obtineat Falcidiam, cui, si fraudem non adhibuerit, locus non fuisset, cum forte ultra tres quartas gravatus non esset. Legitimæ vero petitio semper obtinet, quin ulla fraude opus sit. Porro facilius præsumptio fraudis extraneum afficit, cum ille nullam æquam rationem afferre possit suæ negligentiae; ubi filius excusandus esset, quia confectio inventarii penitus detegit arcana familiæ, quæ obtigi ipsius sæpius interest. Ex his patet, non easdem militare rationes, ut pœna amissionis Falcidiæ etiam legitimæ, applicetur. Alia objectio, quæ sententiæ huic opponitur, exoritur ex *nov. 1 cap. 2*, ubi Justinianus statuit, ut, qui inventarium non fecerint, amitterent jus crediti; unde deducunt, legitimam, quæ verum debitum constituit, amitti, si legitimarius inventarium neglexerit. At paritas nulla inter legitimam, et alia debita patris. Ante introductam inventarii institutionem, quæ jure novo tantum invaluit, hæres succedens jus crediti amittebat per confusionem, quoniam defunctum semper representat; tamen filius, paternam hæreditatem adiens, jus ad legitimam retinebat. Porro cum postea Justinianus concesserit hæredi, qui inventarium confecit, beneficium crediti, favorem junxit confectioni repertorii. Favoris illius recusatio, si inventarium non conficitur, nullatenus pœna dici potest, cum jure communi credita hæredis extinguantur per confusionem. Si autem filius legitimam suam amitteret, id meram pœnam constitueret, cum jure communi illam retineat. Itaque ut argumentum adversariorum valeat, oporteret, ut Imperator amissionem legitimæ portionis introduxisset in pœnam neglecti inventarii.

Tandem asserunt, Justinianum in *leg. ult. § 1 et 2 Cod. de jure delib.* locutum esse de suis hæredibus, et de extraneis sine distinctione. Justinianus vero vult in hac lege, ut inventarium tam a liberis quam extraneis conficiatur, si beneficium

inventarii vindicare velint , at pœnam nullomodo Imperator ad legitimam extendit. Nec quoque validiori fundamento nititur obiectio , quod concedendo legitimæ deductionem filio una manu tribuatur , quod altera adimitur , cum legitima sit major ac Falcidia. Nam quanquam legitima ordinarie sit major Falcidia , non tamen hoc semper obtinet ; cum legitima e contra ubique favorem suam naturam secum ferat.

§ II. Tempore consuetudinum non magis , ac jure Romano quædam dispositiones reperiuntur , quæ in pœnam neglecti inventarii amissionem legitimæ indicant ; itaque eadem principia ac illa , quæ explanavimus , observanda fuisse existimo. Verum *consuet. Gand. rub. 24 art. 26* , *Brug. tit. 4. art. 1* , *Ald rub. 2 art. 15* et aliæ pœnas quasdam statuunt circa negligentiam confectionis inventarii ; at nullibi de legitima portione quæstio est , merito itaque eas pœnas ad legitimam extendi non posse credo.

## SECTIO OCTAVA.

### TESTAMENTUM MILITARE.

§ I. Novimus , jure Romano maxima privilegia concessa esse testamentis militum ab Imperatoribus variis , inter quos numerantur Julius Cæsar , Titus Domitianus aliique ; uti videre est in *l. 1 § 1 ff. de testam. milit.* Omnes illi imperatores ob imperitiam militum , ob continuum periculum , in quo versantur , et præcipuè , ut faveant militiæ illa concesserunt privilegia , non solum militibus , sed etiam iis personis , quæ castra sequebantur , ac periculis subiacebant , *l. 1. § 1 ff. eod. et l. 3. Cod. eod.* Simul ac rationes illæ desinerent , ita ut nulli periculo amplius subjacerent milites , cessabant quoque privilegia. Inde milites , qui in expeditione , aut castris non versabantur , et jam per annum honestè dimissi erant , vel personæ non milites , quæ castra relique-

rant, eisdem privilegiis non amplius gaudebant. Varia inter privilegia numerabatur præcipue, quod miles, si certus de liberorum existentia, eos præteriisset, perinde haberetur, ac si liberos diserte et justo exhæredasset *l. 7. ff. eod. l. 12 proæ. de bonis libert. l. 9 C. de testam. milit.* Nec contra eorum testamentum querela aut bonorum possessio concedebatur *l. 27 § 2 ff. de inoff. testam. l. 9, 24 et ult. C. eod.*

§ II. Neque admittitur querela adversus testamentum militis, sive id jure militari, vel civili factum fuerit, sive a patre familias, sive filio familias de *castrensi peculio* conditum. *L. 9 l. 24 C. de inoff. testamento*, ita, ut ne miles quidem in eo præteritus aut exhæredatus de inofficioso queri possit. *L. 27 § 2 ff. de inoff. test.* Illud autem militibus concessum privilegium non solum ei, qui in militia defunctus est, prodest, sed quoque vires suas retinet intra annum post missionem impetratam, quia ad hoc usque tempus jure militari testamentum ejus valet. *l. 8 § 4 ff. de inoff. test.*

Id singulare jus filiis familias paganis, sive olim milites nunc ad vitam paganorum tranquillam redierint, sive nunquam sagittam militiam fuerint professi, imperatoria constitutione, nempe *l. 37 § 1 C. de inoff. test.* indultum fuit, ut eorum testamenta de peculio castrensi vel quasi castrensi facta querelâ inoff. nunquam expugnarentur. Sed quod filio familias pagano tribuitur privilegium, patribus familias paganis, cum de rebus, in vera vel quasi tali militia quæsitis, testamenta condant, nominatim in legibus denegatur *l. 8 § 2 ff. de inoff. testamento*, quæ dicit: «*Pinianus l. 2 responsorum, ait, contra Veterani patris familias testamentum esse inofficiosi querelam, etsi ea sola bona habuit, quæ in castris quæsierat.*» Cum enim id privilegium ad *peculium* filii familias propriè pertineat, causa aperta est, cur patri familias, quantumvis de rebus ex militia quæsitis testatus fuerit, illud non proficiat. Imperator enim *l. 37 in fin. C. de inoff. test.* præcipit: «*Si is (filius familias) sui juris efficiatur, nomen peculii interit, resque ad illud spectantes aliis rebus confunduntur, et similem fortunam recipiunt, quemadmodum*

» et cæteræ res eorum, quæ in unum congregantur ex omnibus  
» patrimonium.»

Sed controversum est, utrum hoc jus singulare, filiis familias concessum, per *nov. 115 cap. 3, et 4* sublatum sit, nec ne. Plures (1) contendunt, filiis familias hoc privilegium tunc esse ademptum, si de peculio castrensi et quasi castrensi *jure communi* testarentur, et non, nisi testamentis vere militaribus illud concessum manere. Probant sententiam suam per verba *cap. 4 nov. 115*, ubi Justinianus præcipit: « Non licere liberis parentes suos prætere-  
» rere, aut quolibet modo a rebus propriis, *in quibus habent*  
» *testandi licentiam, eos omnino alienare.* »

Sed contraria opinio præferenda mihi videtur. Nam 1<sup>o</sup> Justinianus in *nov. 123 cap. 9*. clericis, patriæ potestati subjectis præscribit, ut, si de peculio quasi castrensi testarentur, parentibus legitimam relinquerent. Hæc autem constitutio plane superflua et inutilis esset, si verum esset, Justinianum jam in *nov. 115 cap. 4 omnibus filiis familias* de peculio castrensi vel quasi castrensi jure civili testantibus præscripsisse, ut relinquerent legitimam parentibus. Verius itaque videtur, Justinianum illud privilegium, filiis familias paganis concessum, nusquam revocasse, et *nov. 123 cap. 9* exceptionem a regulâ communi constituere.

2<sup>o</sup> Principium juris est, privilegia speciali lege priori concessa per legem posteriorem *generaliter* loquentem minime revocari, nisi ex hac lege novâ legislatoris consilium sufficienter appareat, jus singulare illud tollendi; quod autem de verbis citatis *cap. 4 nov. 115* dici nequit. Hanc quoque opinionem plurimi eique clarissimi Jurisconsulti defendunt (2).

§ III. Magna vero controversia datur inter interpretes, utrum hæc testamentorum militum privilegia nostris admittatur con-

(1) Noodt. comment. ad ff. tit. de inoff. test. circa finem. Struvius syntagma jur. civ. exercit. X. thes. 39. Stryck usus modern. Pand. tit. de inoff. test. § 14. V. Zuichemius comment. ad princ. inst. de milit. test.

(2) Donellus comment. jur. civ. L. XIX cap. 5 Cocceii jus. civ. controversum de inoff. test. quæst. 19. Boehmer introd. in jus. dig. de inoff. test. § 14. Malblanc princ. jur. rom. tom. III. § 699 n.º 2. Huberus ad inst. lib. 2 tit. 13 n.º 8 Perezius ad Cod. lib. 6 tit. 22 n.º 16 Vinnius ad inst. libr. 2 tit. 13 § 7 n.º 3.

suuetudinibus? Quamquam multi contrariam defendunt sententiam, attamen affirmativa mihi adoptanda videtur. Verum consuetudines de testamentis militum nullam specialem continent dispositionem; at dum illæ nostræ leges silebant, principium receptum erat, quod jus scriptum, scilicet Romanum, in subsidium valeret. Illud enim jus nostris moribus receptum erat, et vigeat in omnibus casibus, ubi ei contrariæ non erant dispositiones consuetudinariæ. Cæterum causæ, cur legislatione Romanâ privilegia illa concessa fuerint, eadem sub consuetudinibus exstabant; inde nulla ratio, cur tum temporis non admissa dicantur illa privilegia, cum nullis specialibus dispositionibus abrogata essent. Inde sub consuetudinario jure æquè ac sub illo Romanorum, modo recta adessent requisita, liberos aut parentes testamento militari a petitione legitimæ excludi poterant. Hac de re nobis exemplum memorat idque, corroborat auctoritate rei judicatæ Huberus (1); insuper eandem sequuntur sententiam plurimi scriptores; uti De Ghewiet (2), Vinnius (3), Christinæus (4), Groenewegen (5) et quamplurimi alii.

---

(1) Ad ff. lib. 29 tit. 1 n° 2.

(2) Institut. du Droit Belgiq., part. 2 tit. 4 § 6 art. 1.

(3) Ad inst. lib. 2 tit. 11 ad § ult.

(4) Decisiones curiæ Belgicæ, vol. 5 dec. 149 n° 24 et seq.

(5) De leg. abrog. pag. 32 edit. 1649.

---

*Caput quartum.*

---

**DISPARITAS INTER JUS AD LEGITIMAM ET SUCCESSIONEM  
AB INTESTATO.**

§ I. Ex iis, quæ jam supra fusius probavi, quod scilicet personæ, ad successionem ab intestato legibus vocatæ, nondum etiam per hoc solum legitimam possint exigere, differentia quædam, eaque maximi momenti legitimam inter atque successionem ab intestato descendit. Hoc loco quæstio non minoris ponderis occurrit, utrum legitima *bonorum* vel *hæreditatis* sit portio quædam. Hujus autem quæstionis gravitas in eo cernitur, quod ab ejus solutione pendeat, utrum legitimarius hæreditati posset renunciare, et nihilo tamen minus legitimam suam postulare nec ne? Controversa est maximè hæc quæstio. Vinnius (1) et Huberus (2) eam partem esse hæreditatis existimant; Voetius (3), Andræas Gaill (4), præses Faber (5), aliique plurimi contrariam defendunt sententiam, cui suffragandum esse credo.

Nam 1º, non ante ineunda est legitimæ ratio, aut præstatio facienda, quam si deductum fuerit æs alienum atque funeris impensæ. *L. 8 § 9 ff. de inoff. test.*, quo facto non *hæreditatis* sed *bonorum* denominatio superest. *Bona* enim propriè non sunt, nisi quæ deducto ære alieno supersunt. *L. 39 § 1 ff. de V. S.*

---

(1) Ad inst. lib. 2 tit. 17 ad § 6.

(2) Ad inst. lib. 2 tit. 18 n° 9.

(3) Ad ff. lib. 5 tit. 2 n° 44.

(4) Practicar. observ. lib. 2 observ. 119 et 120.

(5) Ad cod. defn. lib. 2 tit. 3 def. 18 n° 2.

*L. 72 ff. de jure dot. l. 6 C. de collation.* Ac in eo bona distant ab hereditate, quæ et æris alieni onus includit, ac damnosa hæredi esse potest; cum ex adverso bona, a beando dicta, damnosa non sint *l. 49 ff. de V. S.* 2.<sup>o</sup> Jure antiquo Romanorum, legitima quovis titulo relinqui poterat, sive illo institutionis sive legati et fideicommissi et mortis causa donationis, § *ult. de inoff. test.* inde absque dubio, tum præ se non ferebat naturam hereditatis, sed partem bonorum efficiebat: quanquam hoc mutatum sit jure novo, ita, ut hodiè titulo institutionis relinqui debeat *nov. 115 cap. 3<sup>o</sup>*; tamen inde frustra credant adversarii, legitimam jure novo partem efficere hereditatis: illa enim semper retinuit naturam favorabilem, semper ob easdem rationes liberis conceditur. Etsi Justinianus titulum institutionis requisivit, id introduxit in favorem liberorum, quia ille titulus et honorabilior et fructuosior ipsis est propter jus accrescendi; adversarii itaque, qui inde volunt, legitimam partem esse hereditatis principio impingunt in jure recepto *l. 25 ff. de leg.*: *Nulla juris ratio patitur, ut quæ pro utilitate hominum introducuntur, illa contra ipsorum commodum producamus ad severitatem.* 3.<sup>o</sup> Nostram opinionem affirmant, dispositiones *l. 6 C. de inoff. test.* et *l. 5 C. de inoff. donat.* quarum in priori legitima dicitur: *quarta bonorum pars, quam mortis tempore testator reliquit*, et in altera, *debitum bonorum subsidium.* 4.<sup>o</sup> *Nov. 18 cap. 1* in nostram sententiam non minus abundat, cum determinet legitimam non ad quotam hereditatis, sed ad propriam substantiam, quæ denotat bona, in quibus alimenta sumuntur, et quorum in numero certe passiva non comprehenduntur; quibus rationibus adjungi potest, legitimam, nullum accipi posse gravamen *l. 36 § 1 Cod. de inoff. testam.* Gravamen autem non leve esset, si filius legitimarius in sola institutus legitimam, eandem percipiens, impediretur vindicare pro parte res suas, a patre defuncto nullo jure distractas, et cogeretur, ultra legitimæ ipsius vires agnoscere æris alieni molem, quod tamen eveniret, si legitima pars esset hereditatis. Insuper 5.<sup>o</sup> qui legitimæ supplementum petit, agit actione personali, puta conditione ex lege; tamen petitione hæ-

reditatis experiri deberet, si pro portione legitima fuisset hæres *l. 54 ff. de hæc. petit.* Tandem 6.<sup>o</sup> omne dubium evanescere debet coram dispositione *l. 8 § 9 ff. de inoff. testam.*, quæ expressis testatur verbis, quartam autem accipi « *deducto ære alieno et funeris impensa.* » Porro quid per bona in jure intelligitur, videmus ex textu *l. 39 ff. de verb. sign.*

Argumenta auctorum, qui contrariæ opinioni dediti sunt, non parvi sunt ponderis, attamen omnia æquitatis et juris principii facile destrui possunt. Objiciunt nobis inprimis, legitimam constituere portionem portionis ab intestato debitæ, et inde deducunt consequentiam, eam esse partem hæreditatis. Responsio facilis. Verba illa definitionis legitimæ accipienda sunt de parte bonorum, quæ ab intestato debentur, deducto ære alieno; ita quoque jure veteri hæc definitio obtinebat, quanquam tum certum habebatur, legitimam efficere quartam bonorum. Nec quidquam hic facit, quod objiciunt adversarii, non licitum esse argumentari a jure veteri, cum jus novum illud legislationis punctum immutaverit. Non enim magis licitum est, ex definitione, jure veteri stabilita, deducere, legitimam esse partem hæreditatis. Secundam objectionem eruunt ex *l. 27 § 13 ff. ad S Ctum Trebell.*, ubi legitima patroni vocatur *pars hæreditatis*. Notandum, quod ita dicatur, quia titulo institutionis a testatore relicta creditur, et ob eandem rationem legitima in § 3 *Inst. de inoff. testam.* pars hæreditatis dicitur, quia titulo institutionis a testatore relicta est. At difficilliores objectionem ex eadem *lege. 27 § 13* eruere volunt. Ex illa, aiunt, patet, quod institutus in legitima cogi possit adire hæreditatem, eamque restituere tertio; atqui solus hæres ad additionem cogi potest, non autem legatarius. At falsum, quod institutus in sola legitima ad adeundam et restituendam hæreditatem constringi possit, cum legitimæ nullum gravamen, aut restitutionis onus imponi posse, principia juris nos doceant; nec id voluit lex citata, qua solummodo nobis proponitur patronus, ab initio ex asse institutus, et rogatus, ut retenta sua legitima, cæteram hæreditatem liberto suo restituat. Ad illud adimplen-



dum non tenetur patronus , nisi in quantum legitimam suam salvam habeat : id suadent partes sequentes legis.

Tandem opponunt nobis , quod jus accrescendi obtineat in legitima , quod non obveniret , si legitima partem bonorum efficeret. Concedam jus accrescendi obtinere in legitima ; at inde nulla possit consequentia , contra nostram sententiam ; cum jus illud non solum locum obtineat in hæreditate , at etiam in aliis casibus ; v. g. si alicui titulo institutionis relicta fuit res certa , obtinet jus accrescendi , attamen res certa non magis partem hæreditatis constituit quam legitima.

§ II. Hac quæstione enucleata , facilè enotescent omnes minores differentię legitimam inter et hæreditatem. Huc imprimis numerari potest , legitimarium non teneri ultra legitimam suam ad debita successionis , cum hæres simplex teneatur ad omnia debita , etiam ultra vires. 2° Qui legitimam tantum vindicat in successione quadam , non debet præstare facta omnia sui auctoris , sed e contra rem suam , a defuncto nullo jure abalienatam , uti extraneus , vindicat. Contrarium autem obtinet respectu hæredis *l. 14 Cod. de rer. vindic.* 3° legitima portio , debitum naturale constituens , relinquenda est sine ullo onere , conditione aut gravamine , et si impositum fuerit onus , ipso jure tollitur , *l. 32 Cod. de inoff. test.* Hæreditas autem gravamen recipit. 4° Legitima petitur conditione *ex nov. 115* ; hæreditas e contra obtinetur per petitionem hæreditatis : *l. 54 ff. de hæred. pet.* 5° Vidimus supra in sectione de renunciatione , renunciationem tacitam circa legitimam non admittendam esse ; tamen eam procedere validè circa hæreditatem , nos docet *l. 17 § 1 de acquir. vel. amitt. hæred.* 6° Imperator Justinianus in *nov. 1 cap. 1 et 4* affirmat , hæredem legitimarium , quamvis jussu testatoris non impleverit , non amittere legitimam. E contrario si hæres institutus voluntati testatoris non pareat intra annum , indignus ab hæreditate sæpius repellitur : *authen. Hoc amplius Cod. de fideicomm.* 7° Imperator æquè decidit in *nov. 123 cap. 38* , liberos parentis , qui religioso ordini nomen dedit , amittere hæreditatem paternam , legitimam portionem autem retinere.

§ III. Ex omnibus his principiis, nec non ex illis, quæ exposui, ubi de renunciatione tacita egi (in § 5 sect. 4 cap. 3), evidenter elucescit, titulum hæredis non requiri, ut aliquis ad legitimam portionem admittatur. Principium illud, uti recta consequentia, promanat ex omnibus differentiis, quas hæreditatem inter et legitimam stabilivimus, et præcipuè ex illa, quod legitima pars bonorum sit non hæreditatis. « *La prodigieuse différence, ait de la Champagne* (1), *qui se trouve entre l'hérédité et la légitime, fait bien connaître qu'on peut avoir l'une sans l'autre, ou être privé de l'une, et avoir l'autre, etc. . . .* » Videatur insuper Voetius ad ff. lib. 5 tit. 2 n.º 44.

§ IV. Sub consuetudinibus nostris non minoris difficultatis erat quæstio, utrum legitima portio partem hæreditatis an partem bonorum constitueret? Contrariam sententiam illi, quam jure romano sustinui, admittendam esse jure consuetudinario existimo. Inprimis observandum, quod institutio hæredis non admissa esset, itaque tum tantum locus esset actioni ad legitimæ supplementum, ubi portio relinquenda per liberalitates læsa erat. Omnes consuetudines, dum legitimam stabiliunt, portionem eam tantum concedunt hæredi, quam conditionem semper requirere videntur. Ita in illa *Gand. rub. 28 art. 2*, dicitur, *elk hoir*; nec non in *Alden. rub. 20 art. 7*: *Elk hoir van den testateur moet de twee deelen van zyn successie etc.* *Cortr. rub. 14 art. 6*: ita, ut ubique soli hæredes jus habeant ad legitimam, et reductionem postulandi liberalitatum; unde jam consequentia spontè promanat, legitimam efficere partem hæreditatis, uti eam nuncupat Stockmans (2). Plures aliæ differentiæ legitimam inter et hæreditatem evanescent, ex inde, quod legitima partem hæreditatis efficeret, non vero partem bonorum.

---

(1) Traité de la légitime, chap. 25.

(2) In dec. 22. n.º 4.

---

*Caput quintum.*

---

DE QUANTITATE LEGITIMÆ.

§ I. Legitimæ portionis quantitas sub diversis legislationis Romanæ periodis diversa quoque fuit. Ab initio judicia centumviralia pro arbitrio eam definierunt: postea tamen ex analogia legis Falcidiæ, legitimæ portionis quantitas quadrans seu quarta pars determinata est honorum, quæ ab intestato ad legitimarium pervenissent. Quam ab causam legitima portio sæpius quarta Falcidia in legibus nominatur. *L. 31 C. de inoff. test. L. 5 § 3 C. ad leg. Jul. majest. Nov. 92 præf.* Legitima tamen portio semper quarta honorum fuit, vel si tres aut quatuor, vel si decem vel viginti essent legitimarii; quum horum numerus ad augendam vel minuendam legitimæ quantitatem nihil faceret. *L. 8 § 6 et 8 ff. de inoff. test. l. 6 et 31 C. eod. L. 2 C. de inoff. donat. § 3 et 6 inst. de inoff. test.* Exinde consequebatur, ut liberi patris opulentis, quorum magnus erat numerus, ad miseriam sæpius redigerentur, legitimâ portione inter plurimos divisâ. Quam ob causam Justinianus legitimam portionem auxit per *nov. 18 cap. 1 et Authent. novissima lege Cod. de inoff. test.*; et voluit, ut legitima nunc triens, nunc semis sit totius substantiæ defuncti, pro numero personarum, quibus debetur; ita ut, si quatuor aut pauciores existerent legitimarii, trientem vindicare possint, si plures autem, quam quatuor, semis seu sex uncia ad illos pertineant.

§ II. Cum hæc *nov. 18 cap. 1* tantum mentionem faciat de le-

gitima liberorum, nec memoret illam ascendentium aut collateralium, inde controversia orta, utrum legitima ascendentium jure novo aucta fuerit, æque ac illa liberorum? Ad hanc quæstionem, affirmativam sententiam plerique interpretes defendunt, uti Voetius ad Digesta (1), Van Leeuwen (2), Perezius ad Cod. (3), Domat, *sur les Loix civiles* (4). Quorum opinioni suffragari non dubito. Quanquam autem novella allata nihil de ascendentibus dicat, tamen in verbis finalibus statuit imperator, quod hanc dispositionem circa liberos statutam, etiam intelligat extendere ad omnes personas, quibus jure antiquo quarta competebat. *Hoc observando, ait, in omnibus personis in quibus ab initio antiquæ quartæ ratio de inofficioso lege decreta est.* Cæterum in *nov. 89 cap. 12 § 3* Imperator adjicit: *Si vero habuerint hi, quos prædiximus, aliquos ascendentes, legitimam eis relinquunt partem, quam lex et nos constituimus, quæ verba non nisi ad constitutionem nov. 18 referri possunt.* Domat loco laudato miram movit controversiam: « *Ces paroles de la Nouvelle 18, dit cet auteur, semblent comprendre assez clairement les ascendans, et ne peuvent s'entendre que d'une suite légitime, sans distinction de leur nombre, puisqu'on ne doit pas supposer qu'il se rencontre plus de quatre ascendans.* » Quanquam raro eveniat, ut plusquam quatuor ascendentes quis habeat, malè tamen inde concludit Domat, ascendentes tantum habere trientem, non semissem, si plusquam quatuor numerentur, quod evenire potest, et quidem, ut octo numerentur ascendentes.

§ III. Majoris contraversiæ est, an hoc augmentum circa legitimam etiam in favorem fratrum sororumve, quibus persona turpis antelata est, extendi possit? Voetius ad Pand. (5) et Vinnius ad Inst. (6) negativam defendunt sententiam. Argumenta sua eruunt ex verbis Imperatoris in proœmio constitutionis *nov. 18*

(1) Lib. 5 tit. 2 n.º 46.

(2) Censura for. part. 1 lib. 3 cap. 4 n.º 12.

(3) Lib. 3 tit. 28 n.º 52.

(4) Liv. 3 tit. 3 sect. 2 des Testamens.

(5) Lib. 5 tit. 2. n.º 46.

(6) De inoff. test. § 3.

*nitimur aliquid adinvenire semper et naturæ consequens.* Ex illis deducunt, Imperatorem non loqui voluisse de legitima fratrum sororumve; nam naturalis pietas, aiunt, non adeo præscribit, ut legitima relinquatur fratribus æquè ac filiis. Cæterum, adjiciunt, ultimos terminos legis dispositionis sese extendere ad illas personas, quibus ab initio quarta competebat; cum fratres autem, nec jure veteri, nec novo, statim ab initio illud jus ad legitimam habuerint, sed tantum ex postfacto, nempe si defunctus instituerit personas turpes. Et indè, si propriè loquamur, nulla competit fratribus legitima, sed querela, qua agunt, si persona turpis instituta sit. Contrariam amplectuntur opinionem Huberus (1), Van Leeuwen (2), Perezius (3), quorum sententiæ assentire mihi æquius et juris principiis conformius videtur. Inprimis nullatenus dicitur in *nov. 18*, hoc augmentum tantum locum habere in favorem illorum, quibus legitima solâ naturali ratione concedatur; contra Imperator hoc observandum dicit in omnibus personis, quibus olim quarta debebatur, ne de inofficioso agerent. Urget et illa ratio, quod motus fuerit Imperator ad augendam legitimam propterea, quod minor esset ejus quantitas, dum inter plures personas erat dividenda, quæ ratio etiam obtinet inter fratres.

Voetius ad corroborandam suam sententiam abutitur verbis illis *ab initio*. Verba illa non volunt, quibus *ab initio post mortem testatoris* legitima debetur; sed, quibus *antiquitùs i. e. ante nov. 18*, quarta legitima concessa fuit. Hic sensus naturalis est, et fratrum legitimæ augmento non oppugnat.

Porro, quod fratres non proprie habeant legitimam, sed querelam, id verum sophisma dici potest. Inde deducere, quod jus ad legitimam non habeant fratres, involveret exclusionem liberorum, qui præteriti sunt; illis enim quoque solum competit remedium querelam movendi, et æquè ac fratres, totam institutionem subvertunt. Itaque fratres præteriti, quibus antefertur persona infamis, eandem conditionem tenent ac liberi præteriti; et uti pater te-

(1) Ad inst. de inoff. test. n° 11.

(2) Censura for. part. 1 lib. 5 cap. 4 n° 12.

(3) Ad Cod. lib. 3 tit. 28 n° 33.

netur legitimam liberis relinquere , si eos à querelâ amovère studeat , ita frater , si turpem personam instituat , ut testamentum suum salvum maneat , legitimam fratribus sororibusque relinquere debet.

Quæstio , utrum legitima patronorum etiam aucta sit jure novo , non sæpe difficultati locum dare potest , quoniam rarò libertus plusquam quatuor patronos habet. Si tamen evenerit , eadem valerent ; ac de descendantibus et ascendentibus cum patronus parens civilis liberti habeatur.

§ IV. Alia , non minus controversa quæstio est , quanta sit ascendentium legitima ? Quæstio distinguendo decidenda est. 1<sup>o</sup> Si ascendentes primi dumtaxat et secundi gradûs adsint ; clarum est , eorum legitimam nunquam *trientem* excedere posse , propterea quod nunquam plures , quam quatuor ascendentes adesse possint. 2<sup>o</sup> Sin autem ascendentes tertii gradûs , in successione descendenti legitima , concurrunt , legitima singulorum , si quinque vel plures adessent , ad semissem producenda est ; in quam semissem tamen *in lineas* succedunt. Contrarium tamen contendit *Gluck de constituenda legitimæ portionis parentum quantitate* § 18 , et quidem ex hac ratione : quod si ascendentes ab intestato successissent , hæreditas pro duabus lineis in duas partes divisa fuisset , quasi duæ dumtaxat personæ adfuissent , quum itaque legitima sit portio portionis ab intestato , consequens est , eam in hoc casu trientem esse debere , quia *duæ* dumtaxat *lineæ* succedunt , non autem quinque personæ aut capita. Sed perperam : nam Justinianus in *nov. 18 cap. 1* voluit , ut legitimæ quantitas pro legitimariorum *numero* determinetur. In casu igitur supposito legitima pro quinque personis est *semis* , sed successio in hanc semissem fit *in lineas*.

3<sup>o</sup>. Difficilior tamen quæstio hæc est : quomodo ascendentium legitima sit determinanda , si præter eos fratres sororesque germani , vel horum prædefunctorum liberi adsint , qui cum ascendentibus ab intestato successissent. Antequam diversas recenseam diversorum opiniones , casum quemdam exempli gratiâ proponam. Titius defunctus est relicta matre , cui legitimam tantum reliquit , uxore hærede institutâ , et quatuor fratribus consanguineis. Quanta

sit legitima matris quæritur? Tres adsunt diversæ opinioniones. Alii (1) credunt, fratres, quia ab intestato successissent, non solum partem, sed quoque numerum facere in computanda legitima, i. e. non solum ad computandam portionem ab intestato, sed quoque ad determinandam legitimæ quantitatem concurrere, quamvis ipsi legitimam capiant nullam. In casu itaque proposito legitimam matris esse semissem ejus, quod ab intestato accepisset, sive  $\frac{1}{10}$  totius successionis.

Alii (2) fratres neque partem, neque numerum facere, legitimam itaque matris esse trientem totius hæreditatis.

Sed neque una, neque altera opinio menti *nov. 18 cap. 1* et naturæ legitimæ consentire videtur. Legitima enim est portio *portionis ab intestato debitæ*. Ut itaque definiri possit, quanta sit legitima, prius determinari debet portio, quam legitimarius accepisset, si defunctus decessisset *intestatus*. Ut autem hæc portio rectè possit determinari, omnes numerandæ veniunt personæ, quæ cum legitimario ab intestato successissent; in casu proposito autem fratres cum matre ab intestato venissent; ergo quoque, in determinanda matris portione ab intestato, numerandi veniunt, i. e. partem faciunt. Mater itaque  $\frac{1}{5}$  totius hæreditatis ab intestato habuisset. Definita portione ab intestato, legitimæ quantitas determinanda est. Ad determinandam autem hanc, illi dumtaxat numerari possunt, qui jus ad legitimam habent, ergo non fratres. Ex *nov. 18 cap. 1*. enim mente apparet, Justinianum, ex solo legitimariorum numero, legitimam vel trientem vel semissem voluisse. Ex his itaque sequitur, fratres partem quidem, non autem numerum facere, et in casu proposito matris legitimam esse  $\frac{1}{15} : 3 = \frac{1}{45}$  totius hæreditatis. Hanc opinionem etiam defendit *Anton. Faber in error. Pragmat. Dec. XV err. 4*. Neque obstat, quod secundum hanc opinionem exhæredatus in determinanda legitimæ quanti-

(1) Noodt comm. ad dig. tit. de inoff. test. § sed apparet. Struv. syntag. jur. civ. exercit. 10. Holæcker princ. jur. civ. § 1714.

(2) Domat sur les lois civiles, 1. 5 tit. 3 sect. 2 des testaments. Voet ad pand. tit. de inoff. test. n° 47.

tate numerum non faceret, quia nullum jus ad legitimam habet. Exhæredatus enim numerum facere debet; quia jus ad legitimam certe ab initio habuit, quod tamen propriâ culpâ amisit. Culpa autem aliena innocentibus reliquis liberis nullum præjudicium neque damnum afferre potest.

§ V. Quomodo autem *nepotum* legitima determinanda est? Distinguamus: 1<sup>o</sup> si nepotes *ex pluribus filiis* præmortuis succedant, sive soli adsint, sive cum patruis concurrant, in computanda legitimæ quantitate, nunquam ad nepotum, sed parentum, quos repræsentant, numerum attenditur, quoniam nepotes avo semper ex jure repræsentationis ab intestato succedunt. (1).

Quod si autem 2<sup>o</sup> plures nepotes ex uno filio filiave adsint, res controversa est. Plerique (2) auctores credunt, nepotes *non in capita sed in stirpes* succedere, nepotum numerum non esse computandum, sed eos tantum accipere, quantum præmortuus, quem repræsentant, habuisset, i. e. semper trientem portionis ab intestato, licet quinque adsint ex uno filio filiave nepotes. Quidam contra contendunt, legitimæ quantitatem in casu posito secundum nepotum capita esse determinandam, ita ut, pro eorum numero, legitima vel triens vel semis esse possit illius, quod nepotes ab intestato accepissent. Rationem ex eo deducunt, quod in casu, de quo loquimur, successio ab intestato etiam in capita, non vero in stirpes fiat, et legitima semper secundum principia successio- nis ab intestato sit computanda. Attamen prior Voetii opinio præferenda mihi videtur, quia nepotes, qui præmortuum repræsentant, nunquam plus possunt habere, quam ipse pater materve habuisset, si mortuus non fuisset.

§ VI. Gravior quæstio hic datur, nempe, an legitima portio diminui aut gravari possit? Negativam amplecti sententiam non dubito. Leges legitimam considerant ut bonum proprium legitimarii, nec volunt, ut privatus eam diminuere possit, et ideo debitum legale legitimam constituere, voluerunt. Porro, uti nemo rem alie-

(1) Voet ad ff. de inoff. test. § 48.

(2) Confer. Voet. loco laud. Hofacker § 1713.



nam valide onerare possit, ita legitima absque mora aut dilatione præstanda est, *l. 33 Cod. de inoff. test.*, atque relinquenda nullo adjecto gravamine, nulla sub conditione, aut suspensione a die certa; *l. 30 pr. l. 32 l. 36 pr. et § 1 Cod. de inoff. testam.*, ita ut, si quidquam gravaminis aut conditionis legitimæ relictæ appositum foret, ipso jure tolleretur, et pro non scripto haberetur, *l. 32 citata*; nisi tamen bona mente et in favorem legitimarii conditio adjecta sit, uti exemplum habemus in *l. 25 Cod. de inoff. testam.*

Legitima quoque fideicommisso gravari non potest, uti statuit *l. 36 § 1º Cod. de inoff. test.* Et quanquam legitimarius non recusaverat, legitimam illam acceptare, inde equidem non deducere liceret validitatem impositi fideicommissi, cum, uti vidimus, renunciatio tacita circa legitimam admittenda non sit.

Nec magis substitutione gravari potest legitima, exceptâ tamen pupillari, quia in hac pater et filius pro unâ eâdemque personâ habentur, et talis substitutio non gravamen sed potius honorem constituit *l. 26 Cod. de inoff. testam.* At non validè ex illa lege deduceretur, legitimam substitutione reciproca gravari posse: nam *lex 31 Cod. de inoff. testam.* expressè requirit, ut legitima omni conditione et gravamine immunis relinquatur; substitutio autem reciproca gravamen constituit, cum incertam reddat proprietatem legitimarii. Nec obstat nostræ sententiæ *l. 12 Cod. de inoff. test.*, quæ imperatori Alexandro debetur; nam ex illa nullatenus probatur, substitutionem reciprocam nullum gravamen efficere in damnum legitimariorum. Cæterum hæc *lex 12* abrogata videtur per imperatorem Justinianum in *lege 31 Cod. de inoff. test.*

Etsi generatim substitutione gravari nequeat legitima, speciem tamen quandam substitutionis videmus, quâ legitima onerari potest, et quam sub nomine exhæredationis officiosæ protulimus ad exemplum *l. 16 § 2 de curatore furios.*, quæ nomine exhæredationis usa est. Quæ de illa dicenda sunt, videantur supra *cap. 3 sect. 1 § 6.*

§ VII Legitima præstari debet de rebus substantiæ hæreditatis

*paternæ l. 36 princ. Cod. de inoff. test.* Ex hoc legibus sancito axioma profluunt consequentiæ, quod liberi instituti in nuda proprietate, alterâ autem personâ in usufructu generali institutâ, aut vice versa, huic institutioni stare non debeant, et possint totius portionis legitimæ plenam vindicare proprietatem, ita, ut et nudam proprietatem, et usumfructum possideant, ut sancitum est in *nov. 18 cap. 3*: et quod verba legis 36 supra allatæ, *ex ipsa substantia*, satis evidenter volunt.

Attamen, si pater reliquisset filio suo usumfructum bonorum, aut si malit legitimam suam integram, talem stipulationem validam esse, existimo. Filius enim querendi causam non habet, cum optio ei sit, et facultas, aut legitimam suam salvam habendi, aut capiendi usumfructum omnium bonorum. Idem dicendum est circa clausulam, qua pater filium instituit ex asse, sub onere fideicommissi vel substitutionis, aut, si velit, pro parte legitimæ suæ salvæ.

Non solum gravari aut diminui nequit legitima respectu legitimariorum, sed etiam respectu illarum personarum, quarum sub potestate sunt legitimarii. Ita avus in testamento frustra scriberet, ne pater usumfructum haberet legitimæ filiis suis debitæ. Qui contrariam admittunt sententiam, opponunt huic opinioni *Authent. excipitur Cod. de bonis quæ liberis*; at non considerant, hanc legem per *novellam 117 cap. 1 princ.* abrogatam esse, quæ novella expressè concedit patri usumfructum legitimæ filiis suis debitæ. Eandem amplectitur sententiam Huberus (1).

§ VIII. Sub consuetudinibus nostris quantitas legitimæ varia erat, prout modi erant, quibus disponebat de bonis ille, e cujus successione petenda erat. Si per donationem inter vivos de bonis disposuisset defunctus, legitimæ quantitas statuebatur, uti jure Romano, nempe triens, si pauciores aut quatuor tantum, et semis omnium bonorum defuncti, si plures quam quatuor legitimarii existerent. *Consuetud. Gand. rub. 12 art. 1. Brug. tit. 7 art. 6.*

---

(1) Ad ff. lib. 5 tit. 2 n° 12 et alii.

*Cortrac. rub. 14 art. 1* etc. Illa *Aldenard.* indistinctè duas tertias partes in legitimam relinquere statuerat. Si autem per testamentum de bonis suis aliquis disposuisset, generatim consuetudines pro legitima statuebant, absque respectu circa legitimariorum numerum, duas tertias partes omnium bonorum defuncti. *Gand. rub. 28 art. 2. Alost. rub. 21 art. 1. Alden. rub. 20 art. 6, 7, 8.* Cum consuetudinibus hæredis institutio prohibita esset, et hæredes soli jus ad legitimam haberent, inde nullum dubium, quin legitima inter hæredes dividi deberet, ratione habita ad portionem, quam quisque ab intestato cepisset.

Quod ad quæstionem, utrum gravamen legitima recipere posset, nec ne, eadem principia vigeant, quæ attulimus Jure Romano. Id nobis exponit Groenewegen (1), qui expressè dicit, quod legitima ex substantia relinqui debeat, ideo usumfructum non recipiat; porro ad *l. 8 ff. eodem* nobis testatur: *Legitimam nullum accipere gravamen*: nec non ad *l. 25 C. eodem*; ubi tamen sustinet, quod, æque ac jure romano, onus recipiat in commodum legitimariorum, et plurimos ita sentientes affert auctores.

Cæterum id nobis quique exponunt ipsarum consuetudinum textus, uti *Alden. rub. 20 art. 7*: « *Elk hoir moet de twee deelen van zyn successie vry en ombezwaert hebben, zuyver van alle testamentaire dispositien als van eenige clausulen, conditien ende reserven by testament gedaen last importerende.* » Videantur quoque reliquæ consuetudines locis citatis. Ita insuper sæpius judicatum fuit secundum Stockmans (2).

---

(1) De legibus abrogatis ad § 3 de inoff. test.

(2) In decisione 35.

---

*Caput sextum.*

---

## QUA RATIONE LEGITIMA DETERMINARI DEBEAT.

Ut recte et lucide rationes omnes perpendendæ in determinatione legitimæ portionis exponi possint, in quinque diversas sectiones hoc caput dividendum venit, in quarum prima enucleare conabor, quænam personæ numerandæ sint ad legitimam determinandam; 2.<sup>a</sup> quænam bona in legitima computanda; 3.<sup>a</sup> quomodo instituitur reductio; 4.<sup>a</sup> Quale tempus inspiciendum, ut legitima determinetur; tandem 5.<sup>a</sup> quasnam imputationes portio legitima sufferre teneatur.

## SECTIO PRIMA.

## DE PERSONIS IN STATUENDA LEGITIMA PORTIONE NUMERANDIS.

§ I. Certa est in jure regula, nec unquam controversiis inter interpretes locum præbuit, computandas esse in determinatione portionis legitimæ omnes personas, quæ jus ad legitimam habentes illud revera exercent, aut saltem constituti sunt hæredes illius, de cujus successione legitima petenda est. Hæ tamen personæ vario modo legitimam capere sæpius vidimus, prout jure proprio, aut jure repræsentationis ad illam vindicandam admittuntur.

Majoribus autem difficultatibus ortum præbuit quæstio, utrum li-

heri, testamento paterno validè justèque exhæredati, partem faciant in legitimæ computatione, et ita ad eam determinandam connumerandi sint? In hac controversia plurimi Juris Romani interpretes sudaverunt. In illa quodammodo rerum caligine cum Vinnio (1), Hubero (2), De la Champagne (3) et aliis plurimis sententiæ affirmativæ suffragor. Adversarii hujus opinionis plurimas faciunt distinctiones, quas omnes ex proprio capite et ratiocinio, non autem ullis ex legibus quærent, et inde majori difficultate quæstionem obducunt. Indistinctè decidendum esse existimo, exhæredatos in determinatione legitimæ numerandos esse. Argumenta pro hac opinione militantia præcipue eruo ex *l. 8 § 6 ff. de inoff. test.* quæ legitimam expressis verbis nuncupatur: *quartam partem ejus, quod ad aliquem esset perventurum, si intestatus pater familias decessisset.* Huic legis dispositioni, ut ipsi confitentur auctores opinionis contrariæ, nihil immutavit Justinianus in *nov. 18 cap. 1.* Itaque ut portio, quam quis ab intestato cepisset, determinetur, omnia consideranda veniunt perinde, ac si testamentum nunquam exstisset, et exhæredatio, quæ ex testamento profluit, locum non obtinisset. Inde nulla ratio, cur exhæredatus excludatur a computatione, sufficit enim, modo succedere potuisset, si defunctus ab intestato mortuus foret. Id lucidius adhuc statuitur per exemplum propositum in eadem lege *8 § 8 ff. de inoff. testam.*, quâ, in sensu nostræ sententiæ respondet Papinianus, filium exhæredatum partem facere.

Objicitur his rationibus, *l. 1 § 5 ff. de conjungendis cum emancipato liberis*; in hac lege vero dicitur, exhæredatum pro mortuo haberi; sed illa dispositio extendi non potest ad speciem hujusce quæstionis; nam in dicta lege pater exhæredatus pro mortuo habetur, quatenus liberis suis in bonorum possessione a prætore non jungitur; at haud dubie magna datur disparitas inter bonorum possessionem et successionem ab intestato, quæ ultima hic

(1) Quæst. select. lib. 1 cap. 21.

(2) Ad pandect. lib. 5 tit. 2 n.º 4.

(3) Traité de la Légitime chap. 3.

sola spectari oportet. Nec magis urget *l. 10 § 4 ff. de bonor. posses. contra tabulas*, quæ statuit, exhæredatum partem non facere. Id enim denuo procedit ex illa ratione, quod exhæredatus pro mortuo habeatur respectu bonorum possessionis, sed id non evenit respectu possessionis ab intestato, quod luculenter probatur *l. 8 princ. ff. cod.*, quæ exhæredatos liberos ad querelam admittit, his expressis verbis: *sane si velint inofficiosi querelam instituere, est in ipsorum arbitrio.*

Qui validè renunciaverunt legitimæ suæ post mortem illius, de cujus successione agitur, æquè ac exhæredati indistinctè computandi sunt, ut determinetur portio legitimaria. Illis enim facultas fuit succedendi ab intestato, imo jamjam jus successionis in illos translatum erat. Nostra opinio corroboratur *l. 17 ff. de inoff. testa.*

Qui incapaces aut indigni succedendi sunt, vel per statutum a successione ab intestato exclusi, nullatenus numerantur in determinanda legitima; quod ex eodem semper profluit principio; quia illis omnibus personis spes succedendi ab intestato denegatur. Hac de negativa sententia nullas dari posse controversias existimo.

Jure Romano, si quis e legitimariis absens aut captus ab hoste foret, et liberos non reliquisset, qui eum repræsentant, non computabitur in statuenda legitimæ portione; quia per fictionem legis Corneliæ mortuus existimetur a prima die ejus absentiæ, donec revertatur, quo tempore denuo resurgere creditur.

Aliqui dubitaverunt, utrum illi, quibus jus ad legitimam petitionem præscriptione ablatum est, numerandi sint? Quæstio illa ne minimum dubium quidem patitur, si consideremus, præscriptionem haberi jure uti veram solutionem; itaque legitimarii, de quibus quæstio movetur, æquè computandi, ac si legitimam jam accepissent.

§ II. Jure consuetudinario omnis difficultas extincta erat circa personas, ad stabiliendam legitimam portionem connumerandas. Hæredis institutio prohibita erat, et soli veri hæredes legitimarii existere poterant; uti nobis omnes testantur consuetudines, quarum textus jam sæpius attulimus; itaque nunquam computandi veniebant illi, qui hæredes non erant, aut hæreditatem rejiciebant.

## SECTIO SECUNDA.

## QUIBUS IN BONIS LEGITIMA CAPIENDA EST.

§ I. Quum legitima portionem bonorum efficiat, atque decimum sit, eam deberi ex substantia, seu bonis et corporibus paternæ hæreditatis, *nov. 18 cap. 1*; inde principium eruendum, *omnia bona, quæ debita successionis excedant, numeranda esse*, ut recte statuatur legitima portio: *l. 6 Cod. de inoff. testam. l. 30 § ult. ff. eod.* Ex omnibus illis bonis, inter quæ computanda bona per liberalitatem testatoris abalienata, una eademque adunatio fictivè facienda est, ex qua, ratione habita ad æstimationem bonorum et ad numerum legitimariorum, legitima portio statuitur. At antequam hanc rationem instituamus, priùs ex bonis fictivè cumulatis deduci debent sumptus funebres defuncti et omnia debita, ad quæ ille naturaliter tenebatur; id expresse stabilit *l. 8 § 9 ff. de inoff. testam. Quarta autem accipitur deducto ære alieno et funeris impensa.* Eadem fermè sententiam complectuntur *l. 15 § 3 ff. ad leg. fal. et l. 6 Cod. eod.*; ex quibus illi, adversus quos legitimarii in deductionem agunt, retinere possunt, quæcunque eis debebat defunctus. Hæ leges, cum eadem ratio decidendi detur, in specie applicari possunt.

Bona itaque, quæ per fideicommissum aut substitutionem restitutioni subjecta sunt, in legitima statuenda computari nequeunt; cum res, quas defunctus restituere tenetur, nunquam in bonis ejus numerari possunt, et id est, quod affirmant *l. 8 § 9 ff. de inoff. testam. et Authen. res quæ ad Cod. communia de leg.*: nec minus lex jam sæpius allata *36 Cod. de inoff. test.*, quæ requirit, ut legitima in propria substantia relinquatur, cujus substantiæ partem non faciunt bona, de quibus agitur, sed potius extra patrimonium posita sunt: *arg. l. 8 Cod. ad leg. falc.*

Ob eadem principia hæres non potest eligere legitimam in qui-

busdam bonis , nec tenetur accipere legitimam in certis bonis a testatore assignatam ; sed arbitrio judicis liberis portio legitima assignanda est , nisi legitimarius ex donatione sibi facta suam portionem jure retineret. Inde fit , ut parens non possit , invito filio , legitimam assignare in pecunia numerata *arg. leg. pen. proæ. Cod. de inoff. testam. nov. 18 cap. 1* , quæ volunt , ut in corporibus hæreditariis relinquatur (1).

§ II. Cum inter debita non numerentur liberalitates a defuncto factæ ; bona per liberalitatem abalienata æquiparentur bonis adhuc in successione existentibus , et legitimæ deductioni subjacent.

Inter illas liberalitates , 1<sup>o</sup> numeranda veniunt legata et fideicommissa , quæcunque testator reliquit , uti rite ostendit *l. 8 § 6 de inoff. test.* , quæ legitimarius partem habere debet omnium bonorum , quæ obtinisset , si defunctus ab intestato mortuus esset. 2<sup>o</sup> Computantur , quæcunque bona per donationes mortis causâ abalienavit testator. *l. 5 Cod. ad leg. Falcidiam.*

Interpres aliqui hanc regulam quibusdam exceptionibus restringere voluerunt , et dubitaverunt , an legata ad pias causas facta cæteris legatis in hac specie æquiparanda sint , cum *l. 54 Cod. de Episcop. et Cleric.* talia legata e reductione Falcidiæ excipiantur ? Negativa sententia verior videtur , si perpendimus , legem citatam introducere exceptionem , quæ secundum juris principia numquam extendi potest. Illud juris principium præcipuè observandum venit in hac quæstione , quum legitima multum a quarta Falcidia differat , uti jamjam attulimus.

Nec magis ambiguitur , an legata , aut donationes , quas aliquis faceret in restitutionem furti , aut in mercedem bene meritorum conferendæ sint in legitimam portionem ? Inprimis enim in hoc casu perscrutandum , an causæ allegatæ veræ sint , et ejus naturæ , ut naturale et æquum debitum efficiant : si momenta illa in his causis reperiantur , humanitas atque justitia nobis suadent , ut legatarii

(1) Confer. Faber in Cod. definit. lib. 3 tit. 19 def. 29 n<sup>o</sup> 9 , et Perez. ad Cod. lib. 3 tit. 28. n<sup>o</sup> 37.



anteferantur legitimariis , si è contra absint , contrarium decidendum est.

§ III. Nec solum donationes mortis causâ reducendæ sunt et computandæ , ut legitimæ portiones statuantur , sed etiam donationes inter vivos , uti testatur *l. 12 C. ad leg. falc.* , quæ lex legitimæ applicari potest , propter easdem militantes rationes , et quidem favorabiliorem naturam legitimæ. Insuper , quemadmodum quæcunque donationes inter vivos , si immoderatæ sint , querelæ subjacent ; *l. ult. C. de inoff. donat.* , ita illæ reducendæ veniunt , ut legitima salva sit : id evidenter statuunt *l. 7 Cod. de inoff. donat. l. 87 § 3 et 4 ff. de leg. II et nov. 92 cap. 1.*

Nec ab hac regula excipiuntur donationes ante vel post matrimonium factæ. *L. 5. Cod. de inoff. donat.* quæ generalis est , et *l. 1 Cod. de inoff. dotib.* reductioni submittit in favorem legitimariorum tum donationes durante vita mariti , tum illæ postea factæ ; ita ut nullas faciat exceptiones.

Ex verbis *immoderatæ donationes* , quæ legibus allatis adjiciuntur , introducere quidam voluerunt , donationes , quæ immodicæ non sint , reductionem pati non debere. At rejicienda mihi videtur hæc opinio , nam quæcunque donationes , quæ legitimam lædunt , merito *immoderatæ* dicuntur , cum contra officium pietatis factæ sint *l. penult. Cod. de inoff. testam.* ; et illo sensu dicitur in *l. 7 Cod. eodem* , quod tales donationes revocentur , in quantum *immodicæ sint.*

Nec majori cum fundamento aliqui sustinere voluerunt , tales donationes non reducendas esse , si in extraneorum favorem factæ sint , quia *nov. 92 cap. 1* loquatur tantum de donationibus in favorem liberorum factis. Quanquam illa novella non expressè memorat extraneos , tamen *l. 1 Cod. de inoff. donat.* de extraneis expresse loquitur , et etiam illas donationes inofficiosas dicit , si immoderatæ sunt. Porro *l. 7 Cod. eodem* statuit , quod omne illud , quod donatum sit , et lædat legitimam , rescindi debeat. Cæterum quanta foret iniquitas hujus legislationis , quæ prohiberet lædere jura liberorum , dum læsio datur in favorem unius e li-

beris; illudque autem permetteret, si extraneus ex illa læsione commodum percipiat? Justinianus autem non præsumi potest, talem voluisse iniquitatem, præsertim, quum in favorem liberorum expressè *nov. 92* ediderit.

§ IV. Si autem evenerit, ut donatio inofficiosa sub specie contractus onerosi lateret, generatim dicendum, quod legitima ab illis quoque deduci debeat; cum tales donationes cæteris æquiparentur *l. 36 ff. de contrah. emt. vend. l. 6 ff. pro donato.*

§ V. Utrum ex bonis publicatis patris damnati legitima portio debeatur descendantibus, jure Romano nullum erat dubium? Id expressè affirmatur in *l. 1 et 7 ff. de bon. damn.*; ne ex crimine alieno innocentes luant poenam. Aliter erat, dum mater damnata esset: *l. 6 Cod. de bonor. præscr.*, aut pater damnatus criminis perduellionis causâ; *l. pen. et ult. Cod. eod.*

Jure novo hæc legislatio abrogata fuit *nov. 17 cap. 1*, et tandem nova hac de re constitutio lata est in *nov. 134 cap. ult. 5* ubi bona damnatorum, quæ olim fisco tradebantur, ascendentibus et descendantibus usque ad tertium gradum reservantur. At nullæ illarum legum de collateralibus loquuntur; inde nulla ratio, cur dispositiones earum ad illos extendantur, cum specialem concessionem tantum contineant.

§ VI. Quoad bona illarum personarum, quæ secundas inveniunt nuptias, ut perspiciamus, quænam legitimam portionem augere possint liberorum prioris tori, aut illam liberorum secundæ tori, varias ineundas esse distinctiones, existimamus. Inprimis parens, qui transit ad secundum matrimonium, amittit proprietatem rerum, quas ex facultatibus prioris conjugis, quovis lucrativo titulo, accepit, eamque transmittit in injuriæ solatium liberis prioris matrimonii, solo usufructu penes eum remanente, quamdiu vivit *l. 3 Cod. de secund. nupt.*, cui consequens est, ut illas res neque abalienare, neque pignore obligare possit: *l. 5 Cod. eod. nov. 22 cap. 23 et 24.* Inde illa bona nullatenus augere possunt legitimam liberorum secundæ matrimonii.

2.º Idem dicendum venit de bonis, quæ ad parentes pervene-

runt morte unius e liberis prioris tori, modo ab intestato illa parens obtinuerit, et non per actum ultimæ voluntatis, id exprimit *nov. 22 cap. 46 § 1 et 2*.

3.º Porrò ad lucra nuptialia, sicut et ad bona, quæ per mortem infantis obtinuit parens, observanda est distinctio inter liberos a diversis matrimoniis procreatos; ita, ut liberi prioris matrimonii non possint præter lucrum, quod ab ipsorum parente profluit, habere etiam partem lucri, quod a secundo marito provenit. *Quid enim, ait Justinianus in nov. 22 cap. 29, hoc prioribus prosit? Quid autem invidcant priores filii secundis, si non et illis tertiis injuriam passi sunt nuptiis? Vid. authen. Lucrum Cod. de secund. nupt.*

4.º Tandem prohibitum est parenti, secundo conjugii, plus donare aut testamento relinquere, quam uni ex liberis prioris matrimonii, qui saltem legitimam portionem habet: *l. 6 C. de secund. nupt. l. ult. Cod. eod.* si plus autem datum esset, Imperator Leo in dicta lege *6 C. de secund. nupt.* statuere videtur, ut illud dividatur inter liberos prioris matrimonii. Tandem Justinianus in *nov. 22 cap. 27 et 29*, plus donatum expressè addicit liberis prioris matrimonii, ita, ut legitimam non augeat liberorum secundi tori, cum injuriam illi nullam passi sint.

§ VII. Hic quæstio objici potest, an bis eadem bona in statuenda legitima numerari possint? Illud nullum dubium pati potest, cum aliter inde maxima iniquitas oriretur: v. g. si mater in testamento suo in favorem mariti disposuisset; bona donata prius subjacerent legitimæ liberorum defunctæ matris; postea vero eadem bona, in successione mariti, ut legitima statuatur, computanda forent.

§ VIII. Quædam bona, titulo gratuito abalienata, in adunatione fictiva computanda non sunt: inter illa præcipuè numerantur 1º omnia, quæ reductioni et imputationi legitimæ legitimariorum non subjacent, de quibus postea, et 2º ea, quæ perierunt casu fortuito, ita, ut etiam periissent, si apud donatorem remansissent.

At si bona donata per culpam donatarii periissent, aut si hic

non solvendo factus esset, illa equidem in adunatione computanda forent. Legitimarii autem ex inopia aut culpa donatarii nihil pati debent, sed potius onus illud incumbit cæteris donatariis. Cæterum leges, quæ submittunt res donatas reductioni, nullam faciunt distinctionem, ita et nobis distinguere prohibitum.

§ IX. Sub consuetudinibus eadem fere vigeant principia ac jure romano. Deducebantur quoque inprimis debita, ut legitima nullo onere gravaretur; uti stabilivi supra in cap. 5 § 8. 2.º Liberalitates, quæ per testamentum fiebant, computandæ erant, ut legitima quantitas determinaretur, nec non reductioni subjacebant, uti expressè statuunt *Cons. Gand. rub. 28 art. 2. Ald. rub. 2 art. 6, 7. Cortr. rub. 14 art. 3, 4, etc.* Nec quidem ab illa regula eximebantur legata ob piam causam facta, non enim, ait Zypæus (1) *est laudanda pietas quæ naturæ obliviscitur*. 3.º Donationes inter vivos computabantur et reducebantur, si legitima salva non erat *vid. Cons. Gand. rub. 12 art. 1; Ald. rub. 8 art. 1;* et omnes alias. Inter has donationes non minus computabantur liberalitates, quæ sub specie contractûs onerosi factæ erant ex principio; *malitiis hominum non est indulgendum* 4.º. Quod attinet bona publicata, in illis, jure consuetudinario, liberi legitimam ordinariè capere potuisse existimo; ita dicit Groenewegen (2) *in publicatione bonorum non veniunt alienari prohibita*. Tandem observandum, quod bona feudalia in patrimonio patris existere dici non poterant respectu illorum liberorum, qui jus succedendi ab intestato in illa non habebant; nisi id aliter consuetudinis dispositiones voluerint; latius hac de re tractat Voetius *ad ff. lib. 5 tit. 2 n.º 57 et 58*.

(1) Vid. van den Hane in notis ad cons. Gand. pag. 363.

(2) De leg. abrogatis. pag. 352 edit. 1649.

## SECTIO TERTIA.

### QUOMODO REDUCTIO INSTITUENDA EST.

§ I. Quænam bona in stabilienda legitimæ quantitate numeranda sint, vidimus; superest itaque, ut enucleamus, quo ordine legitima ex illis sumenda sit. Ante omnia legitima portio deduci debet ex illis bonis, quæ ab intestato relicta sunt. Si illa non sufficiant, tum liberalitates in testamento factæ contribuunt. Tandem si duæ priores species legitimam portionem non adimpleant, ad donationes inter vivos progrediendum est.

Ab intestato relicta primum penitus haurienda sunt, quia adhuc corpora successionis constituunt, et voluntas defuncti ea abalienandi non exstat. Legitima ex omnibus illis bonis debetur in tota substantia, inde hæres institutus ante deductionem legitimæ illa bona non validè abalienare potest.

Si legitima deducenda esset e liberalitatibus per testamentum factis, primum reducenda veniunt legata universalia, ex principio: *in toto jure generi per speciem derogatur*. His legatis exhaustis, particulares liberalitates in testamento factæ, pro rata minuuntur, excepto casu, ubi testator expressè aut tacitè contrariam voluntatem manifestasset. Si autem res incorporalis aut individua objectum liberalitatis constitueret, legitima deberetur in illis, ad prætium æstimationis illius rei.

§ II. Quod donationes inter vivos attinet, magna datur controversia, utrum omnes donatarii pro rata teneantur ad legitimam, an prius penitus exhauriendæ sint donationes ultimò contractæ? Plurimi posteriorem sequuntur sententiam, uti de la Champagne (1); at illorum argumenta fundantur in textibus consuetu-

---

(1) Traité de la Légitime chap. 4.

dinum. Secundum principia juris romani Perezius (1), Præses Faber (2), Dumoulin (3), contrariam amplectuntur sententiam, cui meritò nos suffragari posse existimamus. Hic verba celeberrimi Faber referre utile duxi: « Pluribus, ait, separatim factis donationibus, quæ simul junctæ inofficiosæ sint, non eæ tantum, quæ posteriores factæ sunt, rescindi debent per querelam inoff. donationis, sed omnes conjungendæ sunt, ut priores quoque, licet initio inspecto inofficiosæ non fuerint, pro rata revocentur. Perinde namque ex pluribus donationibus simul junctis fraudandi animus præsumitur atque ex una, quæ sit universalis. Et vero necesse est in tempus usque mortis manere in suspense, cum inofficiosa donatio futura sit. Nam etsi patrimonium suum quis totum donaverit, non ideo tamen inofficiosa dici donatio statim potest. Quid enim, si postea donator alia bona acquirat, ex quibus dari potest legitima liberis mortis tempore, etc. » Cæterum hic adjici potest, falsè adversarios sustinere, patrem inanes reddere posse favores, quas in primos donatarios contulit; nam pater ultra bona donare nequit inter vivos, cum traditio sequi oporteat; inde donatariis prioribus ac posterioribus tantum adimitur id, quod deest legitimæ portioni; et ad cætera bona, validæ manent donationes.

§ III. Si in reductione facienda unus e donatariis non solvendo factus esset, et nulla amplius bona donationis existerent, legitimarii in anterioribus donationibus totam legitimam capere possent; cum legitima, lege naturali introducta, semper debeatur, et vice alimentorum liberis concessa sit: itaque favorabilioris naturæ est, quam quævis liberalitas. (4)

§ IV. Jure consuetudinario eadem principia observanda erant. Donationes inter vivos factæ, etiam ultimæ inter liberalitates reductioni subiacebant, quia tempore priores sunt, et in bonis donatis quodammodo jus acquisitum habebat donatarius; cum ta-

(1) Ad cod. lib. 3 tit. 29 n.º 6.

(2) In cod. defm. lib. 3 tit. 20 def. 7.

(3) Conseil 35 n.º 24.

(4) Confer. Le Brun des succ. l. 2 chap. 3 sect. 8.

les donationes irrevocabiles sint , et reductioni submittantur tum tantum , quando salva præstari nequit legitima ex bonis , quæ adhuc in successione reperiuntur , aut quæ nondum ab ea detracta sunt.

Si donationes inter vivos agredi oporteret , ut salva præstaretur legitima , illas omnes , uti jure romano , reductioni submissas esse , ratione habita ad cujusque valorem , existimo. Illud principium amplecti videntur *consuet. Ald. rub. 8 art. 2* , nec non van den Hane *ad consuet. Gand. rub. 12 art. 1* qui sententiam allatam Præsidis Faber (1) invocat.

## SECTIO QUARTA.

### DE TEMPORE INSPICIENDO , UT LEGITIMA PORTIO DETERMINETUR.

§ I. Non sufficit autem , ut bona omnia in adunatione fictiva computentur ad statuendam legitimam portionem , at illorum bonorum æstimatio fieri debet. Ut rectè illa æstimatio ineatur , inspiciendum est tempus mortis parentis , cujus e successione legitima petenda est ; ita , ut bona æstimentur , ac si semper existissent apud defunctum arg. *l. 3 § 20 ff. de bonis libert. l. 6, 30 § ult. Cod. de inoff. testam. l. 73 ff. ad leg. Falc.* Eamdem sequitur sententiam Præses Faber (2) , et inde asserit , quod circa legitimam portionem , quæ in dotem data fuit , inspiciendum sit non tempus constitutæ dotis , sed mortis donatoris.

§ II. Hic quæstio sese offert , an fructus portionis legitimæ debeantur a tempore mortis defuncti , si legitima diu tantum post mortem tradita fuerit ? Voetius ad Pandectas (3) , et Faber in Codice definit. (4) affirmativam merito amplectuntur sententiam. Legitima portio , a tempore mortis , omni jure debetur legitimario , ideoque et ei competunt fructus , uti vult *l. 8 § 11 ff. de inoff.*

(1) In Cod. defn. lib. 3 tit. 20 def. 7.

(2) In Cod. defn. lib. 3 tit. 20 def. 7 et tit. 19 def. 27.

(3) Lib. 5 tit. 2 num. 53.

(4) Lib. 3 tit. 19 def. 11 et lib. 2 tit. 3 def. 30.

*testam.* Insuper fructus jure romano debentur ab illo, qui rem hæreditariam detinet, ideoque nulla ratio, cur ab illis, qui portionem legitimariam detinent, non deberentur fructus, cum et ex hæreditate descendant, et hæreditatis partem constituent *l. 9 Cod. fam. erciscund.* Si mala fidè foret detentor portionis legitimæ, teneretur non solum ad fructus, sed insuper ad pœnas, quæ imponuntur possessori malæ fidei *l. 25 § 11 ff. de pet. hæred.*

§ III. De augmento hæreditatis aut ejus diminutione, quæ post mortem defuncti supervenit, dubitatum fuit, an quantitatem legitimæ ampliorem aut minorem reddat.

Ut rectè illa quæstio enucleatur, distinctiones ineundas esse mihi videtur. Si agatur de augmento, quod vivo patre existit, sive legitima portio jam stabilita erat, sive non, rectè dicere possumus, quod tale augmentum ampleat legitimam, quemadmodum augeat hæreditatem. Porro legitima tantum debetur ad mortem parentis, quo tempore capi debet in omnibus bonis, quæ in successione dantur, sicut et in fructibus *l. 9 Cod. fam. erciscund.*

Si autem augmenti causa exstaret tantum post mortem testatoris, videndum, utrum hæc eveniat, postquam jam ex voluntate succedentium, aut judicis officio, legitima portio stabilita sit, an vero ante. In priori casu nullum dubium, quin illa incrementa nullo modo legitimæ quantitati, jamjam stabilitæ, augmentum illatura sint; at quisque tum hæres tum legitimarius, damnum aut lucrum capiet, quod in bonis sibi designatis superveniat. Id ex eo profluit, quod divisio facta ut permutatio habeatur *l. 77 § 18 ff. de legatis 11 l. 1 C. communia utriusque judicii « divisionem prædiorum vicem emptionis obtinere; »* ita, quemadmodum post venditionem, sic post divisionem factam, cuique acquiritur lucrum aut damnum, quod in bonis ei acquisitis accidit. At si hæc rerum incrementa obtinerent ante initam legitimæ rationem, tum ea profutura esse legitimariis cum Voetio ad Pandect. (1) existimo, et id absque ullâ distinctione faciendâ, utrum

(1) Lib 5 tit. 2.



augmentum internum aut externum sit , vel utrum mobilibus aut immobilibus super venerit. Debetur enim legitima non in certis rebus, sed ex omnibus, et in ipsa substantia hæreditatis *l. pen. C. de inoff. testam. nov. 18 præm. in fine et cap. 1* ; ita ut, qui legitimam debet, eam solvere non possit ad arbitrium suum in bonis aliquibus successionis. Exinde post mortem illius, de cujus successione legitima petenda, in omnibus bonis defuncti suam partem capere debet legitimarius ; proinde portionem habere illorum bonorum, in quibus augmentum advenit, nec non utilitatem ex illis incrementis capere, ratione habita ad quantitatem suæ legitimæ.

Inter augmenta, quæ prodesse debent legitimariis, numerari potest victoria obtenta ab hærede in lite, quæ jam fuerat per defunctum incepta; ut ait *Voetius loco citato*. Actio enim a defuncto instituta, inter ejus bona computari debet, *l. 143 ff. de verb. signif.* At legitimarii omnes, ratâ habitâ ad portionem suam, conferre debent in impensas ad sustinendam illam litem factas, ex principio: *qui sentit commodum, ejus et incommodum est.*

Ex eodem axioma profluere mihi videtur, quod, si hæres bonis incrementa attulerit proprio facto, legitimarii, si inde capere velint commoda, teneantur pro parte ad incommoda.

Quæcunque diximus de augmentis obvenientibus successionis bonis, eadem observanda sunt circa decrementa, quæ his bonis obvenire possunt. Ad regulam jam allatam, secundum quam pericula sequuntur eum, qui rei commoda colligit *l. 10 ff. de reg. juris § 3 inst. de emt. vendit.* Tandem qui suâ culpâ decrementum intulerit rebus hæreditatis, aut legitimæ portioni, de dolo aut facto suo tenetur.

§ IV. Principia, quæ exposuimus secundum Jus Romanum, eadem obtinebant tempore consuetudinum nostrarum, et eisdem argumentis probari possunt. Voetius ad *Pauct.* (1) eandem opinionem amplectitur, ex eo, quod renunciatio successioni futuræ valida esset, uti ostendi ad § 7 *sect. 4 cap. 3* et inde deducit, filiam, quæ do-

---

(1) Lib. 5 tit. 2.

tem , adimplentem suam portionem legitimam , accepit , et renuntiavit ulteriori successioni , tamen posse supplementum petere , si inter tempus constitutionis dotis et mortis parentis opes auctæ fuerint.

## SECTIO QUINTA.

### DE REBUS IMPUTANDIS IN PORTIONEM LEGITIMAM.

§ I. Antequam hanc aggrediamur materiam , ante omnia præmonere oportet , ea tantum in legitimam imputanda esse , quæ speciali legis dispositione huic oneri submittuntur. Id expressè vult *l. 20 C. de collation.* Ex ejusdem legis dispositione , nec non ex disparitatibus , quæ successionem ab intestato intercedunt et legitimam , et præcipuè ob favorabiliorem naturam , quæ huic ultimæ conceditur , concludi possumus , in hac sectione regulam valere , *quidquid inferri non debet in successionem , imputari non debet in legitimam* , et secundò ; *omnia non imputanda sunt in legitimam , quæ collationi submittuntur.* Has regulas exceptionibus immunes non dicimus , nam contrarium nos probat *l. 10 C. de collat.* , quæ eximit a collatione relictum a patre , quod tamen imputandum in legitimam (1).

§ II. Imputandum 1º venit , quidquid legitimarius titulo institutionis accepit *l. 30 Cod. de inoff. test.* 2º Quidquid legitimarius accepit titulo donationis mortis causâ , aut titulo legati , imputari debet in legitimam suam , uti vult *l. 8 § 6 ff. de inoff. test. l. 35 § 2 Cod. eod.* nisi testator circa certam rem expressè designaverit , se velle , ut non fiat imputatio *nov. 18 cap. 6* , et modo illa res non lædat legitimam cæterorum legitimariorum.

---

(1) Conferat. Perezius ad Cod. lib. 6 tit 20 n.º 14.

Nec obstat huic imputationi , si res aliena legata esset , cum æquè præteritum æstimationis illius rei persolvendum sit ex substantia patrimonii defuncti. Itaque præteritum illud imputationi subiacet *l. 36 C. de inoff. test.* Hæc lex nobis regulam proponit , quâ cautè ponderare possumus diversos casus , in quibus ullum dubium datur , utrum imputatio facienda sit nec ne. Statuit in hac lege Imperator , imputationem faciendam esse harum omnium rerum , quæ descendunt ex ipsâ substantiâ hæreditatis defuncti , non illarum , uti ait lex , *quas ex aliis causis filius lucratus est vel ex substitutione , vel ex jure accrescendi ut ususfructus.... Humanitatis enim gratiâ sancimus , ea quidem omnia , quasi jure adventitio eum lucrari ; repletionem autem ex rebus substantiæ patris fieri.*

Ex prædictis facilè intellectu est , an ille , qui in donatione sub conditione aut modo positus dicitur , in legitimam conferre debeat , quidquid titulo gratuito ita acceperit ? Distinguendum autem est , utrum illud capiat ex patrimonio defuncti , an aliunde ? In priori casu imputationi subiacet , in posteriori vero , quum non descendat ex ipsa substantia hæreditatis defuncti , sed aliunde , veluti si donatarius ex propriis pecuniis quidquam solvere tenetur , ad dispositionem legis *36 Cod. de inoff. testam.* legitimarius liberabitur ab imputatione. Idem principium tenet *l. 3 § 19 ff. de bonis libertorum* , quæ , quanquam præcipuè loquitur de patronis , in specie applicari potest , cum æquitas postulat , ut quidquid in favorem patronorum statutum sit , ubi de legitima quæstio , id etiam applicetur liberorum legitimæ , quæ favorabilioris naturæ est (1).

§ III. Imputanda est in legitimam portionem dos , quam filia aut neptis accepit ab ascendente. *L. 29 C. de inoff. test.* id expressè statuit : *Cum pater , ait : non tantum eandem dotem vel donationem conferri , verum etiam in quartam partem ad excludendam inofficiosi querelam , tam dotem datam , quam ante nuptias donationem , præfato modo volumus imputari , si ex substantia ejus profecta sit , de cujus hæreditate agitur . »*

---

(1) Conf. Le Brun des successions liv. 2 chap. 3 sect. 9 n.º 6.

Ex illa dispositione legis apparet, eam dotem in tantum solummodo imputandam esse, in quantum profecta sit ex substantia ejus, de cujus hæreditate agitur. Inde consequentiæ deduci possunt: 1<sup>o</sup> Neptem non teneri conferre in legitimam, sibi ab avo suo debitam, dotem, quam a patre accepit. 2<sup>o</sup> Dotem, a patre et matre in bonis communibus liberis traditam, tantum in successione paterna aut materna pro medietate in portionem legitimam imputandam esse.

Quemadmodum dotes imputandæ veniunt, ita quoque imputari oportet donationes in favorem nuptiarum, modo masculis factæ sint. Id oritur ex verbis citatæ legis 29: *cum pater vel mater pro filia dotem, vel pro filio antenuptias donationem.*

At ex illa deduci nullatenus potest, imputandos esse sumptus, quos parentes ob celebrationem nuptiarum faciunt, quia nihil ad filium pervenit, et pater, quod status, ejusque conditio ab eo postulabant, tantum perfecisse creditur. Si tamen adamantia aurei vel gemmei ornati darentur, qui lædunt patrimonium parentum, dotis aut donationis loco illi æstimarentur, et earum rerum prætitium imputandum foret.

§ IV. Alimenta, quæ parens liberis suis præstitit, nullatenus in legitimam imputari possunt. Natura enim patrem et matrem obligat, ut alant illos, quibus lucem dederunt *l. 5 § 12 ff. de liber. agn. et alend.* Inde si pater fructus patrimonii alicujus concesserat filio, in vicem alimentorum, ille tantum teneretur imputare illud, quod superat alimenta ipsi ad vitæ rationem honestam necessaria.

Nec solum alimenta ab imputatione eximuntur, sed quæcunque sub nomine alimentorum intelligi possunt, ut sumptus educationis, studiorum, aut artium culturæ ab imputatione exempti sunt *l. 50 ff. fam. ercis.*; qua lege illi sumptus a collatione eximuntur, ideo quoque ab imputatione legitimæ, cum nulla detur specialis lex, quæ illos imputationi submittit, quod requirit *l. 20 C. de collationibus.* Ideo quanquam pater expressè illos sumptus impu-

tationi submisisset, ejus voluntas servanda non foret, cum nulum onus legitimæ portioni imponere possit.

Ex iisdem principiis profluit, imputandum non esse, quidquid pater erogavit, ut filius gradum doctoris in una aut altera scientia obtineat. Nec magis imputatur valor librorum, qui ad studium suum ritè perficiendum necessarii fuerunt *arg. l. 30 § 2 C. de inoff. test.* At si libri illi adeo numerosi sint, ut efficiant bibliothecam, cujus valor permagnus sit, respectu patrimonii parentis, tum, ne damnum inferatur cæteris liberis, sumptus illi imputandi sunt, in legitimam filii.

§ V. Quid decidendum sit circa sumptus, quibus parens uni e liberis suis munus emit, sive civile, ecclesiasticum aut militare, id nobis exponit *l. 30 C. de inoff. test.* quæ imputationi submittit tales sumptus, modo munus venale sit, et inde lucrum capiat, qui illud obtinuit, et uti hæreditatem posteris transmittit. Justinianus tamen, in eadem *lege 30* unam statuit exceptionem in favorem militum, quibus officia Palatii imperatoris incumbabant, et *silentiarii* dicebantur, ut eadem *l. 30 C. de inoff. test.* testatur.

§ VI. Sumptus, quos ad redimendum filium ab hostibus præstitit parens, uti pietatis ratione facti, imputari non debent *arg. l. 10 C. de negot. gestis* (1). Valet in hoc casu *l. 17 C. de postlim. revers.*, ubi ait legislator: *pro pietatis itaque ratione, redempto ab hostibus filio, facti te pænitere, ac de prætio quidquam tractare non convenit.*

Ex eisdem principiis existimo, generatim imputationi non subiacere, quod pater pro delicto filii voluntariè exsolverit; quia id pietatis causâ factum esse præsumptio datur. Attamen, si sumptus illi permagni essent ratione habita ad patrimonium parentis, tum ne delictum unius liberorum noceat cæteris, et ob præsumptionem, quod pater potiùs necessitatis causâ, et in honorem filii sumptus erogaverit, opinor, in illo casu sumptus imputandos esse, quia nemo in necessitate liberalis existimatur *l. 18*

(1) Confer. Faber in Cod. defn. lib. 5 tit. 19 def. 19 n° 2.

*in fine ff. de adim. vel transf. legat.* Voetius ad Pandectas (1) et Perezius ad Codicem (2) eandem amplectuntur sententiam.

§ VII. Quod liberi ab illo, e cujus successione legitima petenda, mutuum acceperunt, inde actionem conferre in portionem legitimam tenentur; cum illud successionis debitum constituat, et res mutuo accepta partem patrimonii efficiat, quia nullo modo animus adfuit, eam abalienandi titulo gratuito.

Si filius itaque ut mutuum accepisset sumptus erogandos studiorum et educationis causâ, nec non illos ad sese e captivitate liberandum, submitterentur illi sumptus imputationi *l. 5 Cod. ad SCtum Maced.* Idem dicendum est et ob easdem rationes de nummis, quos pater aut ascendens pro legitimario solvit, nisi animus adfuerit donandi, qui nunquam præsumitur.

§ VIII. Ad lucra facta a filio, qui sub potestate paterna adhuc constitutus est, distinguendum, utrum filius lucra acceperit ex sola sua industria et proprio labore, an ex pecuniis aut rebus paternis ipsi creditis? Priori casu, uti ait Præses Faber in Codice defin. (3), « quod per hæredis actionem, operam et industriam accessit hæreditati, augere non debet legitimam in favorem » aliorum liberorum, qui non egerunt »; *arg. l. 42 § 2 ff. de minor. 25 annis. et l. 3 ff. de rei vindic. et præcipuè arg. l. 36 Cod. de inoff. testam.*, quia ex substantia hæreditatis illa lucra non descendunt. Secundo autem casu emolumenta imputationi obnoxia erunt, cum ex patrimonio ipso defuncti profluant.

§ IX. An donationes inter vivos simplices, quæ non factæ sunt propter nuptias, imputandæ sint, controversia enascitur ex *l. 18 Cdo. familiæ ercis.* et imprimis ex *l. 35 § 2 Cod. de inoff. testam.*, ubi Justinianus vult, ut tantum imputentur, si factæ fuerint sub conditione imputationis; itaque argumento a contrario, illas imputandas non esse, si expressa conditio non adsit, dedu-

(1) Lib. 37 tit. 6 n.º 15.

(2) Lib. 6. tit. 20 n.º 12.

(3) Lib. 5. tit. 19 def. 36.

cunt Voetius ad Pandectas (1) Faber (2) De la Champagne (3) quorum sententiæ suffragari non dubito. Objiciunt vero aliqui huic opinioni § ult. *Inst. de inoff. test.*; at frustra; nam ille paragraphus nullatenus vult, ut donationes inter vivos semper imputentur, cum adjiciat verba: « *in illis tantummodo casibus, quorum mentionem facit nostra constitutio* »; quæ constitutio alia esse nequit nisi *l. 35 prædicta* (4). Nec magis pollet, dispositionem illam mutatam esse a Justiniano in *nov. 92 cap. 1*. Verum in illa novella Imperator reductioni submittit donationes inter vivos, at inde male eruitur, illas imputandas esse in legitimam; nam ab illa reductione exemptæ sunt, simul ac legitimam non lædunt, et tamen tum etiam imputandæ forent. Ita favorabilior haberetur donatio inter vivos extraneo facta, quam illa liberis, quod iniquum esset. Cæterum ex *lege 20 Cod. de collationibus* eruimus regulam, imputandum non esse in legitimam, quod collationi non subjacet; porro *l. penult. § 1 Cod. eod.* aperte illas donationes a collatione eximit: *simplex donatio non aliter confertur, nisi hujusmodi legem donator tempore donationis suæ indulgentiæ imposuerit*.

§ X. Altera quæstio sese hic offert, an illud, quod legitimarius lucratus est per jus accrescendi sive, qualitate hæredis, sive legatarii, ei imputandum sit in portionem legitimam? Negativa responsio videtur profluere evidenter ex *l. 36 princ. Cod. de inoff. test.* ubi expressè sancitur *repletionem fieri ex ipsa substantia patris, non si quid ex aliis causis lucratus est, vel ex substitutione, vel ex jure accrescendi, etc.* At hæc decisio ad litteras non intelligenda est, sed mens legislatoris perscrutanda venit, ut dispositio legis recte perspiciatur. Scopus legis enim est, ut indicetur, legitimam unice implendam esse ex illo, quod provenit ex bonis testatoris illius, de cujus successione legitima petenda est. Hinc necessario distinguendum est, utrum jus accrescendi locum

(1) Lib. 57 tit. 6.

(2) In Codice. def. lib. 3 tit. 19 def. 30.

(3) Traité de la Légitime chap. 9.

(4) Confer. Viinnius ad iust. de inoff. testam. § ult.

habuerit, antequam cohæres legitimarius partem agnoverit ex hæreditate aut legato sibi debitam, an postea tantum. In priori casu portio devoluta ad legitimarium, necessario imputanda est in legitimam. Etenim directè provenit hæc portio ab ipso patrimonio defuncti, proinde constituit rem haustam ex substantia hæreditatis ipsius defuncti, inde ad *legem 36 Cod. de inoff. test.*, in legitimam imputanda est. Posteriori autem casu, bona jure accrescendi legitimario devoluta, nullatenus imputanda sunt. Disparitatis rationem dare possumus ex eo, quod in hoc casu portio deficiens per jus accrescendi non directe perveniat ad legitimarium ex patrimonio defuncti, sed mediante alia persona intermedia, ad eum pervenit, et ita impedit, quominus directe profiscatur ex substantia hæreditatis defuncti. Cæterum pro nostra militans sententia ipsa legis 36 verba: *vel ex jure accrescendi ut puta ususfructus*. Notum autem est, quod jus accrescendi, dum agitur de usufructu legato, aut aliter relicto, tantum obtineat post additionem hæreditatis *L. 1 § 3 ff. de usuf. accresc.*, in cæteris autem cessat jus accrescendi, simul ac portionem suam aliquis adiverit; atqui cum lex suam dispositionem restringat ad usumfructum, ex eo solo jam stabiliri potest distinctio, quam hac in quæstione faciendam esse diximus.

§ II. Si vocatus ad substitutionem moriatur ante gravatum, tum in favorem gravati jus quoddam accrescendi, vel potius non decrescendi, obtinet. Antea enim retinebat proprietatem restitutioni subjectam, ita ut de illa disponere non posset; at simul ac moriatur vocatus ante gravatum, restricta possessio evadit plena. Inde quæstio, an hoc jus accrescendi imputandum sit in legitimam gravati? Resolvi potest ex principio allato, quod tantum in legitimam portionem imputanda sint illa bona, quæ directèveniunt ex substantia defuncti. Inde hoc jus imputandum venire dicendum est, quia planè ex patrimonio defuncti descendit, cum in defuncto totum resideret ante mortem suam.

Quidquid autem legitimarius acquireret jure accrescendi, ex substitutione pupillari aut fidecommissaria, id nullatenus imputa-



tioni subjacet; illa etenim bona non directe acquisivit ex ipsa substantia patris, sed per personam intermediam, itaque ad *l. 36 Cod. de inoff. testam.*, ab imputatione exempta sunt.

§ XII. Quæstio majoris momenti datur, utrum illud, quod filius a patre sub titulo ususfructûs obtinuit, imputandum sit? Negativa responsio amplectenda mihi videtur. *L. 36 Cod. de inoff. test.* vult, ut legitima relinquatur in substantia hæreditatis paternæ, absque ullo onere vel gravamine. Si autem filio imputandum esset, quod in nuda proprietate aut in usufructu tenet a patre, sæpe tota legitima inde repleta esset, et ita onere gravata, quod impedit *l. 32 Cod. eod.* Insuper nostram sententiam confirmare possumus per *l. 6 Cod. ad S Ctum Trebell. et nov. 18 cap 3* quarum dispositiones eisdem nituntur principiis.

Nec obstat, quod tales concessionem a patre factæ, si lædant legitimam aliorum liberorum, reducendæ sint; nam inde nullatenus consequitur, filium posse cogi, ut in fructibus legitimam portionem capiat, quod evenerit sæpius, si, quod titulo ususfructûs a patre percepit, imputaretur in suam legitimam.

Huic regulæ unicam stabilivimus exceptionem suprâ *cap. 5 § 7*, nempe, ubi pater usumfructum magni valoris reliquit filio, sub conditione, ut illum habeat loco legitimæ portionis, aut si malit legitimam salvam. In illo casu filius præferre potest usumfructum, aut saltem optio est filio, et pater ejus conditionem meliorem reddit, ita, ut legitima nullo gravamine onerata dici possit.

§ XIII. Ex illis principiis sequitur, filium gravatum fideicommisso, non debere imputationem pati fructuum, quos, e rebus fideicommisso datis percipit. At disputatur, an idem obtineat, si ascendens fideicommisso gravatus sit? Verior videtur sententia, nullam distinctionem faciendam esse inter liberos et ascendentes. Verum *l. 6 Cod. ad S Ctum Trebell.*, antiquæ legislationi derogavit tantum in favorem liberorum; at si *l. 32 C. de inoff. test.* rite inspiciamus videbimus, eam expressè decidere, absque ullo onere aut delatione legitimam portionem reliquendam esse, tum descendantibus, tum ascendentibus. Huic posteriori legi potius standum, cum expressè legitimam respiciat, et ut rigor antiqui juris minuat, lata sit.

§ XIV. Interdum contingit, ut imputationis onus incumbat illis, qui rem non acceperunt directè, sed capite alterius. Id evenit, si nepotes veniunt ad successionem avi ex capite patris sui; illis imputatur, quidquid pater ab avo titulo donationis aut repræsentationis pecuniæ (*avances*) accepit; idque procedit, sive exstiterint hæredes patris, sive hæreditatem suam repudiaverint. De primo casu nullum dubium dari potest, in secundo dubitandi ratio evanescit, si observemus, nepotes non aliter legitimam petere e successione avi, nisi jure repræsentationis, quod illis transmittit easdem obligationes quibus tenebatur pater eorum *l. 6 § 1 ff. de hæred. inst.* Controversia datur, an debita patris erga avum contracta æquè ac donationes imputanda sint in legitimam nepotum? Si nepotes successionem paternam adierint, nulla ratio dubitandi; in omni casu sustinent patris personam, cujus, si capiant commoda, incommoda sufferre debent. At si repudiaverint illius hæreditatem, tum nullatenus imputanda sunt nepotibus debita, quibus obnoxia erat successio patris. Si autem illi, qui repudiant successionem, ad debita ejus tenerentur; inviti fierent hæredes, nec repudiatio eis prodesset.

Argumentum hic a simili opponi nequit, ex eo, quod dixerimus, pecuniæ suppeditationes a patre factas, imputandas esse nepotibus; nam prorsus alia est conditio illarum suppeditationum quam debitorum. Donationes enim et pecuniæ repræsentationes censentur factæ hacce mente, ut luant debitum, in favorem legitimarii ratione legitimæ suæ portionis, vel saltem partem illius debiti. Debita autem constituunt actionem gestionis negotiorum, aut aliarum rerum, in qua pater et filius ut extranei considerantur; ubi donatio e contra debitum officiosum constituit.

Frustra objicitur, nepotes repudiantes hæreditatem paternam, tamen generatim per repræsentationem ad successionem avi venire, adeoque, in consequentiam istius repræsentationis, obligari iisdem oneribus ac ille, quem repræsentant. Verum patrem suum sæpissimè repræsentant in successione avi, at illa repræsentatio non adeo generalis est; pertinet tantum ad jus succe-

dendi, et extendi nequit ad debita paterna, nisi implicemus principio: quod in favorem alicujus introductum est, in ejus odium retorqueri, nequit; paucis, opinio contraria inutilem redderet repudiationem, et aliquem invitum hæredem faceret.

§ XV. Enucleanda hic venit quæstio, an, quemadmodum nepotes tenentur ad imputationem rerum, quas pater ab avo accepit, ita quoque pater teneatur imputare in legitimam suam, quidquid liberi sui ab avo acceperint? Affirmativè respondendum esset, si de *l. 6 ff. de collationibus* per analogiam argumentari possemus. Hæc sententia obstaret supra tradito principio, quidquid collationi subjacet, non indè in legitimam imputari debet. Magna quoque disparitas obtinet inter filios et parentes. Illi repræsentant patrem, cum hic personam liberorum nullatenus repræsentare debeat. Ulterius si pater obligaretur ad illam imputationem, quid aliud foret, quam onus imponere legitimæ suæ? Nam facultas in hoc supposito daretur avo, privandi filium legitimam, et eludendi leges, si quidem deberet tantum dare nepotibus partem, quam pater eorum, ut legitimam suam vindicare potest.

Nec validè nobis objici potest *l. 6 ff. de collationibus*, qua donatio facta filiis, in potestate paterna constitutis, eadem supponitur, ac si facta esset patri. Hæc autem dispositio non nimis generalis accipienda est; aliàs inde sequeretur maxima iniquitas, scilicet quod pater-familias, a patre suo gravatus fideicommisso universali in favorem liberorum, inde deducere non posset legitimam suam, cum donationem constitueret; quod æquitati et legum principiis contrarium esset.

In illo casu tantum obtinet hæc regula, uti probat ipsa *l. 6* allata, quando ille, qui donationem celebrat, declaraverit, sese liberalitatem facere nepotibus suis nomine patris eorum, uti dum aut de dote, aut de sumptibus educationis locus est; et insuper dum de tali debito agatur, ad quod per naturam pater tenebatur. Hac in specie pater potius donatarius considerari potest quam filius, qui rem obtinuit, at hoc non ad alios casus protrahendum.

§ XVI. Nonnullæ res, quæ per specialem legis dispositionem aliquibus e legitimariis conceduntur, ab imputatione eximi possunt; et primum quæstio est, an legitimarius teneatur quartam Falcidiam aut Tribellianicam in suam imputare legitimam? Facile solvitur hæc quæstio, si consideremus, neminem et legitimarium et hæredem simul existere posse, uti probat *l. 41 § 6 ff. de vulg. et pup. subst.* Simul enim ac aliquis hæres existit, defunctus adversus illum nihil inofficiose egit, nec locus est petitioni legitimæ. Inde numquam aliquis legitimam portionem et Falcidiam simul capere potest, adeoque nullæ difficultati locus.

Quarta divi Pii speciali legis concessione arrogatis traditur *l. 22 ff. de adopt.*; tamen imputanda venit illa quarta, quia id ita vult *l. 8 § 15 ff. de inoff. test.* Quod attinet usumfructum, quem pater habet in peculio adventitio filii, illum imputare non tenetur in suam legitimam, cum illum speciali legis dispositione teneat, nec ulla lex detur, quæ eundem usumfructum imputationi submittit: nostram opinionem corroborat *l. ult. § 1 Cod. ad SCtum Tertull.*

§ XVII. Perspeximus nunc, quænam bona in portionem legitimam imputanda sint; quæstio adhuc superest, quid juris sit, si immodica donatio facta sit legitimario? 1º dubium non est, quin legitimarius æque, ac si extraneus esset, retinere possit, quidquid portiones legitimas non lædit. 2º Legitimarius legitimam portionem ex illa donatione retinere poterit. Jure Romano aliquis vero hæres et donatarius aut legatarius existit *l. 34 § 12 ff. de leg. 1º* et quanquam legitimarius in specie renunciaverat hæreditati, tamen e donatione validè legitimam deduceret; cum hæres renuncians legitimam habeat, uti supra stabilire conati sumus.

Tandem jure Romano ordinariè res ipsa conferenda est, quæ reductioni subjacet, uti apparet ex *l. 1 § 11 ff. de collat.* Atamen si cæteri legitimarii aut cohæredes consentiunt, valorem æstimationis superflue partis conferri posse, verius videtur: si autem dissentiant, res in specie conferenda foret, quoniam in *l. 1 in princ. ff. de col. dicitur*, quod debeant sua bona conferre.

§ XVIII. Circa imputationes in legitimam faciendas, in consuetudinibus nostris nullæ ferè dispositiones particulares reperiuntur, at omnes de collatione loquuntur, quæ etiam, prouti variæ consuetudines, diversis stabiliebatur principiis. Ideo ad jus romanum sæpe confugiendum erat, et inde principia, quæ exposuimus ferè eadem, vigentibus consuetudinibus, servabantur. Maximè tamen observandum, quod sub consuetudinibus legitimariis necessarius hæres existeret; itaque in omni casu principia simplicis collationis locum obtinebant. Si de puncto quodam contraversia movebatur, juris scripti principia inde decidebant; ita donationes simplices imputandas esse, reperimus in decisione *magnæ curiæ Flandriæ 14 Februarii 1775* (1) et in decisione 100<sup>a</sup> relata a Stockmans. Van den Hane (2), et Van Leeuwen (3) nobis observant, nepotes quoque teneri, uti jure romano, ad imputandum illud, quod pater eorum ab avo acceperat.

Tandem maximè annotandum principium juris consuetudinarii, quod juri romano contrarium obtinebat, nempe *neminem posse et legatarium et hæredem existere*. Vid. *consuet. Gand. rub. 27 art. 7 Brug. tit. 14 art. 1 Ipren. rub. 9 art. 3*. Cæterum circa res feudales, quæ natu majori debentur, receptum erat, quod nec ad constituendam fictivam adunationem numerarentur, nec etiam imputationi subjacerent. Hoc ex eo profluit, quod legitimarii non tenentur imputare, quidquid ex beneficio legis ipsis debetur. Insuper talia bona non perveniebant ex substantia hæreditatis ad legitimarium, cum, uti diximus, nunquam in patrimonio defuncti computata fuerint.

(1) Confer. Merlin répert. de jurisp., mot *légitime*, sect. 8 § 3 art. 2.

(2) Ad consuet. Gand. rub. 26 art. 12 in notis.

(3) Cens. for. part. 1 lib. 3 cap. 13 n.º 11.

---

*Caput septimum.*

---

**DE MODO RELINQUENDI LEGITIMAM ET DE ACTIONIBUS  
AD EAM OBTINENDAM.**

§ I. Antè Justinianum legitima portio relinqui poterat quovis titulo, legati, donationis mortis causâ, fideicommissi etc., § *ult. Inst. de inoff. testam.* Justinianus hoc jus immutavit, et voluit, ut tantum titulo institutionis relinqueretur, *nov. 115 cap. 5*, tum, quia honorabilior sit legitimariis, *l. 5, § 6 ff. de legat. præstand.*, tum, quia illis fructuosior sit propter jus accrescendi *l. 1 § 4 ff. de hæred. inst.*

Legitimam onus aut dilationem temporis non recipere, jamjam explanavimus supra in *cap. 5 § 6*. Si conditio aut gravamen illicitè adjectum foret, observandum, quod non locus sit querelæ movendæ, sed conditio aut onus detrahatur, et uti purè relicta consideretur legitima, *l. 30 pr. l. 32 et 36 pr. et § 1 Cod. de inoff. testam.*

§ II. Justinianus non requirit, ut titulo institutionis tota legitima relinquatur ad excludendam querelam. Olim vero id ita obtinebat; at Imperator voluit, ut si minor pars ac illa, quæ in legitimam portionem debetur, relinquatur, legitimario detur actio ad supplementum legitimæ, *l. 30 Cod. de inoff. test.*; quæ actio non impedit, quominus legitimarius accipiat omnia, quæ sibi per testamentum relicta sunt. *l. 35 § 2 Cod. de inoff. test.* Jure itaque novo legitimarius, si ei legitima plane nulla relicta

sit, querelam intentare tenetur, ut institutionem hæredis evertat, et obtineat, quod sibi ab intestato debitum est, § 3 *Inst. de inoff. test.* At si quædam tantum pars ei relicta sit, actionem ad supplementum aggreditur, quia tum nulla injuria ei facta est, cum nec præteritus, nec exhæredatus sit in testamento defuncti.

Differunt inter sese plurimum hæ actiones, et 1.º querela olim evertabat totum testamentum, jure novo autem institutionem tantum. Actio ad supplementum nullatenus attingit testamentum, sed illud validum relinquit. 2.º Per priorem petit legitimarius quod ab intestato habuisset, posteriori autem, quod sibi in legitimam portionem debetur. 3.º Præscribitur querela per quinque annos, cum e contra actio ad supplementum legitimæ per 30 annos ritè intentari possit. 4.º Illa fragilis naturæ est et odiosa, arguens testatorem neglectæ pietatis imo furoris; altera nihil odiosi continet, cum voluntatem testatoris in honore habeat. 5.º Actio querelæ intentandæ, propter odiosam ejus naturam, non transit ad hæredes, nisi ubi jamjam intentata esset ante mortem auctoris, aut ita saltem præparata, ut animum eam intentandi ex aliquo facto facile colligi possit, vel tandem si pater injustè exhæredatus mortuus esset, antequam hæreditas adita erat per hæredem scriptum *l. 34 C. de inoff. test.* Actio e contra ad supplementum, ob favorabilem suam naturam semper transit ad hæredes sive præparata fuerit, nec ne. In hoc ultimo puncto controversiis nullatenus immuni, sententiam, quam exposui, amplectuntur Voetius (1) et Van Leeuwen (2).

§ III. Disputatur inter interpretes, utrum actio ad supplementum legitimæ solummodo adversus hæredes intentanda sit, an etiam adversus legatarios? Sustinet Voetius (3), cujus sententiam æquiores credimus, primum adversus institutos hæredes intentandam esse actionem ad supplementum, quia legitima debitum successionis constituat, et legatarii ad solutionem æris alieni

(1) Ad ff. de inoff. test. n.º 67.

(2) Censura for. part. 1 lib. 5. cap. 4 n.º 54.

(3) Ad ff. § 15 ff. de inoff. test.

non teneantur l. 13 *Cod. de hæred. inst.* At quanquam primum contra hæredes scriptos actio illa intentanda est ; nihil impedit, quominus etiam, si legitima non salva foret per bona in successione relicta, intentetur adversus legatarios, donatarios et quidem adversus tertios possessores, uti affirmat celeberrimus Præses Faber (1), quoniam legitima ex ipsis bonorum corporibus debeat, nec quodammodo minui possit.

§ IV. E principio, quod legitima absque onere et conditione præstanda sit, evidenter emanat, omnia bona, quæ actione ad supplementum legitimario addicuntur, immunia præstari debere ab omni pignore aut hypotheca a parte hæredis instituti, donatarii, aut tertii possessoris. Si autem res, quæ in legitimam portionem tradita fuit, postea legitimario bonæ fidei evinceretur, æquitas postulat, ut legitimarius actionem habeat contra hæredes institutos et omnes alios, adversus quos ab initio agere potuit, ut illi ipsum indemnem præstent.

§ V. Consuetudines nostræ regionis non requirebant, ut titulo institutionis legitima relicta esset; videatur Stockmans (2) et Wynandts (3), qui testantur, tempore consuetudinum quovis titulo legitimam relinqui potuisse. Cæterum Stockmans *in eadem decisione* n.º 6, ait: « illa etiam prioris jûris sanctio, quæ exhibitabat totam legitimam relinqui liberis, aut alioquin testamentum per querelam inofficiosi everti posse, non obtinet, cum sufficiat, id quod legitimæ deest, peti posse actione ad supplementum, uti posteriore jure constitutum est. » Inde evidenter apparet, hæredem, cui legitima salva non erat, per actionem ad supplementum contra legatarios et donatarios agere debuisse, ut legitima salva ei præstaretur.

---

(1) In *Cod. def. lib. 5 tit. 19 def. 32.*

(2) *Dec. Brabant. dec. 5 n.º 3 et 4.*

(3) *Dec. suprem. curiæ Brabant. dec. 182 n.º 3.*



---

# PARS POSTERIOR.

---

## JUS HODIERNUM.

---

### *Caput primum.*

---

#### HISTORIA.

**L**EGITIMÆ portionis institutionem, quæ ab omni ferè populo recepta fuit, etiam sub consuetudinibus, tum nostræ regionis, tum Galliæ, diverso modo invaluisse, suprâ vidimus. Postquam Galli regionem nostram invaserunt, denuò legitima mutationes varias subiit, per dispositiones legum 17 *nivosi anni II* et 2 *germinalis anni VIII*. Tandem codicis civilis promulgatione pro toto regno eadem principia circa legitimam stabilita fuerunt, quæ nobis nunc enucleanda veniunt.

Definitio legitimæ, in priori parte tradita, magis Juri Romano convenit, quam hodierno. Rectius hodie definiri potest legitima, portio honorum, quam lex, in favorem quarumdam personarum, alienari prohibet. Differentia illa ex eo promanat, quod in determinatione legitimæ hodiè non portio, quam quis ab intestato cepisset, respiciatur, sed honorum successionis valor.

---

*Caput secundum.*

---

SECTIO PRIMA.

QUIBUSNAM DEBEATUR LEGITIMA.

§ I. Jure hodierno non eisdem personis debetur legitima portio, ac illis, quibus secundum principia Juris Romani antea explanata, competeat. Hodie inter personas, quibus legitima portio relinquenda est, computantur et descendentes et ascendentes, *art. 913, 915, 916 cod. civ.*

§ II. Quandoquidem jure hodierno eadem natura sit legitimæ ac olim, inutile est, hic denuò exponere, argumenta negativa a successione ab intestato ad legitimam rectè procedere, cum e contra affirmativa respuantur. Etenim diversa natura, quæ legitimam intercedit et successionem ab intestato, sicut et recta ratio illa principia stabiliverunt.

SECTIO SECUNDA.

DESCENDENTIUM LEGITIMA.

§ I. Ut jus romanum, ita codex hodiernus civilis primitus legitimam, natura suadente, concessit liberis; id testatur *art. 913 c. c.*

Sub nomine liberorum comprehenduntur descendentes masculini seu feminei sexûs, cujuscumque gradûs, at ita tamen, ut nepotes tantum pro persona, quam repræsentant, legitimam vindicent, *art. 914 c. c.*

§ II. Legitimati autem per subsequens matrimonium æquè, ac illi, qui ex justis nuptiis procreati sunt, jus ad legitimam vindicare possunt; cum legitimatione eadem obtineant jura, ac si semper legitimi fuissent, *art. 333. c. c.*

Quod legitimationes per rescriptum principis attinet, aut per oblationem curiæ, hæ moribus nostris penitus exoleverunt.

§ III. Circa liberos naturales non hodiè, uti jure romano, distinctio facienda est patrem inter et matrem. Quæstio vero, utrum liberis naturalibus legitima debeatur, nec ne, maximè controvertitur varios inter interpretes (1). Nos existimamus, legitimam nullam competere liberis naturalibus, sive agniti sint, sive non, at vero *legitimis* tantum liberis, uti expressis verbis vult *art. 913 c. c.* Verum illis jus aliquod conceditur in bonis, quæ parentes suæ mortis tempore relinquunt, *art. 757 c. c.*; at indè nullatenus concludi potest, illos jus ad legitimam habere. Lex enim, cum illis certam honorum partem concedat, eos uti successionis creditores, nullomodo uti hæredes considerat. Sic *Bigot-Prémeneu* in expositione rationum dixit. « *Ce droit n'est point acquis avant la mort, et c'est sous le titre de créance une participation à la succession.* » Cæterum expressis verbis nostram opinionem stabilit *art. 756 c. c.* « *Les enfans naturels ne sont point héritiers.* » Itaque cum hæredes esse nequeant, et argumenta negativa rectè procedant, a successione ab intestato ad legitimam, extra dubium manet, ipsos legitimam vindicare non posse. Tandem speciale privilegium, quod naturalibus liberis *art. 757 c. c.* conceditur, ab ipsa lege limitatur in *art. 762 et 908 c. c.*; inde juris æquitas nullatenus permittit, ut protrahatur ad legitimam, præsertim cum id obstet, et utilitati ipsius liberi et sententiæ legislatoris, si illam ex discussionibus hauriamus. (2)

Quamquam filius naturalis ad legitimam nullum jus habeat,

(1) Toullier, droit civil Français, tom. 5, pag. 126.

Grenier, des donat. et test., tom 2, pag. 405.

Ghabot, sur les succes., ad art. 756, n.º 5.

Malleville, analyse raisonnée de la discussion du Code civil, ad art. 756.

Levasseur, traité de la portion disponible, n.º 65.

(2) Vid. expositio facta coram tribunatu a Jaubert 9 floreal anni 11.

tamen Chabot (1) non assentio, filium illum posse orbari parte ei a lege concessa per dispositiones ultimæ voluntatis parentis. Etenim lex in *art. 757 c. c.* liberis naturalibus jus aliquod tribuit seu debitum legale in successione parentis; itaque patris voluntas dispositionem legis in favorem alterius mutare nequit: nec debitum aliquod auferri potest, nisi effecta solutione, aut consensu creditoris, vel vi legis extingatur.

Quod, jure romano, filius naturalis hæres existeret matris suæ, non autem jure hodierno, id ex morum diversitate profluxit. Jam diu in Gallia hoc ita receptum erat, et legislatores codicis consuetudinum Gallicarum legislationem in eo secuti sunt (2).

§ IV. Jure hodierno distinctiones, uti jure romano, inter adoptatos et arrogatos non observandæ sunt. Paterna potestas, quemadmodum apud Romanos obtinebat, non amplius viget, indè evanuerunt illæ distinctiones. Hodie affirmare non dubitamus, adoptatis legitimam competere in successione adoptantium, cum per *art. 350 c. c.*, eis eadem tradantur jura, ac si legitimi essent; exinde legitimis æquiparantur, et eo ipso dispositioni *art. 913 c. c.* subjacent. In successione vero cognatorum adoptantium omne jus filio adoptato denegatur *art. 350 c. c.*, et per rectam consequentiam legitima eis competere nequit.

§ V. Hodie in dubium vocari nequit, quin, uti jure romano, emancipati jus ad legitimam retineant. Evanuerunt enim rationes dubitandi, quæ, e singulari Romanorum paterna potestate, oriabantur.

---

(1) *Traité des successions ad art. 757.*

(2) *Confér. Malleville, analyse etc., ad art. 756.*

## SECTIO TERTIA.

## ASCENDENTIUM LEGITIMA.

§ I. Iisdem rationibus moti, ac romani legislatores, illi, qui leges hodiernas condiderunt, legitimam secundo loco ascendentibus, proximiorum gradum occupantibus, dederunt, *art. 915 c. c.* Quod illa legitima etiam concedatur ascendentibus, qui non primi gradus sunt, uti avo et proavo, si pater et mater decesserint, id stabilitur per verba ipsius *art. 915*, qui generaliter vocat ascendentes absque ulla exceptione (1).

An idem dicendum sit, si avi aut proavi cum fratribus collateralibus succedant, magnæ controversiæ jure hodierno locum dedit. Negativa nobis juri, accommodatior videtur sententia; in hac enim specie ascendentes a successione ab intestato defuncti excluduntur *art. 750 c. c.* Itaque sententia nostræ contraria principio adversatur, *qui succedere non possunt ab intestato, nullum jus ad legitimam habent.* Cæterum *art. 915 in § 2º*, videtur ad legitimam tantum vocare ascendentes, qui jus succedendi ab intestato habent.

§ II. Quemadmodum filii legitimati et emancipati jus ad legitimam obtinent in successione parentum, eodem modo parentibus illorum jus illud tribuendum esse opinor. Circa illegitimos ascendentes non assentio opinioni auctorum quorundam (2), qui existimant, ascendentes illos legitimam habere, quia filiis suis naturalibus agnitis succedant secundum *art. 765 c. c.* At præterquam, quod ex argumento affirmativo a successione ab intestato ad legitimam nulla conclusio æque deduci possit, etiam æquitas et juris ratio, quæ *legitimis* tantum legitimam concedunt, huic

(1) Confér., Toullier, sur le droit civil, vol. 5 page 157. Malleville, analyse raisonnée etc. ad art. 915.

(2) Des Pandectes françaises ad art. 915.

decisioni mihi obstare videntur. Natura enim suaderet potius, ut legitima liberis, qui criminis parentis participes non sint, concederetur: tamen leges illud noluerunt. Majori itaque cum æquitate legitimam parentibus abnuerunt. Ad filiorum adoptivorum hæreditatem, uti adoptanti omne jus succedendi denegatur, *art. 351 c. c.* ipsi quoque legitimam non competere, at patri naturali opinor (1).

## SECTIO QUARTA.

### COLLATERALIUM LEGITIMA.

§ I. Jure Romano atque consuetudinario legitimam fratribus atque sororibus, quibus turpis persona anteferebatur, concessam esse, latius supra vidimus. Codex civilis hodiernus, nec unam nec alteram legislationem hoc in puncto secutus est, at penitus collateralibus legitimam recusavit. Non tamen absque controversiis disceptationibusque sententia illa prævaluit. Collegium, cui legum ferendarum munus in Gallia mandatum erat, ut videri potest in expositione facta a Bigot-Preameneu (2), primitus legitimam fratribus sororibusque, imo et eorum liberis concesserat. Illa dispositio in congregatione 28 *pluviosi* anni XI multis quæstionibus agitata fuit: illi, qui partem meridionalem Galliæ incolebant, et ubi Jus Romanum servabatur, penitus illam dispositionem rejiciebant: cum incolæ partis septentrionalis, uti conformiorem suis consuetudinibus, illam amplectebantur. Prævaluerunt posteriores, et fratribus sororibusque, non verò liberis eorum, legitima concessa fuit. At tribunatus et multæ curiæ (3) improbaverunt legitimam, in favorem collateralium, eorumque opinionem secutum est imperii con-

(1) Confer. Levasseur sur la portion disponible, n° 53.

(2) Procès-verbaux du conseil-d'état, vol. 2 page 315.

(3) Videantur Observations des tribunaux d'appel: rapport du tribunal de Paris, d'Agen, Dijon, Montpellier etc.

silium (*conseil-d'état*), et ita legitima collateralium è codice hodierno evanuit.

Rationes, cur legislatores illam non admiserint legitimam, variæ sunt. Inprimis Jure Romano, et in Galliâ jure scripto, recepta erat legitima in favorem collateralium tantum unico casu, ubi defunctus fratribus sororibusve antetulerit personam turpem: quo in casu potius considerabatur ut ultio, quâ universa familia injuriam sibi illatam vindicabat. In consuetudinibus ipsis non propriè legitima collateralibus concessa erat, sed potius sepositum consuetudinarium (*reserve coutumière*) (1), inter quod et legitimam auctores maximam stabiliverunt differentiam. Secunda ratio fuit jus proprietatis, quod nisi ob maximas causas restringi potest, et cujus pro stabilitate militant et jura familiæ et securitas publica: « *Un teneur a deux frères*, ait curia Parisiensis (2), « *l'un sans besoins, l'autre pauvre, ou qui, pendant toute sa vie, lui a témoigné une tendresse et une affection particulières. Par quelle raison de justice et d'équité ne pourra-t-il pas laisser son bien au dernier, plutôt qu'au premier?* » Tertia ratio ex jure naturæ hausta fuit. Nihil enim collateralibus debemus, quia nihil ab illis accepimus; nemini licitum est, a fratribus alimenta jure expostulare; itaque nulla ratio, cur magis legitimam in ejusdem successione vindicare posset. Descendentes et ascendentes inter jura arctissima naturæ locum obtinent, itaque legitima debitum naturale constituit, quod inter collaterales non reperitur. Tandem recusatio legitimæ collateralibus non vincula familiæ remittit, uti profitebantur, qui collateralibus legitimam portionem concedere volebant; at contrarium potius obtinebit, quia spes successionis et timor, ne ipsis hæreditas adimatur, infingunt collateralium animo principia prudentiæ, uti ait Portalis in disceptationibus hujus quæstionis (3) « *L'intérêt comme la crainte est le commencement de la sagesse.* »

(1) Confer. Malleville oper. laud. ad art. 916.

(2) Vid. observ. des trib. d'appel, sur le projet du code civil, tom. 3, pag. 146.

(3) Procès-verbaux du conseil-d'état, vol. 2, pag. 373.

SECTIO QUINTA.

PATRONORUM LEGITIMA.

§ I. De patronorum legitima sub hodierna legislatione nulla quæstio dari potest, cum mores illi barbari romanorum evanuerint, et humaniores successerint.

---

*Caput tertium.*

---

QUIBUS IN CASIBUS JUS LEGITIMÆ VINDICATIONIS  
AMITTITUR.

---

SECTIO PRIMA.

EXHÆREDATIO.

§. I. Gallorum legislatores *legibus 17 nivosi et 10 fructidoris anni 2* jamjam exhæredationem receptam jure romano et consuetudinario abrogaverant. Codex civilis hodiernus hac de re silentium tenet; ex quo perspicuè enitet, ultimæ legislationis principiis standum esse circa exhæredationem, quæ itaque penitus hodierna legislatione prohibita est. Rationes, cur novissima legislatio prævaluerit, ex ipsis disceptationibus in codicem hodiernum variæ hauriri possunt. Malleville duas nobis causas me-



morat (1). 1° Injustum fuisset patri concedere potestatem, quæ vim suam caperet ex factis, quæ semel probatis, liberos pœnis afflictivis submitterent. 2° Parentibus alia conceduntur media, quibus liberos ingratos majori parte honorum suorum privari possunt. Præcipuas causas non enumeravit auctor ille; audiatur Bigot-Prémeneu in explanatione tituli de donationibus et testamentis coram legislatoribus (*corps législatif*) (2): « un des motifs qui a fait supprimer le droit d'exhérédation, est, que l'application de la peine à l'enfant coupable, s'étendait à sa postérité innocente. Cependant cette postérité ne devait pas être moins chère au père équitable dans sa vengeance; elle n'en était pas moins une partie essentielle de la famille, et devait y trouver la même faveur et les mêmes droits. » Tandem ut alia ratio adjici hic potest morum offensio, quam producunt sæpius in curiis contentiones, quibus exhæredatio ortum dat; alii memoriam ascendentis acerrime inculpant, alii odium atque contumeliam contra universam familiam excitant, quum indigna personæ exhæredatæ facta in lucem proferant.

§ II. Quodammodo tamen exhæredatio officiosa, de qua locuti sumus in parte priori, capite 3 sectione 1 § 6, jure hodierno recepta fuit: at ob easdem ferè rationes, cur exhæredatio proprie dicta prohibita fuit, illa restringitur ad portionem disponibilem, legitimamque attingere non potest. Vid. *art. 1048 cod. civ.*

## SECTIO SECUNDA.

### INCAPACITAS.

§ I. Incapacitas ab intestato succedendi in codice hodierno agnita est. Tres illius incapacitatis causæ enumerantur in art. 725 *c. c.*, quarum tertia, nempe mors civilis, rectè intelligenda est; nam incapax non dicitur ille, qui condemnationi mortis ci-

(1) Analyse etc., au chap. 6 des donat. et testam.

(2) *Motifs* du Code civil, vol. 3, pag. 101, édit. 1803.

vilis subjacet, sed in quem jam mors civilis effectus suos producit, secundum *art. 25, 26 et seq. cod. civ.* Quarta causa, quæ extraneos attinet illos, in cujus patriâ successionem vindicare nequeunt Belgæ, adjicitur in *art. 726 c. c.* His causis insuper jungi potest illa, quæ nobis proponitur in *art. 756 c. c.* cujus dispositione liberis naturalibus jus succedendi aufertur.

§ II. An omnes eæ causæ, quæ ad successionem ab intestato spectant, etiam legitimam vindicandi jus adimant, quæstio illa non amplius movenda; et satis supra hoc punctum enucleavimus. Argumenta eadem jure hodierno, ac illo Romanorum, pro nostrâ militant sententiâ. Cæterum jamjam veritatem hujus opinionis probare conati sumus, ubi de jure liberorum naturalium actum fuit.

## SECTIO TERTIA.

### INDIGNITAS.

§ I. Quin inter incapacem et indignum eadem hodiè existant differentiæ, quas, dum de Jure Romano actum est, enucleavi, nullum dubium pati potest.

§ II. Causæ indignitatis hodierna legislatione per dispositionem *art. 727 c. c.* tres stabiliuntur, quarum ultima, quâ indignus dicitur major, qui interfectum fuisse defunctum cognoverit, neque judici indicavit, sub modificatione articuli sequentis accipienda est; nempe si hæres ascendens, aut descendens, aut eodem gradu affinis esset interfectoris, non tenetur delationi.

Cum variis interpretibus (1) sententiam amplector, pœnam indignitatis nullatenus ex aliis causis, quam ex illis, quas codex enumeravit, prorui posse. Illa extensio tamen, Jure Romano, maximâ cum prudentiâ et certis sub conditionibus locum obtinebat;

(1) Confer. Maleville, analyse etc. ad art. 727. Toullier, droit civil français, vol. 4 pag. 120 et nouveau répertoire de Merlin, mot *indignité*, n° 9.

at tum temporis facilius indignitas procedebat quam hodiè , nec iisdem firmis principiis condita erat legislatio pœnalis.

§ III. Quemadmodum causæ indignitatis a successione ab intestato repellant omnes , qui illis notati sunt , ita quoque indignitas legitimam vindicandi jus adimit. Hodiè illa quæstio minoris difficultatis videtur per dispositionem *art. 729 c. c.* , quæ vult , ut quidem fructus omnium rerum , quos e successione recepit , restituantur.

§ IV. Quæstio sese offerre potest , an , jure hodierno , indignitas per condonationem tolli possit? Si causa indignitatis talis sit , ut tantum pœnam introducat in solam ultionem personæ læsæ , quæ condonat pœnam , æquitas mihi suadere videtur , indignitatem tolli debere , cum et *odiosa restringenda sint*. Si verò crimen tale sit , ut etiam secundum codicem pœnalem in securitatem publicam indignitatem producat , tum condonatio privati pœnam remittere nequit. Quod condonationem tacitam seu reconciliationem attinet , eam sufficere credo , si probari possit , defuncti voluntatem ultimam fuisse , pœnam expressè condonandi. Condonatio ab impetrante perpetrata non tollit indignitatem , quia semper permanet injuria erga illum , cui succedendi aliter jus nobis fuit.

§ V. Quod descendentes attinet , illi criminis paterni participes non sunt. Codex civilis illud principium æquitati consentaneum servavit in *art. 730* ; noluit tamen , sicut et Jure Romano , ut liberi patrem indignum repræsentare possint , quod obstaret principio , vivus non repræsentatur; *art. 744 c. c.*

## SECTIO QUARTA.

### RENUNCIATIO.

§ I. Ut discernamus , utrum Jure hodierno validè legitimæ renunciari possit , nec ne , distinctio , quam Jure Romano stabilivimus , denuò admittenda venit : nempe an renunciatio facta sit antè , aut post mortem illius , de cujus successione agitur.

§ II. Sub novissimâ legislatione exolevit jus consuetudinarium circa pacta de non succedendo. Primitus *art. 11 leg. 17 nivosi an. II* illa pacta, quocumque etiam modo fierent, prohibuit; postea Codex civilis *art. 791* generatim stabilivit, juri sibi devolvendo ex successione viventis validè renunciari non posse. Non itaque valida est renunciatio legitimæ facta, cum et ea multo favorabilioris naturæ sit, ac successio ab intestato, et locum teneat alimentorum.

§ III. Si post mortem testatoris facta sit renunciatio, valida erit; morte enim hæredes jus acquirunt in defuncti successionem, cui juri, ut illis acquisitò, validè renunciare possunt.

§ IV. Requiritur, ut renunciatio expressa sit et non præsumpta: Legislatores illud stabiliverunt respectu successionis ab intestato *art. 784 c. c.* Plures autem dantur rationes, cur illa dispositio ad legitimam extendenda sit, cum partem constituat bonorum liberis a lege servatam, ne penitus denudarentur. Quæstio verò maximi momenti hodiè est, an hæres, qui repudiavit hæreditatem, repudiasse censeatur legitimam? Quæstio hæc pendet ab illâ, utrùm titulus hæredis requiratur, ut legitima vindicari possit, nec ne? De qua postea *cap. 4 § 1* ubi de differentiis inter hæreditatem et legitimam agendum est: ad hoc caput, solutionis negativæ rationes hujusce quæstionis brevitate causâ remittimus.

§ V. Renunciationem tacitam, in casibus ubi expressa valeret, non admittendam esse existimo, cum pluribus interpretibus (1).

Nemo facilè supponitur suum voluisse jactare, insuper contrariæ sententiæ obstat *art. jamjam allatus 784 c. c.* inde quanquam testamentum paternum tacité approbasset, non teneretur tamen ad dispositiones exequendas ultra legitimam.

§ VI. Filii ad successionem, cui pater eorum renunciavit, per repræsentationem concurrere nequeunt, uti patet ex *art. 787 c. c.*: at si proprio capite jus ad successionem haberent, ut hæredes admittendi forent.

---

(1) Auteurs des Pand. franç. tom. 8, pag. 328.  
Toullier, droit civil franç. n.º 5, pag. 185.

## SECTIO QUINTA.

## SUBSTITUTIO PUPILLARIS.

Substitutionem pupillarem jamjam exolevisse tempore consuetudinum nostrarum ostendi: jure novissimo etiam penitus abrogata fuit, primum per *art. 61 legis 17 nivosi, anni 2*, quam dispositionem retinuit codex civilis hodiernus in *art. 896*. Legislatores, qui mores temporis quam maximè considerare et perpendere debent, substitutionem pupillarem admittere non poterant, cum consequentia sit illius inhumanæ patriæ potestatis, quæ apud romanos vigeat, et nostris moribus exolevit. Principiis insuper rectæ legislationis illa substitutio adversari videtur; nam, ait Bigot-Prémeneu (1) « *D'une part il est certain, que ce n'est plus un simple acte de transport de propriété; c'est un ordre établi entre les personnes, que le donateur appelle pour se succéder les unes aux autres; c'est constituer pour les générations futures, l'état et l'organisation de la famille; c'est faire un acte de législation plutôt qu'exercer un droit privé.* » Tandem quantis controversiis atque iniquitatibus ortum non præbuit substitutio pupillaris? « *Il n'est pas possible de concevoir, ait prædictus auctor, que la famille entière doive être deshéritée pour enrichir l'un de ses membres, et que ce ne soit pas pour elle une cause de ruine et de dissension, plutôt qu'un moyen de prospérité.* »

Aliquæ quodammodo substitutionis species per codicem civilem permissæ sunt; uti videre est in *art. 898, 899* et præsertim in *art. 1048* et sequent. Disponendi illæ facultates potius nomine dispositionis officiosæ insignitæ, uti diximus, officiosis exhæredationibus, quæ apud romanos vigeant, æquiparari possunt. Quidquid autem de eorum naturâ sit, manifestum est, illas substitutionis species difficultatibus circa legitimam locum dare non posse, cum illis portionem legitimam attingere prohibitum sit.

(1) Procès-verbaux du conseil-d'état, tom. 2, pag. 535.

## SECTIO SEXTA.

## PRÆSCRIPTIO.

§ I. Hodiè cum ob easdem æquitatis et utilitatis publicæ rationes , ac jure romano , recepta sit præscriptio , nulla causa memorari potest , cur non procedat circa legitimæ petitionem , quemadmodum admittitur adversus cæteras actiones (1).

§ II. Codex civilis hodiernus nullum tempus specialiter determinavit circa legitimæ actionis præscriptionem ; exindè voluit , ut actio illa subesset dispositioni generali *art. 2262 c. c.* , quâ tempus 30 annorum requiritur ad præscriptionem validam , tam actionum realium , quam personalium.

§ III. Tempus , a quo præscriptio incipit , idem statui potest ac jure romano ; nempe , simul ac jus ad legitimæ vindicationem acquisitum est , itaque a momento mortis illius , de cujus successione legitima petenda est. Exceptiones , quas huic principio generali in priori parte stabilivimus , hodiè quoque omnes ferè admittuntur : sic prior , quæ minores attinet ex dispositione *art. 2252 c. c.* promanat. Secunda hodie non viget , cum introducta esset in consequentiam exoletæ paternæ potestatis. Principium , quo tertia exceptio fundatur , scilicet , *contra non valentem agere non currit præscriptio* , in codice civili admissum videtur , argumento *art. 2252 et 2257 c. c.* Quartam exceptionem , quanquam indè dispositiones expressæ non dantur , attamen existimo , eandem admittendam esse , ita ut hodiè minimè quoque currat præscriptio adversus legitimarium , quamdiu alimenta gratis sumeret è successione , de quâ legitima sua deducenda est ; legitimarius enim , in illo casu uti et frui suâ legitimâ censetur , et ita eam in possessione sua habere. Eandem manifestat sententiam Grenier (2).

(1) Confér. Toullier , droit civil , vol. 5 pag. 192 , et Grenier , des donations etc. , tom. 2 , p. 401.

(2) Des donations , tom. 2 , pag. 402.

## SECTIO SEPTIMA.

## DEFECTUS INVENTARII.

Quæstio, an defectus inventarii impedimentum constituat petitioni legitimæ, hodiè non tantæ controversiæ est ac Jure Romano. Omnes ferè interpretes (1) sententiam negativam meritò amplectuntur. Hodiè autem leges definiverunt omnes personas, quibus impositum est onus conficiendi inventarium, inter quas nusquam apparet legitimarius. Si vero favores, qui hæredi beneficiario tribuuntur, jure vindicare nequit, ideo tamen jus ei non adimitur, legitimam suam vindicandi, et reducendi tum inofficiosas donationes, tum legata, quæ portionem disponibilem superant. Cæterum timenda non est fraus legitimarii; nam donatariis et legatariis lex concedit jus ob-signationis, et facultatem conscribendi repertorium rerum omnium mobilium, ita, ut facillimè suis commodis prævidere possint.

## SECTIO OCTAVA,

## TESTAMENTUM MILITARE.

Hodie, quanquam quoad formas favores quidam conceduntur militibus, qui in expeditione testamentum condere volunt, illi nullatenus protrahi possunt ita, ut miles legitimæ portioni nocere possit. Exhæredatio etenim et paterna potestas apud nos nullomodò vigent, ut apud Romanos; priorem abrogatam esse jam vidimus, posterior autem secundum rectam rationem et æquitatem limitata est.

---

(1) Toullier, droit civil français, vol. 5 pag. 191. Grenier, des donations etc., vol. 2 pag. 321. Auteurs des pandect. franç., tom. 8, pag. 331.

---

*Caput quartum.*

---

DISPARITAS INTER JUS LEGITIMAM POSTULANDI ET  
SUCCESSIONEM AB INTESTATO.

§ I. Præcipua hujus capitis quæstio, quam Jure Romano plurimis controversiis inter interpretes locum dedisse vidimus, hodiè non minoris difficultatis est: nempe, utrum legitima partem constituat hæreditatis, et ita titulus hæredis requiratur; ut portio legitima vindicari possit, nec ne? Dissentiunt quam maximè interpretes: Grenier (1) et Toullier (2) affirmativam defendunt sententiam. Quanquam tam claris auctoribus vix refragari audeam, equidem illorum favere opinioni principiis juris et æquitatis mihi contrarium videtur; ideo negativam conabor stabilire sententiam.

Inprimis supervacuè hic denuò in memoriam vocarem insignes disparitates, quæ legitimam et successionem ab intestato distinguunt: ea, cum de Juris Romani principiis egimus, rectæ rationis et æquitatis argumenta, satis stabilivisse credimus, ut hic ad primam meæ sententiæ probationem possint vocari. Nunc sola juris hodierni principia inquiram, et illis sententiam meam firmare conabor. 1.º Cum legislatores in *art. 913, et 915 c. c.* legitimam descendantibus et ascendentibus concesserint, nullatenus titulum hæredis perpenderunt, at proximitatem gradûs parentelæ, et omnia vincula sanguinis et amoris, quæ personas illas sibimet invicem constringunt. Illis rationibus nititur totum legitimæ petitionis fundamentum; ita, ut, cum illæ adsint, ulterius nihil

---

(1) *Traité des donations*, vol. 2 pag. 319.

(2) *Droit civil français*, tome 5 pag. 126.



requiri videatur. Id evidentius perspicitur, si consideremus præcipuam causam, cur legitimâ orbentur collaterales, fuisse absentiam illorum vinculorum sanguinis atque amoris, quæ conjungunt descendentes et ascendentes. 2.º *Art. 924 c. c.* affirmat, aliquem legitimam suam vindicare posse, quanquam hæres existere recusasset, et ita respondet quæstioni quæ suprâ *Cap. 3 sect. 4 § 4* pertractanda erat, et ad hanc remisimus sectionem. Circa hanc quæstionem omne tollunt dubium verba hujusce articuli, qui ita concipitur; « *Si la donation entre vifs réductible a été faite à l'un des successibles, il pourra retenir, sur les biens donnés, la valeur de la portion, qui lui appartiendrait comme héritier, dans les biens non disponibles s'ils sont de la même nature.* » Qui contrariam defendunt sententiam, non solum opinionem expressis *art. 924 c. c.* verbis adversam sustinent, sed eis quoque vehementer obstat *art. 843 c. c.*, qui vult, ut universæ donationes hæredi factæ conferantur, et inter omnes hæredes dividantur. Itaque, si legitimarius, cui donatio facta est, hæres esse deberet, ut fruatur beneficio *art. 924 c. c.*, articulus ille non congrueret dispositioni *art. 843 c. c.* Cæterum, si aliter *art. 924* interpretemur, inveniemus, nihil novi ejus dispositionem complecti, cum jam *art. 859 c. c.* à collatione eximantur res donatæ, modo res ejusdem naturæ in successione reperiantur. 3.º Plurima hæredi incumbunt onera, quæ in *art. præsertim 843, 870, 873, 1017 c. c.* enumerantur; è contra legitimarius multis cumulatur beneficiis, e favorabili legitimæ naturâ promanantibus, et *art. 913, 914, 921, 925, 926 etc. c. c.* expositis. Quam absurdum autem foret, si legitimarius simul hæres existere deberet! Ut hæres, auctoris personam assumens, omnia jura et omnes obligationes defuncti in se suscipit; ut legitimarius è contra vinculo quasi constringit nimis liberalem animum defuncti, cujus voluntatem, si portionem debitam lædat, irritam facit; ita, quod unâ manu accipere posset, alterâ, ut debitor restituere sæpius teneretur. 4.º *Art. 921 c. c.* solis legitimariis concedit jus donationes inter vivos reducendi, illudque creditoribus defuncti re-

cusat. Si autem hæres esse deberet legitimarius, sæpius nullatenus ea dispositio ei prodesset, cum teneretur semper de omnibus successionis debitis.

Ultrà expressas legis dispositiones, mens legislatorum nostrâ sententiâ non minus militat. Malleville (1), cum *art. 921* codicis civilis agitatus esset, coram supremo concilio (*conseil-d'état*) in medium protulerat, legitimarium petere reductionem, non tanquam hæredem, sed uti *filium* testatoris: adjunxit huic *consul Cambacerès*: « *La qualité de légitimaire ne présuppose pas nécessairement la qualité d'héritier.* » Si quidam legislatores aliter sensissent, suam exponere opinionem non neglexissent, quam tamen frustrâ quærimus. In tribunatu eadem viguit opinio, quæ apertè professa fuit a Jaubert et Favard (2) in orationibus, quas habuerunt circa titulum de donat. et testamentis: « *Ce n'est pas comme héritiers, ait Favard, que les enfans demandent ce retranchement; cela est si vrai, que la portion donnée, qui entamait la réserve légale, est retranchée de la succession.* »

His argumentis opponuntur præsertim *art. 917, 918, 1004, 1006 et 1011 c. c.* In illis vero legislatores legitimarios nomine *héritiers* insignierunt; at indè aliud nihil sequitur, nisi quod ille, qui vindicare velit legitimam, hanc qualitatem habere debeat, ut hæres existere possit dum velit; non vero, ut hæres realiter sese constituat. Ad objectionem quam ex *art. 1004* deducunt, legitimarium pleno jure occupare hæreditatem, uti hæredem, responsio facilis est; dispositio illa introducta fuit unicè in favorem legitimariorum, *iniquum itaque foret, eam in eorum odium retorquere*; nec legislatores illam sententiam habuisse præsumi potest; nam, quod illi dispositionem hujusce *art. unicè* introduxerint in favorem legitimariorum, apparet ex *art. 724 c. c.* quo jamjam idem beneficium concesserant hæredibus, itaque si necessariè legitimarius hæres existeret, inutilis et supervacuus foret *art. 1004 c. c.*

(1) Confer. procès-verbaux du conseil-d'état sur la discuss. du code civil, tom. 2, pag. 436 et 437.

(2) Confer. motifs et rapports sur le code civil, vol. 3, pag. 188 et 213. Édit. 1803.

§ II. Hac quæstione enucleata superest enumerare cæteras disparitates legitimam inter et hæreditatem, quæ ferè eadem sunt, ac jure romano. 1.º Legitimarius ultra legitimam ad debita non tenetur, e contra hæres simplex tenetur ad debita etiam ultra vires. 2.º Hic facta omnia auctoris præstare non debet; hæres illa exequenda in se suscipit. 3.º Legitima nullo onere hodiè quoque gravari potest, aliud circa hæreditatem obtinet. 4.º Repudiatio tacita circa legitimam nulla existimatur, circa hæreditatem valida tandem. 5.º De legitima, uti de debito naturali disponere nequit, qui eam relinquere cogitur, cætera sua bona quidem abjicere potest.

---

### *Caput quintum.*

---

#### DE QUANTITATE LEGITIMÆ.

Non eadem est legitimæ portionis quantitas hodiè ac jure romano. Legislatores codicis civilis *art. 913* in favorem descendentium illam stabiliverunt ad medietatem omnium bonorum defuncti, si ille unum tantum infantem reliquerit, ad duas tertias, si duos, ad tres vero quartas, si plures liberos reliquerit. Rationes non parvi ponderis sunt, ob quas a jure romano recessit codex hodiernus. Quantitas legitimæ portionis, quemadmodum jure romano stabilita erat, sæpè maximis iniquitatibus (1) ortum præbebat, uti si quis quatuor relinqueret liberos, legitima eorum

---

(1) Ob easdem iniquitates jamjam jure consuetudinario in Gallia mutata erat legitimæ portionis quantitas. Conf. *Le Brun des success.* liv. 2, chap. 3, sect. 3, n.º 4 et 11.

erat duodecima successionis pars, cum si quinque essent, decimam partem haberent. Itaque legitima, quæ major esse debet quo pauciores sunt liberi, minor e contra erat: « *Ce renversement de l'ordre naturel*, ait Bigot-Prémeneu (2) *n'était justifié par aucun motif.* » Insuper humanitatis et æquitatis causâ legislatores majorem portionem legitimam liberis concesserunt.

Quod attinet ascendentium legitimam, duplici in puncto legislatores hodierni a jure romano recesserunt. Inprimis legitimam ascendentium illi liberorum æqualem esse noluerunt, quia felicitas atque vitæ sors parentum non æquè pendent a parte, quam accepturi sunt a successione liberorum, ac sors liberorum pendet a parte recipiendâ ex hæreditate parentum. A prima illa differentia promanat, ut ascendentes non eandem habeant portionem ac jure romano. Hodiè ipsis *art. 915 c. c.* servatur medietas bonorum, si unus pluresve dentur ascendentes in utrâque lineâ, quarta tantum pars, si solummodo in una lineâ ascendentes supersint, quod ita statuerunt legislatores, ratione habitâ ad portionem, quam ab intestato caperent.

§ II. Hic enucleandum venit, utrum nullæ dentur dispositiones jure hodierno, quibus portio legitima, *art. 913 et 915 c. c.* determinata, mutetur. Inprimis dispositio *art. 904 c. c.* causæ dubitandi ortum dedit. Restringit ille articulus facultatem disponendi respectu minorum, qui nondum decimum septimum suæ ætatis annum attigerunt, et ita portionem non abalienandam auget. Grenier (3) sustinet, illa dispositione augeri portionem legitimam. Ejus opinio mihi contraria videtur menti legislatoris et legis textui. *Art. 904 c. c.* enim nihil aliud vult, quam magis constringere libertatem disponendi, respectu habito imprudentiæ minoris, et nullatenus alias regulas introducere tendit, circa partitionem portionis non abalienandæ, cum jam stabilitæ essent in *art. 746 et 753 c. c.* Opinio mea corroboratur auctoritate Toullier (5).

(1) Vid. Procès-verbaux du conseil-d'état, sur la discuss., etc., tom. 2, pag. 309.

(2) Des donations, tom. 2, pag. 128.

(3) Droit civil français, tom. 5, pag. 142.

Quandam mutationem subiit legitima portio per dispositionem *art. 1094 c. c.*, quâ donator conjux, qui nullos habet liberos, sed ascendentes tantum, in favorem alterius conjugis disponere potest de bonis suis, ita, ut ascendentes superstites tantum in legitimam retineant usumfructum portionis, cujus *art. 915 c. c.* plena proprietas illis competit. Si autem donator ille liberos haberet, nullâ habitâ ratione ad numerum liberorum, semper alteri conjugi dare potest plenam proprietatem quartæ bonorum et usumfructum alterius quartæ. Itaque si tres existant liberi, non tres quartas in plena proprietate obtinebunt in legitimam suam, prouti vult *art. 913 c. c.*, sed tantum plenam proprietatem medietatis et nudam proprietatem unius quartæ.

§ III. Quum, consuetudinibus vigentibus, non eadem esset quantitas portionis legitimæ, ac illa, quæ jure hodierno stabilitur; quæstio est, quanta foret legitima, si dispositiones bonorum reducendæ sub prioribus legibus confectæ forent, disponens autem mortuus post promulgationem Codicis civilis? Distinguendum esse existimo inter donationes inter vivos et liberalitates per testamentum factas. In priori casu, si donatio irrevocabilis sit, tum simul ac perfecta est, per donatarium jus acquiritur in rebus donatis, indè standum est principio, æquitatis causâ in jure recepto: *nemini jus debitè acquisitum auferri potest*. Itaque talis donatio comprehendere potest omnia bona, quæ secundum leges, vigentes tempore ejus confectionis, abalienari poterant, et portio legitimariis debita in his donationibus secundum easdem leges determinanda est.

Quod donationes mortis causâ revocabiles attinet, æquiparantur testamentariis dispositionibus, quæ jus non transferunt, nisi tempore mortis disponentis; quo tempore tantum confirmantur; itaque secundum legitimam portionem stabilitam per Codicem civilem, sub cujus dominatione mortuus est donator, reduci debent, quemadmodum et testamentariæ dispositiones.

§ IV. Uti jure romano, hodiè quoque nepotes tantum admittuntur ad portionem legitimam jure repræsentationis, et non plus juris ha-

bere possunt, ac ille, quem repræsentant. Levasseur (1) existimat, illam regulam non procedere, si nepotes tantum supersint ex unico filio; at illum in errorem deductum esse, facile perspectu est. *Art. enim 914 c. c.* indistinctè dicit; «néanmoins ils ne sont comptés que pour l'enfant qu'ils représentent dans la succession du disposant.» Porro *art. 740 c. c.* in quibuslibet casibus repræsentationem admittit.

§ V. Sub legislatione Codicis civilis dubitaverunt aliquando interpretes, an legitima, ascendentibus adscripta *art. 915 c. c.*, portionem constituat partis, quam ab intestato haberent, aut portionem totius hæreditatis. Cum Levasseur (2) non assentior opinioni, eam efficere partem determinandam, ratione portionis ab intestato debitæ: nam in *art. 913 c. c.* apertè dicitur, *des biens du disposant*, cui articulo submittitur *art. 915 c. c.*, qui nihilominus tamen denuo repetit absque ulla distinctione, *la moitié des biens*, ita, ut omne dubium tollat. Insuper nostra opinio manifestè confirmatur per dispositionem *art. 922 c. c.*

§ VI. Leges certam portionem servandam esse liberis et ascendentibus statuerunt, noluerunt itaque, ut legitima quovis modo gravari possit, cum nihil facilius esset, quam legum dispositiones eludere, et legitimariis omnem prorsus abstollere utilitatem, quam illis servat lex. Exinde gravamen, conditio aut terminus aliquis frustra legitimæ imponeretur ab illis, qui hanc salvam relinquere coguntur; cum in illa portione illis omne jus adimatur. Principium hoc e jure romano promanat illudque jam variis judicum sententiis stabilitum vidimus (3).

§ VII. Ex eisdem profluit principiis, quod pater usufructu gravari nequeat legitimam portionem; id insuper manifestè erui potest ex *art. 917 c. c.*, qui vult, si dispositio, quæ legitimam portionem lædit, usumfructum aut redditum contineat, ut electio incumbat legitimariis, utrum hanc dispositionem exequi, an por-

(1) Traité de la portion disponible, n.º 39.

(2) Traité de la portion disponible, n.º 50.

(3) Arrêt de la cour de Nîmes, 13 juin 1805, et de la cour d'Aix, 15 décembre 1805, rapportés en la jurisprudence du Code civil, tom. 7 pag. 88.

tionem abalienandam relinquere et legitimam intactam servare velint. Ita hic articulus nonnullis controversiis finem posuit, et permisit testatori, ut usumfructum bonorum tantum relinqueret legitimariis, aut, si malint, eorum legitimam; sufficit, modo electio detur legitimariis.

Quæstio, an electio legitimariis concessa *art. 917 c. c.*, illis tantum incumbat, postquam probaverunt, donationem lædere legitimam, an vero antè, controvertitur inter interpretes. Lévasséur (1) primam defendit sententiam: Maleville (2); Grenier (3), Toullier (4) posteriorem tenent sententiam, quæ præferenda mihi videtur. Etenim onus imponeretur legitimæ, si impensis æstimationis submitterentur legitimarii. Legislatores dispositionem *art. 917 c. c.* tulerunt, ut finem ponerent plurimis controversiis (5); quantum autem a scopo suo divergerent, si contraria opinio prævaleret, cum æstimatio usûsfructûs sæpius maximè difficilis sit, quoniam a vitâ usufructuarii pendeat, et ita quamplurimis litibus ortum præbeat. Itaque si æstimationem antè optionem voluisset legislator, hac de re voluntatem suam manifestasset.

Huic optioni non omnes assentire debent legitimarii; legitima enim rem divisibilem constituit; atque quisque legitimarius electionem particularem habet, et aut usumfructum retinere, aut portionem abalienandam præstare potest.

---

(1) De la portion disponible, n° 85; pag. 80 et seqq.

(2) Ad art. 917 anal. raisonnée sur le Code civil.

(3) Des donat., tom. 2, pag. 388.

(4) Sur le droit civil, tom. 5, pag. 171.

(5) Confér. procès-verbaux, séance du 28 pluviôse an XI, pag. 577: « L'objet de ces articles, ait Tronchet, est de prévenir une difficulté, qui s'est souvent présentée. »

---

*Caput sextum.*

---

QUA RATIONE LEGITIMA DETERMINARI DEBEAT.

---

SECTIO PRIMA.

DE PERSONIS IN STATUENDA LEGITIMA PORTIONE COMPUTANDIS.

Dubium dari non potest, quin personæ, quæ ad successionem veniunt et sese hæredes denunciant illius, de cujus successione legitima petenda est, numerandæ sint, ut certa legitimæ portionis quantitas definiatur.

Quod ad exhæredatos spectat, hodiè nulla ampliùs controversia dari potest, cum exhæredatio moribus nostris penitus exoleverit.

Controversia vero datur inter interpretes juris hodierni, utrum liberi, qui validè legitimæ renunciaverunt, numerum facere possint in determinandâ legitimâ portione? Sententiam, quam de Jure Romano protulimus, hîc denuò admittendam esse existimo, ita, ut liberi, qui renunciaverunt legitimæ suæ aut titulo onerario, aut gratuito, semper computandi sint. Non solum autem computantur hæredes, sed etiam omnes illi, qui *succedere potuissent*, si defunctus ab intestato decessisset. Non enim a qualitate hæredis legitimam pendere supra stabilivimus, sed sufficere, ut aliquis legitimam capiat, si hæres existere potuerit. Porro in hac specie renuncians non solum hanc facultatem, hæreditatem adeundi, habnit, sed reverà hæres jam exstitit, cum renunciatio



tantum valida sit post mortem testatoris , quo tempore jamjam hæres esset, ex principio: *le mort saisit le vif*, arg. *art. 724. c. c.*

2.º *Art. 913 c. c.* nostram evidenter sustinet sententiam: ad legitimam autem vocat omnes liberos , qui tempore mortis testatoris existerent , nullam in it distinctionem , sive hæreditatem adeant , sive non : insuper æquitas suadet , ut computetur hæres renuncians ; tum etenim pars illius accrescit collegitimariis , uti *art. 913 c. c.* voluisse videtur , quum sine ullâ distinctione certam portionem abalienandam statuit , quæ augeri non potest in favorem extraneorum , si filius aliquis renunciat , sed potius per consequentiam *art. 786 c. c.* augere debet partem liberorum.

3.º Si dubium adhuc superesset , principium , quod potius pro liberis standum sit , quam pro extraneis , illud omne tolleret , nec non *art. 845 et 924 c. c.* qui concedunt facultatem renuncianti , ut è donatione ipsi factâ portionem suam legitimam retineat ; itaque si renuncians non computaretur , sæpius maximo damno afficerentur cæteri legitimarii.

An illi , qui capite minuti sunt , et illi , qui codice hodierno indigni succedendi sunt , numerandi sint in determinatione legitimæ portionis , minoris hodiè difficultatis nobis videtur : negativam sententiam amplecti non dubitamus , cum capite minutus habeatur naturaliter mortuus *art. 25 c. c.* Tamen si liberos reliquisset , illi jure repræsentationis legitimam caperent , et ita pro personâ patris computarentur *art. 744 c. c.* Quoad alios indignos , illi , quanquam defunctus ab intestato mortuus foret , etiam penitus ab ejus successione excluderentur , ita per consequentiam , ad determinandam legitimam portionem , numerandi non veniunt , nisi notæ infamiæ non amplius subjaciant , secundum illud , quod diximus *in cap. 3 sect. 3 § 4* hujus partis.

Quod autem attinet illos , quorum jus ad legitimæ petitionem præscriptione extinctum est , eadem , quæ de jure romano attulimus , principia , hodiè vigere existimamus.

Si legitimarius tempore mortis illius , è cujus successione legitima petenda est , absens foret , in consequentiam *art. 135, 136*

et 137 codicis, eum computari non debere in determinandâ legitimâ credo, nisi collegitimarii ejus manifestam facerent existentiam; aut descendentes haberentur, qui absentem repræsentare jure possunt. Si verò postea appareat absens, legitimam portionem, quam ipse, aut liberi non habuerunt, vindicare poterit ab illis, qui legitimam illam collegerunt.

## SECTIO SECUNDA.

### QUIBUSNAM IN BONIS LEGITIMA CAPIENDA SIT.

§ I. Principia juris hodierni, in hac sectione pertractanda, multam cum illis Juris Romani similitudinem habent; quâ de causâ ea tantum breviter exponere conabor. Imprimis legitimam deberi ex substantiâ hæreditariâ defuncti, id nobis satis indicat *art. 922 c. c.*, qui expressis verbis præscribit, annumeranda esse et fictive adunanda omnia, quæ successionis debita superant.

Recte intelligendus est *art. 922 c. c.*; si litteras ejus sequamur, oportet deducere debita e tota successionis substantiâ, quod penitus refragatur sensui *art. 921 c. c.*, qui vult, ut debita deducantur e bonis existentibus adhuc in successione, et e liberalitatibus per testamentum factis.

Non dubito, quin hæredi legatario, aut donatario, non licitum sit, pro portione debita legitimario partem assignare in bonis quibuscunque; nec eandem optionem tribuo legitimario, nisi in casu, ubi donatio ipsi facta foret, et bona ejusdem naturæ in successione superessent, *art. 924 c. c.* Alioquin ad judicem pertinebit, æquo judicio partem legitimario pro legitimæ valore adscribere. Nec hodiè a testatore legitima portio relinqui potest in bonis quibuscunque. Huic dispositioni stare non deberet legitimarius, sed ex totâ substantiâ hæreditariâ legitima portio ei competit. Cæterum *art. 924 c. c.* non obligavit legitimarium, ut donationi sibi factæ

staret , aut ex ea legitimam retineret , sed optionem reliquit legitimario his verbis , *pourra retenir*.

§ II. Inter debita successionis numerari nequeunt liberalitates a testatore factæ ; itaque reducenda veniunt , et in fictivâ adunatione computanda omnia bona , quæ tempore mortis possidebat ; hinc legata et omnia illa , de quibus per testamentum disposuit testator : *art. 922. c. c.*

Si autem quis legatum alicui condidisset in restitutionem furti , aut in mercedem bonè meritorum , principia juris romani servanda esse existimo ( vide supra parte priori . )

§ III. Quemadmodum jure romano , æquè hodiè reducendæ et fictivè coacervandæ veniant omnes alienationes , quas defunctus ante mortem suam titulo lucrativo fecit ; ita omnes donationes inter vivos , absque ullâ distinctione , sive modicæ sint , sive non , sive in favorem extranei factæ , sive in illum infantis computandæ sunt ; *art. 922* id generaliter statuit , et ita controversias sub jure romano existentes tollit.

Nec eximendæ sunt ex illo principio donationes quæ in dotem , aut aliam causam factæ forent per contractus antenuptiales ad *art. 1082 , 1084 , 1093*. Tales donationes in adunatione fictiva computantur , *art. 1081* , nec non reductioni subjacent , *art. 1090*.

§ IV. Liberalitates , quæ sub specie contractûs onerosi factæ forent , cæteris donationibus generatim æquiparantur ; ideò fictivè congeruntur , et reductioni submituntur , quemadmodum et alia bona donata.

At si talis donatio confecta foret a conjuge in favorem alterius conjugis ; tum ad *art. 1099 c. c.* penitus nulla esset . Si vero in donatione quadam fraus lateret , tum secundum regulas , quæ singulis contractuum speciebus , aut quæ generatim conventionibus præscribuntur , donationis validitas dijudicanda foret .

Hic enucleanda venit dispositio *art. 918* , quæ nonnullis controversiis ortum præbuit . In illa legislator statuit , ut impotentur in partem liberam res alienatæ successuro in directâ lineâ , sive titulo viaticæ pensionis , pecuniæ alienatæ , sive retenti ususfructus , et ut excedens conferatur . *Lex 17 nivosi anni 2*

*in art. 26* tales abalienationes restrinxerat, quia sæpulis sub specie contractûs onerosi liberalitatem complectuntur. Codex civilis *in art. 918* easdem fere dispositiones servavit, duplici tamen cum differentiâ, quarum prima distinctio, quæ stabilitur inter hæredes lineæ rectæ et lineæ collateralis; secunda, ut hujusce generis abalienationes imputentur in portionem abalienandam, et superfluum in successionem conferatur. Quibus dispositionibus adjunxit, ut illæ abalienationes imputationi et collationi solummodo subjacerent, ad petitionem illorum, qui, dum succedere possent, illas ratas habere noluerunt, nec umquam ad petitionem cujusvis collateralis.

Verba istius articuli quibusdam disceptationibus locum dederunt, et primum oritur quæstio, utrum alienationes ad *art. 918 c. c.* factæ, pro toto earum valore adunationi fictivè faciendæ, ut portio legitima statuatur, annumerandæ sint, an solummodo, in quantum exsuperent portionem abalienandam, cum *art.* dicat, « *et l'excédant, s'il y en a, sera rapporté à la masse* »? V. G. Si quis tres reliquerit filios, quorum uni abalienationem fecit, sub titulo retenti usûsfructûs, valoris 4000, et insuper inveniantur in successione 8000. Adunatio fictiva comprehendet 9000, si non tota abalienatio computatur; constabit autem 12,000 si computatur. Absque dubio mihi videtur, quod universum pretium abalienationis computandum sit. Etenim lex tales abalienationes donationibus penitus æquiparat; atqui ad *art. 922 c. c.* omnes donationes pro toto valore in adunationem veniunt, nec ulla datur ratio, cur ab illa regula eximantur abalienationes secundum *art. 918 c. c.* factæ.

Secunda quæstio est, an, quidquid filius ultra reditus persolverit, deduci possit a valore plenæ proprietatis, quem imputare requirit lex, *La valeur en pleine propriété*? Dissidentibus auctoribus (1) existimo, valorem illum diminui non posse, sive fructibus, sive impensis solutis. Inprimis verba articuli; *la valeur en pleine pro-*

---

(1) Maleville, anal. sur le Code civil, ad art. 918.  
Toullier, droit civil franç. vol. 5, pag. 160.  
Grenier, des donat., etc., tom. 2, pag. 394.

*priété* expressa sunt, nec deductionem patiuntur: ulterius, uti jamjam diximus, tota abalienatio gratuita consideratur per præsumptionem legalem, quæ nullam probationem requirit *art. 1352 c. c.*

Tertia quæstio datur, an sufficiat, ut alienatio valida maneat, nec ulli imputationi submittatur, si succedendi (*successibles*) tempore confectæ illius abalienationis consensum suum, dederint, non autem illi, qui postea hæredes existunt? Affirmativam sententiam rectè præferre existimo, quum *art. 105* dicat *successibles*, eorumque consensum tantum requirat, nullatenus illum hæredum.

§ V. Ante legem nostram fundamentalem publicatio bonorum admissa erat *art. 37 Cod. pœn.* Prorsus tum aliter sese principia habebant, ac jure romano, circa legitimam portionem liberis debitam. *Art. 38 Cod. pœn.* principia illa nobis præscribit, et vult, ut e bonis, quæ publicationis pœnæ subjacent, generatim descendentes damnati in legitimam portionem capiant mediam partem portionis, illis per *art. 913 c. c.* adscriptæ.

Quæstio esse poterat, an donationes, quas antè condemnationem suam fecisset pater, computandæ sint, ut statuatur legitima, et an etiam reducendæ sint: v. gr. si pater, qui unicum habet filium, 4000 donasset, postea pœnæ confiscationis subjacerent sua bona, quorum valor 8000? Quum confiscatio introducta sit, ut quodammodo status publicus indemnus præstetur, pœna illa ut merum debitum consideranda est; ideoque existimo, in tantum solummodo reduci debere donationem, in quantum, si bona fisco addicta non adessent, filius legitimam suam haberet: ita in hypothesisi filio competeret ad dispositionem *art. 38 Cod. pœn.* pars portionis, ipsi per *art. 913 c. c.* debitæ, seu 3000, haberetque status publicus 5000, quæ ut debita consideranda. Itaque adunatio fictiva tantum constabit ex 4000 data et 3000, undè titulo legitimæ portionis habere deberet 3500, *art. 913 c. c.*: ita ut reducerentur e donatione 500.

Hæ quæstiones hodiè in regno nostro nullius momenti sunt, cum bonorum publicatio *art. 171 legis fundamentalis* abrogata sit.

§ VI. Si post dissolutionem matrimonii, unus e conjugibus ad

secundas convolaret nuptias, nullæ ei amplius pœnæ irrogantur, uti jure romano obveniebat. Quæcunque enim bona e facultatibus prioris conjugis percepit, dummodo liberorum legitimam non lædunt, illa retinendi sibi jus est.

Nec hodiè bona, quæ ad parentem e successione filii prioris tori pervenerunt, *art. 748 c. c.*, ad mortem illius parentis, magis prosunt liberis ex priori, ac illis ex posteriori matrimonio natis, sed omnes æqualiter in illis jus succedendi et legitimam capiendi habent. *Art. 748 c. c.* enim parenti jure successionis illa bona addicit, et in his parens jus acquisitum habet, inde bona illa suæ hæreditatis partem faciunt.

Si matrimonium dissolvatur per divortium, in pœnam parentum statuitur *art. 305 c. c.*, liberos pleno jure acquirere semissem bonorum utriusque conjugis. Si autem unus e conjugibus ita se-junctis, secundas ineat nuptias, liberosque ex illo matrimonio habeat, quæstio datur, an illa medietas in adunatione faciendâ computanda sit, ut portio legitima omnium liberorum statuatur? Dissidentibus auctoribus (1) affirmativa sententia mihi præ-placet; iniquum enim foret, ut tantus esset favor liberis prioris matrimonii per *art. 305* concessus, qui læderet portionem legitimam liberorum, secundum leges civiles æquè legitimè procreatorum. Cæ-terum nulla datur ratio, cur illa iniquitas admittatur. Liberis enim non imputatur crimen paternum, nec quædam discrepantia inter liberos legitimos ejusdem parentis merito constitui potest, præ-sertim in hoc casu, ubi liberi posterioris tori etiam numerantur, ut eo minor sit pars, quam parens secundo suo conjugii abalie-nare potest per *art. 1098 c. c.*

Nec obstat nostræ opinioni, uti auctor quidam (2) asserit, *art. 1496*; nam ex illo nihil aliud sequitur, quam ut consensus liberorum prioris tori requiratur, ut liberis secundi matrimonii illa distrac-tione uti possint: id ita statutum fuit, quia lex ratione existentiae et utilitatis liberorum prioris tori adeo restrinxit libertatem dis-

(1) Confér. Proudhon, cours du droit franç., tom. 1 pag. 317 édit. 1810. Paris.

(2) Proudhon, cours du droit franç., tom. 1 pag. 317 édit. 1810. Paris.

ponendi parentis, qui ad secundas convolat nuptias; at indè noluit lex, ut si simul actionem detractionis moveant, liberi quidam ejusdem parentis majori favore cumularentur ac cæteri. Tandem hanc quoque fuisse legislatorum codicis hodierni sententiam, apertè manifestat Bigot-Préameneu in explanatione hujus tituli (1): « On doit même y comprendre (dans la masse des biens) les biens, dont la propriété aurait été transmise aux enfans dans le cas du divorce; il ne peut jamais en résulter pour eux un avantage tel que les autres enfans soient privés de la réserve légale. » (2).

§ VII. Uti Jure Romano, et easdem ab causis, dubium dari nequit etiam jure hodierno, quin bis in eisdem bonis legitima capi possit. (Vid. supra in parte prior.)

§ VIII. Quædam bona sub titulo gratuito abalienata in adunatione computanda non sunt, uti illa 1.º quæ reductioni et imputationi non subjacent, v. g. quæ in dispositione *art. 852 c. c.* continentur. 2.º Bona, quæ perierunt casu fortuito et absque minima culpa donatarii *art. 855.*

Ex dispositione ejusdem *art. 855 c. c.* erui possumus, bona donata, si donatarius non solvendo factus esset, aut si bona illa ejus culpa perierint, tamen computanda esse (3). Legitimarii enim, ob inopiam donatarii, culpandi non sunt, nec ideo minor esse debet eorum legitima portio. Id nullatenus permittunt æquitas nec juris principia, quæ in *art. 922 c. c.* volunt, ut in æstimando valore rei donatæ inspiciatur ejus status, ratione habitæ temporis, quo donatio confecta fuit, et præscribit, ut omnes donationes computentur, absque ulla distinctione.

(1) Confer. motifs du Code civil, tom. 3, pag. 87 édit. 1803.

(2) Confer. Pothier, contrat de mariage, tom. 2 n° 567 et seqq. ubi latius hanc quæstionem enucleat édit. in-8.º 1771.

(3) Dissentiunt auctores Confer. Malleville, anal. sur le Code civil, ad art. 930. Pothier, des donat. entre vifs, pag. 201 art. 3 § 5. édit 1777. Grenier, sur les donations, tom. 2 pag. 378. Toullier, droit civil franç., vol. 5, pag. 175.

## SECTIO TERTIA.

## QUOMODO REDUCTIO INSTITUENDA SIT?

§ I. Postquam diximus, quænam bona computanda sint, ut rectè legitima portio determinetur, superest, ut modum reductionis faciendæ definiamus. Universa fictivè facienda adunatio triplicem bonorum speciem complecti vidimus. Comprehendit 1.º bona, quæ nullam passa sunt abalienationem. 2.º Illa, quæ per ultimam defuncti voluntatem ab hæreditate detrahuntur. 3.º Quæ titulo gratuito durante defuncti vitâ exhausta fuerunt.

In primis observandum est principium, stare omnes dispositiones, seu inter vivos, seu testamentarias, quamdiu, extinctis debitis, legitima salva in priori bonorum specie capi possit: si autem læsa foret, reducendæ veniunt omnes dispositiones testatoris circa bona, quæ, ut statuatur legitima, computanda sunt. *Art. 920.*

At eæ dispositiones, quemadmodum diversæ sunt naturæ et conditionis, non eodem modo omnes reducuntur. Codex noster civilis ordinem ferè eundem ac jus romanum secutus est, voluitque, ut prius penitus haurirentur dispositiones testamentariæ omnes, ratione habitâ ad valorem cujusque, *art. 926 c. c.*, nisi testator expressâ lege decreverit, ut tale legatum præ aliis intactum servetur; tum hujusmodi legatum non, nisi aliorum prætiis legitimæ non sufficientibus, deductioni subjacet *art. 927 c. c.*

Olim prius reducendæ erant donationes ex asse factæ (1), quod etiam de Jure Romano obtinebat. Hodiè è contra omnibus indistinctè liberalitatibus per testamentum factis onus reductionis imponitur *art. 926*; et 1009 excipiatur tamen casus allati *art. 927.*

§ II. Si secunda illa bonorum species non sufficeret, ut legitimam a habeatur, ad donationes inter vivos progrediendum erit,

---

(1) Pothier, des donat. et des testam., pag. 206 edit. in-8.º 1777



hoc observato ordine, ut harum ultimò confecta primum exhauriatur, et sic de cæteris a novissimis ad remotiores usque. Id expresse continet *art. 923 c. c.* cujus dispositione legislatores magnæ controversiæ, Jure Romano vigenti, finem imposuerunt.

Quæstio esse potest, an donationes bonorum, quæ in futurum adquisiturus est donator, secundum *art. 1093 c. c.*, aut quæ reliquit tempore mortis ejus *art. 1082 c. c.*, reductioni non submittantur ante cæteras donationes, et simul ac liberalitates testamentariæ? Negativa sententia amplectanda est. Donatarius enim, a tempore confectæ donationis jus quoddam irrevocabile acquisivit, et solummodò effectus donationis dilationem recepit *art. 1083 c. c.*

Si autem plures donationes uno eodemque contractu conscriptæ forent, tum omnes reducendæ sunt, habitâ ratione ad valorem cujusque. Aliter tamen foret, si diversis temporibus confirmatæ fuissent, ad *art. 932 c. c.*; tum principia *art. 923 c. c.* servanda manerent.

Si novissima donatio a reductione per donatorem expressè exempta foret, nulla habenda est ratio huic clausulæ, sed principium *art. 923 c. c.* stabilitum servatur, aliter enim nihil foret facilius, quam legem eludere.

§ III. Si principium *art. 923 c. c.* servari non potest, ex eo, quod novissimi donatarii penitus res eversæ sint, tum ad posteriores donationes procedendum esse, affirmare non dubito. Lex enim noluit, ut unquam legitima portio diminuatur, sed ut semper fixa maneat; ideo statuit, ut legitimæ portionis causâ reducantur donationes omnes, quæ adeo favorabilis naturæ dici nequeunt, ac legitima. Cæterum principium *art. 923* in odium legitimariorum produci iniquum foret, cum in eorum utilitatem introductum sit.

## SECTIO QUARTA.

## DE TEMPORE INSPICIENDO, UT LEGITIMA STATUATUR.

§ I. Legislatores maximâ cum religione servaverunt principium, *neminem viventi succedere posse*: ex illo per *art. 930* stabiliverunt, legitimæ petitionis jus tantum deferri cum ipsâ successione, et in tantum quidem, quod noluerint, ut liberi, quemadmodum ante codicis civilis promulgationem pluribus in locis obtinebat, dotem a parentibus jure vindicare possent *art. 204*. Hinc, ut æstimatio, fiat honorum, quæ reductioni subjacent, et fictivæ adunationi annumeranda sunt, inspiciendum venit tempus mortis illius, de cujus successione agitur, ut valor rectè statuatur: tamen spernendus non est status, quo reperiebantur illa bona tempore confectæ donationis *art. 922 c. c.*

Quod attinet augmenta aut detrimenta, quæ rebus donatis a tempore confectæ donationis ad illud mortis testatoris pervenerunt, observandæ sunt dispositiones *art. 861, 862, 863 et 864 c. c.* Proderunt itaque donatario impensæ necessariæ, quas fecit bonis, ipsi per donationem traditis, nec non illæ impensæ, quæ ad rei valorem augendum conferunt; nocebunt è contrâ illi, quæcunque detrimenta suâ culpâ rem affecerunt.

§ II. Hodiè controversia, quæ olim inter jurisconsultos circa fructus portionis legitimæ obtinebat, evanuit per dispositionem *art. 928 c. c.* Illâ dispositione tenetur donatarius ad restitutionem omnium fructuum, quos e portione non abalienandâ a tempore mortis donatoris percepit; modo intrâ annum reductionis actio instituitur, alioquin tantum a die vindicationis debentur fructus.

Hæc exceptio, quæ hauritur ex *art. 628 c. c.*, et qua intra annum actio movenda est, non applicari posset, si legitimarius minor esset: ut mera enim præscriptio hæc exceptio consideranda

est; atqui cum *art. 2252 c. c.* non præscribatur contra minores, indè, quanquam per annum non instituat actionem ad reductionem minor legitimarius, tamen eum fructus semper vindicare posse existimo. Sed qui sui juris factus est, et ignoravit defuncti mortem, non eodem gauderet beneficio, quum lex non distinguat, et principium, *contra non valentem agere non currit præscriptio*, non admittatur, nisi ubi de impedimento juris quæstio est.

Non obstaret dispositioni *art. 928, c. c.*, quanquam actio reductionis causâ tantum instituta foret adversus donatarium, non adversus tertium possessorem; ille æque de fructuum restitutione teneri, contra sententiam Grenier (1), existimo. Non enim tertio possessori bona fides magis prodesse potest, ac donatario ipso; lex nullatenus voluit, ut legitima portio donationibus læderetur, ideoque dedit actionem in reductionem contra donatarium, cujus in potestate non fuit, eam actionem a sese amovere, aut plus juris in alterum transferre, quam ipse habebat.

Circa hæredes institutos, quoniam illi ignorare nequeunt, uti donarii, an reductioni subiaceat, quidquid e successione defuncti accipiunt, ideoque, si ob litem aut aliam causam quodam tempore legitimam portionem detinerent, non dubito, quin obligentur ad restitutionem fructuum, quanquam actio non intentata foret intra annum.

§ III. Quæcunque spectant ad augmenta aut detrimenta, quæ afficere possunt hæreditatem, e quâ legitima portio petenda est, illa jamjam supra, ubi de jure romano actum est, latius enucleavimus. Hodiè eadem obtinere principia et easdem distinctiones ineundas esse credo; ideoque brevitatis causâ hanc quæstionem remittimus ad priorem partem hujus dissertatiunculæ *cap. 6 sect. 4 § 5.*

---

(1) *Traité des donations, etc.*, vol. 2, pag. 380.

## SECTIO QUINTA.

## DE REBUS IMPUTANDIS IN PORTIONEM LEGITIMAM.

§ I. Hodiè imputationis principia ab illis , quæ jure romano existentia exposuimus , parum differunt , nisi illis in punctis , ubi agitur de fideicommissis aut substitutionibus , quæ nostris moribus exoleverunt. Inprimis circa axioma , quod , cum de jure romano egerimus , obtinere vidimus , huic æquè hodiè standum esse credo , ita ut generatim dicere possimus , *omnia , quæ collationi non subjacent , etiam ab imputatione exempta sunt* , et secundo , *non omnia imputantur in legitimam portionem , quæ conferri debent*. Regulæ illæ , exceptionibus tamen non immunes , defluunt ex disparitatibus , quæ intercedunt legitimam inter et successionem ab intestato , quarum ad posteriorem , quæ non ejusdem favorabilis naturæ est ac legitima , collatio refertur.

§ II. Ut rectè discernamus , quænam in portionem legitimam imputanda veniant , servari oportet regula ; *quæcunque ex substantia patrimonii defuncti defluunt , imputanda sunt*. Hæc regulâ facilè solvere possumus omne dubium , quod in uno alterove casu circa imputationem sese offere potest. Hinc imputentur 1.º quæ titulo institutionis ad legitimarium pervenerunt. 2.º Legata et omnes liberalitates per testamentum factæ : attamen si testator illas liberalitates ab imputatione exemisset , atque , ut extra partem illæ legitimario pertineant voluisset , tum solummodo in tantum imputarentur , in quantum , exhaustis jamjam cæteris legatis , portio abalienanda adhuc superaretur *art. 843, 844 et art. 919 c. c.*

Quidquid , de posito sub conditione , in donatione aut legato diximus , dum jus romanum explanavimus , hodiè quoque observandum esse credo : distinctio eadem ineunda erit , utrum ex substantia successionis defuncti lucrum profluat , an aliundè ; v. gr. si pater meus fundum tertio daret sub conditione , ut mihi 100 præ-

tet, donatio illa ad portionem disponibilem reduceretur, si eam superat; ast ego, dum legitimam capio, centum in eam imputare non debeo, nec cæteris liberis querendi locus erit, quum ego nihil habeam, quod legitimam eorum lædat, aut ex patrimonio defuncti directè profluat.

§ III. Quemadmodum dos reducenda est, et in fictivam adunationem computanda, ita quoque, ut cæteræ donationes, imputationi subjacet, dummodo ex substantia successionis, de qua legitima petitur, hausta sit, et non e liberalitate tertii cujusdam profluat. Sumptus et munera, quæ nuptiarum causâ fiunt, generatim a collatione eximuntur *art. 852 c. c.*, itaque per debitam consequentiam imputationi subjacent; at si munera illa minuerent nimis successionem defuncti, damnumque inferrent legitimæ portioni cæterorum liberorum, tum ut donationes existimantur, et imputationi subjacent.

§ IV *Art. 852 c. c.* alimenta et educationis sumptus a collatione eximit, itaque, secundum principium supra traditum, ab imputatione quoque liberantur. Tamen si filius aliquis diu apud parentes maneret, majoresque redditus honorum haberet, tum ne nimis favorabilis sit ejus conditio, ratione illius cæterorum liberorum, ei certa summa pro sumptibus alimentorum imputari potest.

Quænam sumptibus educationis comprehendantur, de hoc silent legislatores codicis hodierni; at, quemadmodum omnia media, quæ ad finem ducunt, legis dispositione comprehendi censeantur, ita quoque sub sumptibus educationis intelliguntur, quæcunque necessaria sunt ad educationem debitam, ratione habitâ parentum conditionis. Hujus generis dici possunt 1.º sumptus studiorum nec non illi artium culturæ. 2.º Quæcunque pater erogavit ut filius gradum doctoris in una aut altera scientia obtinuerit. 3.º Valor librorum, qui ad studia perficienda necessarii sunt, modo valor ille facultates parentum non lædat.

§ V. Quidquid pater erogavit, ut munus, sive hæreditarium, sive non hæreditarium filius obtineret, collationi submissum est dispositione *art. 851 c. c.* Non dubito, quin eodem modo imputationi ob-

noxium sit, cum veram, constituat liberalitatem defuncti erga filium, aut potius mutuum, quod semper ex defuncti patrimonio profluat.

§ VI. Quid juris, si pater filium ab hostibus redemerit, aut erogaverit quidquam, ut eum carcere liberaret?

Nulla principia in codice hoc de casu referuntur. Æquitatis et humanitatis causâ eisdem principiis, quæ in priori parte (*cap. 6 sect. 5 § 6*) enucleavimus, suffragamur.

Alia quæstio sese hodiè offert, an filius imputare teneatur in suam legitimam illud, quod pater, ut eum militiâ liberaret, impenderit? Ut huic quæstioni rectè responderi possit, variæ circumstantiæ concomitantes considerandæ sunt. Haud dubiè, si pater absque filii consilio et interventione impensas illas fecisset, ipse solus de facto suo teneretur, nec quidquam in legitimam filii imputari posset. Aliter foret, si ipse filius intervenisset, et pater pecuniam erogasset consilio, ut quodam tempore id a filii portione deduceretur.

§ VII. Quodcunque legitimarius directè aut indirectè a defuncto acceperit, sive titulo lucrativo, sive titulo pecuniæ suppeditatæ (*avances*), illud omne in portionem legitimam imputandum est, quia ex substantia patrimonii defuncti promanat, et argumento *art. 843 c. c.* Ex eodem principio, quæcunque legitimarius titulo mutui acceperit, imputare tenetur: ideo si illo titulo accepisset sumptus educationis suæ, validè obligari posset, ut illos in suam legitimam imputaret.

Si defunctus quidquam rectè solvisset, ut debitis legitimarii satisfaceret, aut fundum pro legitimario emisset, illud omne conferre tenetur legitimarius secundum *art. 851 et 843 c. c.* quorum dispositio extendenda est ad imputationem in legitimam, quia pater pecuniam illam erogasse creditur titulo repræsentationis, nullatenus titulo donationis.

§ VIII. Hodiè, cum paterna potestas non amplius eadem sit, ac jure romano, simul ac filius debitam ætatem obtinuerit ad ritè commercia peragenda, non tenetur imputare in suam legitimam lucra, quæ solâ suâ ope et industriâ fecit; imo codex civilis statuit in *art. 853 et 854 c. c.*, quorum dispositiones, secundum

meam opinionem, circa imputationem obtinere possunt, ut collationi non subiaceat, quod lucratus est hæres ex conventionibus cum defuncto initis, modo nullas liberalitates indirectè contineant talia pæcta.

Si vero fraus in talibus conventionibus lateret, tum imputationi submitterentur, uti donationes sub titulo oneroso factæ.

§ IX. Hodiè circa donationes simplices nullum amplius dubium oriri potest; imputandæ sunt æquè ac legata. Id defluit ex eo, quod profluant ex substantiâ ipsius hæreditatis defuncti, at si donator ab imputatione expressè exemisset, tum solummodò imputandæ forent, in quantum, exhaustis cæteris omnibus liberalitatibus, legitima salva adhuc non foret, quod expressè statuit *art. 919 c. c.*

§ X. Jus accrescendi hodiè quoque locum obtinere potest, uti per indignitatem succedendi, per renunciationem, et præsertim in legatis secundum dispositiones *art. 1044 et 1045 c. c.* Ut cognoscamus, an, quidquid jure illo acquiratur, imputandum sit, distinctionem ineundam esse credo. Hodiè principium servatur, *le mort saisit le vif*, ita non amplius indigemus aditione hæreditatis, sed statim post mortem auctoris hæredes ipso jure successionem invadunt *art. 724 c. c.* Ille tamen, qui renunciaret nunquam hæres extitisse præsumitur, et pars ejus successionem accrescit. Itaque quotiescumque causæ, quæ juri accrescendi locum tradunt, uti illæ indignitatis, existant ante mortem testatoris, quidquid ad legitimos hæredes ex illo jure provenerit, ex substantiâ successionis devolutum dicitur, et imputationi subest. At si causæ illæ tantum supervenirent post mortem testatoris, aut ex legato conjunctim cohæredibus facto extra partem, tum illud lucrum non ex successione, sed per interventionem tertii caperent, ideoque id imputationi non subjacere existimo.

§ XI. Quæstiones, quas in hoc paragrapho ejusdem capituli et sectionis secundum Jus Romanum explanavi, in parte priori hujus dissertatiunculæ, hodiè nullius momenti sunt, quum fideicommissa et substitutiones pupillares abrogata sint.

§ XII. Ne minimum quidem dubium hodiè haberi potest, an illud, quod legitimarius a defuncto sub titulo usûsfructûs detinet, imputandum sit in legitimam suam portionem? Legislator *art. 917 c. c.* noluit, ut tales liberalitates reductioni submittantur, quia sæpius indè maximæ difficultates circa æstimationem oriuntur; at reliquit optionem omnibus legitimariis, ut exequantur dispositionem paternam, aut derelinquant portionem abalienandam plenam integramque. Vid. *suprà parte 2 cap. 5 §. 7.*

Quod attinet abalienationes, successuro in lineâ rectâ factas, sub titulo viaticæ pensionis, pecuniæ aleatæ, seu retenti usûsfructûs *art. 918 c. c.*, punctum illud penitus explanavimus *suprà cap. 6 sect. 2 § 4.*

§ XIII. Controversia jure romano in priore parte eodem paragrafo enucleata, hodiè non amplius locum obtinet ob easdem rationes, quas in § II diximus.

§ XIV. Si nepotes ad successionem avi veniant per repræsentationem, ut jure romano tenentur imputare in suam legitimam portionem, quidquid pater eorum a defuncto accepit, sive titulo lucrativo, sive repræsentatæ pecuniæ (*avances*), modo illud non extra partem donatum fuerit. Id decidit *art. 848 c. c.*, qui spectat ad collationes, sed non minus imputationi applicari potest, cum illud omne descendat ex patrimonio avi, et avus illud dare præsumatur animo, ut aliquando imputetur in debitum legitimæ portionis, quia nemo præsumi potest magis diligere unum filium ac alterum.

Quod debita paterna attinet, illa imputare non debent nepotes in suam legitimam, si successionem paternam repudiaverint. Ad argumenta, quæ, dum de jure romano egi, attuli *cap 6 sect. 5 § 14*, adjici potest, quod *art. 848 c. c.* submittat tantum collationi, quidquid avus patri donavit, *ce qui avait été donné.* Magna autem datur differentia donationem inter et debita, quam discrepantiam observat Codex civilis in *art. 829.* Itaque hic applicari potest principium, *inclusio unius est exclusio alterius. 2.* Qui repudiat hæreditatem alicujus, numquam hæres existit, et



generatim nullas in se obligationes suscipere cogitur *art. 785 c. c.*; dispositioni hujus articuli exceptionem introducit *art. 848 c. c.*, quæ exceptio restringenda ad casum, quem complectitur. 3.º Tandem *art. 744 c. c.* admittit repræsentationem illius, cujus successionem agnoscere recusavimus, at indè deduci nequit, quod semper submittatur repræsentans obligationibus omnibus illius, quem repræsentat, sed tum tantum, si hæres ejus existat. Id ita decisum fuit sententia supremæ curiæ Parisiensis 5 frimaire, anni 7, et 8 februarii 1810 (1)

§ XV. Ascendens, quemadmodum repræsentatio in ejus favorem non admittitur, *art. 741*, merito quoque nunquam tenetur imputare in legitimam suam, quam habet in successione patris, quidquid filii ejus ab avo acceperint; expressa hac de re est dispositio *art. 847*.

Aliud dicendum fore existimo, si pater intercessisset, ita, ut respectu patris donatio nepoti facta foret; tum enim pater potius donatarius existimatur, quam nepos.

§ XVI. Nonnullæ res, quæ conceduntur aliquibus è legitimariis, per specialem legis dispositionem quoque ab imputatione eximuntur. Inprimis nulla amplius quaestio dari potest circa quartam Falcidiam et Trebellianicam, cum quartæ illæ in codice hodierno non admittæ fuerint inutilitatis causâ. In expositione tituli donationum ait Bigot-Préameneu: « *Les causes qui ont fait introduire la quarte Falcidie, n'existent plus. La loi, en déclarant, que les legs particuliers soient tous acquittés par les héritiers institués ou les légataires universels, ne laissera plus de doute sur l'intention, qu'auront eu les testateurs de donner la préférence aux legs particuliers: s'il arrive que des testateurs ignorant assez l'état de leur fortune pour l'épuiser en legs particuliers, lors même qu'ils institueraient un héritier, ou qu'ils nommeraient un légataire universel, la loi ne doit point être faite pour des cas aussi extraordinaires.* » (2)

(1) Jurisprudence de la cour de cass. etc., par Sirey, tom. 1, part. 1, pag. 182, et tom. 10 part. 1 pag. 223.

(2) Motifs du Code civil, édit. 1803, vol. 3, pag. 100. Confér. Malville, anal. raisonnée sur le Code civil, ad art. 926.

Circa quartam Divi Pii hodiè non amplius quæstio est, quum consequentia esset exoletæ patriæ potestatis.

Hodiè nonnullæ quoque res dantur, quæ, quum per specialem legis dispositionem aliquibus e legitimariis, ob unam alteramve causam, concedantur, ab imputatione in portionem legitimam exemptæ sunt. Inter illas computantur 1.º ususfructus, qui dispositione *art. 754 c. c.* parentibus conceditur. 2.º Quidquid ascendentes reversionis jure detrahunt ex successione liberorum aut nepotum secundum *art. 747 c. c.* Inutilis enim foret illa legis dispositio, si bona illa legitimam portionem minuerent.

3.º Vidimus supra, donationes ad *art. 1098 c. c.* secundo conjugii factas, absque distinctione in adunationem fictive faciendam computandas esse, ut statuatur legitima; quæstio nunc est, an, si donationes tales immodicæ sint, liberi, quidquid ex illis detraxerint, imputare teneantur in suam legitimam? Negare non dubitamus; lex enim id in favorem liberorum specialiter constituit, nullatenus voluit, ut extranei indè quamdam utilitatem caperent, quum in favorem successionis minime donationes illæ imminuantur. 4.º Easdem ob rationes bona, quæ ob divortium parentum liberis conceduntur *art. 305 c. c.* non imputari debent in legitimam portionem liberorum, ita, ut hæc legis dispositio non prodesse possit extraneis donatariis, aut legatariis.

Tandem maxime annotandum venit dispositio *art. 857 c. c.*, quæ vult, ut collatio tantum locum obtineat inter cohæredes, non autem ab hærede respectu legatarii. Circa imputationem in legitimam majori cum ratione eadem servanda sunt principia, quia legitima portio favorabilioris naturæ habetur, ac successio ab intestato.

§ XVII Quænam res imputandæ veniunt in legitimam, nunc cernimus; superest quæstio, quid juris sit, si donatio facta sit legitimario, qui, ut favorem sibi per donationem factam conservet, hæreditatem ab intestato repudiat? Inprimis stabilitum manet, legitimarium retinere posse res sibi donatas ad portionem usque abalienandam; *art. 845 c. c.* id expressè permittit. Insuper,

legitimam suam portionem ex eisdem bonis vindicare potest *art. 926 c. c.* Quidquid huic sententiæ opponi potest, id jamjam conati sumus destruere, dum stabilivimus, legitimarium non indigere titulo hæredis, ut legitimam capiat. Insuper nostra sententia adhuc corroborari videtur *art. 843 et 857 c. c.*, qui collationem tantum admittunt inter cohæredes. Nec validè nobis objicitur inæqualitas inter liberos, quia unus plus habet quam alter. Quid! licitum foret, ut extranei portionem abalienandam capiant, non autem liberi testatoris? id iniquitatem maximam efficeret, et ideo *art. 919 c. c.* statuit, filium posse habere et legitimam suam et bona abalienanda.

Si vero legitimarius, cui donatio facta est, hæreditatem adit, tum et portionem abalienandam, et suam legitimam ex donatione sibi factâ retinere potest, si adhuc bona ejusdem naturæ in successione reperiantur, *art. 924 c. c.* At, si donatio reducenda constituta foret in fundo aut re, quæ facile dividi nequit, tum principia observanda sunt § 2 *art. 866 c. c.* Si illo modo procedamus, antynomia, quam quidam (1) animadvertere credunt inter *art. 866 et 924 c. c.* disparet, et remanet forte redundantia in *art. 924*, cui verba, *s'ils sont de la même nature*, adjecta fuerunt, ut congrueret cum *art. 830 et 859*.

---

(1) Uti Levasseur, *portion disponible*, n° 162 et 163.

---

*Caput septimum.*

---

**DE MODO RELINQUENDI LEGITIMAM ET DE ACTIONIBUS  
AD EAM OBTINENDAM.**

§ I. Hodiernâ legislatione , cum pars quædam successionis , quæ alienari nequit , legitimam portionem efficiat , difficultas nulla dari potest , circa titulum , quo pars illa relinquenda sit , cum nullomodo in alium transferri possit , et legitimarius nunquam cogatur , ut stet donationi sibi factæ. Nec conditionem aut onus recipere potest legitima portio , uti jamjam perlustravi suprâ *cap. 5 § 6* , ubi sententias attuli , quæ id ita stabiliverunt , et quarum sententiarum præcipua argumenta e jure romano hausta sunt.

§ II. Hodiè ut legitimarius legitimam suam obtineat , actio in reductionem ei conceditur. Hæc actio competit legitimariis , eorum hæredibus , et illis , in quos delata jamjam legitima , jus suum transtulerunt. Generatim recusatur donatoriis , legatariis et creditoribus defuncti ; posteriores tamen , reductionem rectè petere possunt donationum , quæ credito suo posteriores sunt *art. 1167 c. c.* Nec non liberalitatum per testamenta factarum , quia illæ non intelliguntur , nisi deducto ære alieno *art. 924 c. c.*

Frustra creditores legitimarii alicujus hanc actionem vindicarent , siquidem ea actio personæ ipsius legitimarii inhæreat , et ad dispositionem *art. 1166 c. c.* creditores exercere nequeant jura debitoris , quæ ejus personæ inhærent.

§ III. Ut legitima portio semper certa eademque maneat , lex

non solum adversus donatarios actionem in reductionem concessit, at etiam adversus quoscunque possessores illarum rerum, quæ reductioni subjacent, modo idem ordo servetur, tertios possessores conveniendi, ac ille, qui servandus est contra donatarios secundum dispositionem *art. 930 c. c.* Noluit lex, ut unquam aliquis plus juris in alterum transferre possit, quam ipse habet. Principium illud tam strictè observandum venit, ut tertii possessores contra legitimarios præscriptione uti nequeant, nisi a tempore, quo præscriptio in favorem donatarii ipsius procedat, scilicet a morte testatoris.

At antequam legitimarii tertios possessores aggredi possunt, requiritur eodem *art. 930*, ut ante omnia excutiant bona donatarii. Nonnulli existimant, tantum excutienda esse bona, quæ e donatione ipsa profluxerunt; at legis exprimendi modus nimis generalis illam distinctionem rejicere videtur, et velle, ut non solum in bonis donationis, sed etiam in propriis donatoris bonis, excussio facienda sit; ita, ut nec mobilia nec immobilia ab illa excussione eximantur.

§ IV. Legitima portio purè et absque uno onere ad legitimarios pervenire debet; ideo in *art. 929 c. c.* legislatores statuunt, ut omnia bona, quæ legitimario per actionem in reductionem addicerentur, immunia sint omnibus oneribus hypothecæ vel pignoris. Indè, si postea, legitimario bonæ fidei illa bona, quæ in legitimam portionem tradita fuerunt, evincerentur, æquitas suadet, ut legitimarius denuo agere possit adversus donatarium, qui causam dedit evictioni, aut adversus legatarios vel novissimum donatarium, si evictio e facto ipsius testatoris profluxerit.

TANTUM.

...the ... of ...  
...the ... of ...  
...the ... of ...  
...the ... of ...  
...the ... of ...  
...the ... of ...

...the ... of ...  
...the ... of ...  
...the ... of ...  
...the ... of ...  
...the ... of ...  
...the ... of ...

...the ... of ...  
...the ... of ...  
...the ... of ...  
...the ... of ...  
...the ... of ...  
...the ... of ...

...the ... of ...  
...the ... of ...  
...the ... of ...  
...the ... of ...  
...the ... of ...  
...the ... of ...

...the ... of ...  
...the ... of ...  
...the ... of ...  
...the ... of ...  
...the ... of ...  
...the ... of ...

JOHAN. ALEX. TIMMERMANS,

BRUXELLENSIS,

RESPONSIO

AD

QUÆSTIONEM, AB ORDINE DISCIPLINARUM MATHEMATI-  
CARUM ET PHYSICARUM

ANNO M. D. CCCXVIII PROPOSITAM :

*Generalis theoria compositionis ac resolutionis  
virium motuumque, e legitimis principiis de-  
ducta, succincte exponatur, et idoneis exemplis  
illustratur.*

QUÆ PRÆMIUM REPORTAVIT A. D. IV OCTOBRIS M. DCCC, XIX.

PHYSICUM  
JOHAN. ALEX. TIMMERMANS,

BRUXELLENSIS,

RESPONSIO

AD

QUESTIONEM, AB ORDINE DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM  
ET PHYSICARUM

ANNO M. D. CCCXXVIII PROPOSITAM :

Generalis theoria compositionis ac resolutionis  
virium motuumque, e legitimis principis de-  
ducta, succincte exponitur, et idoneis exemplis  
illustratur.

QUE PRÆMIUM REPERTIT A. D. IV OCTOBRE M. DCCLXXIX



---

## PROOEMIUM.

**C**um me non lateret, Viri Clarissimi, qua benevolentia et indulgentia prima studiorum juventutis specimina exciperetis, hanc meam dissertationem tanquam responsum quæstioni ab ordine Scientiarum Mathematicarum et Physicarum de virium et motuum compositione propositæ præbendi periculum feci. Quam quidem dissertationem in duas partes, priorem, de virium compositione ac resolutione, alteram, de motuum compositione, dividi. Prior quidem pars ipsa in quinque capita dividitur quorum primum de virium compositione in eâdem directione agentium, secundum de virium concurrentium compositione et resolutione tractat; virium parallelogrammi novam demonstrationem adstruere, et vis mediæ intensitatem alio modo determinare tentavi; formulamque generalem quâ determinatur vis media virium pyramidis cujuscumque hedrarum lateribus expressarum quæsi. Caput tertium theoriam compositionis virium parallelarum continet, earumque vis mediæ disquisitionis demonstrationem tentavi; quartum ad virium paria spectat; illorum pro-

prietatibus et compositione expositis, ad peculiare proprietates virium polygonii lateribus expressarum seu cum illis ratione quâdam connexarum, transii; quâ ex proprietate facillimam deduxi methodum polygonii superficiem determinandi. Caput quintum, virium quoque versùs in spatio agentium compositionem includit; determinatisque vi et virium pari tali systemati æquipollentibus, adæquatoque ad cyphram virium paris momento, æquationem conditionalem ut systema vi unicæ æquipolleat, obtinui. Secunda hujus dissertationis pars quæ ad motûs compositionem spectat, uno capite absolvitur. Quod si hæc pertractatio mea, Viri Clarissimi, expectationi vestræ non omninò responderit, mihi tamen benevolentiam non denegatis, qui, si vestram meruero comprobationem, maximum mihi laboris præmium retulisse videbor, rogo.

---

---

## DE VIRIUM COMPOSITIONE AC RESOLUTIONE.

---

### PARS PRIOR.

---

**E**TSI forsân ex rerum Universitate ne punctum quidem absolutâ quiete gaudet, attamen corpus in quietis statu versari dicitur, quum respectu aliorum corporum quibuscum illius status comparatur, quiescit; sic punctum quodlibet globi nostri terraquei quiescere dicitur, quum respectu cæterorum terræ punctorum immotum perstat. Ex analogiâ dicitur corpus quoddam moveri, quum non eundem respectu corporum ad quæ refertur, situm servat; qui uterque quietis et motûs status si attentè considerentur, clarè perspicitur corpus a priori statu ad alterum seu ab altero ad priorem transire non posse nisi peculiari quâdam causâ impulsam; huic generatim causæ nomen *vis* aut *potentiæ* tribuitur, hocque nomine insignitur quidquid statum corporis respectu quietis aut motûs mutare valet; *directio vis* dicitur ea linea juxtâ quam punctum applicationis vi impellente transfertur, quæ linea evidenter est recta; nulla enim existit causa cur potius in unam quam in alteram partem deflectat. (1) Hoc corpus nunc in statu motûs consideretur; transitus ex hoc statu ad quietis statum necessario ope novæ vis producitur; si enim corpori nova applicetur vis æqualis directèque vi primitivæ contraria, corpus neutri vi cedere poterit, hoc est, corpus ad statum quietis reductum erit; hæc verò quietis species etsi evidenter eadem sit, effectuum respectu, quam quies de quâ jam suprâ actum est, ab illâ tamen potest distingui; in primo enim casu corpus ab omni vi liberum

---

(1) In staticâ, corpora tanquam gravitate destituta considerantur, sub eâ tamen lege ut gravitas tanquam vis corpori applicita, in sensum veniat.

supponebatur, dum in secundo, corpus a duabus viribus æqualibus, et directè oppositis quæ illud in statum æquilibrii adducunt, tractum esse suppositum fuit; status itaque æquilibrii et quietis etsi summo jure iidem, quamdam tamen differentiam offerunt, quæ in reliquis non considerabitur; corpora ergò æquilibrantia, tanquam quiete priori sensu acceptâ, gaudentia considerabuntur.

Quærat nunc quantitas ad virium intensitatem exprimendam, apta. Ex æquilibrii consideratione, primò nascitur idea duarum virium æqualium; ut exprimat vis duplex, triplex, etc., aliùs cujusdam vis, duæ, tres, etc. vires inter se et huic æquales et in eadem directione agentes, considerabuntur; et si lineâ quâdam vis constantis intensitas exprimat, vires rectis exprimi poterunt, ratioque inter rectas exprimet rationem inter vires: sic vires æstimari poterunt; sique hæc lineâ in vis directione concipiatur, hæc lineâ simul et vis intensitatem et directionem denotabit. E congressu plurium virium eidem puncto applicitarum nascitur motus compositus; sique hæc vires non æquilibrant, punctum applicationis evidenter lineam rectam sequetur, cujus directio è virium directionibus et intensitatibus pendet; evidenterque in eâ directione nova applicari posset vis ejusdem effectus capax cujus simul aliæ vires; hæc vis dicitur *vis media* seu *composita* systematis virium, aliæque vires dicuntur *componentes*.

Ea operatio quâ quæritur vis unica quæ plurimis viribus æquipolleat eodemque effectu sit capax, dicitur *virium compositio*; operatio verò contraria, ea scilicet, quâ, datâ vi unicâ, ei substituendæ sunt plurimæ vires eodem effectu in puncto applicationis virium, capaces, dicitur *virium resolutio*.

#### AXIOMATA.

*Fig. 1.*  
*TAB. I.* 1<sup>um</sup> Si vis quædam P in puncto A corporis B agit, hæc vis perspicitur potest ut applicita puncto cuicumque C directionis suæ, dum hoc punctum immutabiliter omnibus directionis punctis sit fixum; nam novum applicationis punctum moveri non potest quin omnia directionis puncta et quidem corpus moveantur.

2<sup>um</sup> Punctum quodecumque non plures unâ vias simul sequi potest.

5<sup>um</sup> Duæ vires æquales sibi quæ directè oppositæ sese invicem destrunt; nulla enim est causa cur punctum applicationis virium potius uni vi quam alteri cedat. Vicissimque duæ vires sese destruentes sibi æquales et directè sint oppositæ, necesse est.

4<sup>um</sup> Si duæ vires P et Q simul agunt in puncto A, his duabus viribus substitui potest unica quædam vis R æquipollens, quæ necessario per punctum A et in angulo duarum virium transire debet. Fig. 2.  
TAB. I.

5<sup>um</sup> Hæc tandem vis media in plano duarum virium contineri debet; nulla enim est ratio cur potius in unam partem plani quam in alteram deflectat.

6<sup>um</sup> Duarum virium æqualium angulum includentium vis media hunc angulum bissecare debet.

7<sup>um</sup> Si duæ vires P et Q sunt inæquales, vis media eò propius ad vim P accedet, quò major erit respectu vis Q.

## CAPUT I.

*De Compositione ac Resolutione virium in eadè directione et in directione oppositâ agentium.*

### THEOREMA I.

*Si duæ vires quæcumque P et Q in puncto A secundum eandem directionem agunt, hoc punctum eandem experietur actionem acsi secundum hanc directionem unâ quâdam vi summæ duarum virium P et Q æquali tractum fuisset.*

DEMONST. Nam per axioma 1<sup>um</sup>, vis Q applicita puncto A, Fig. 3.  
TAB. I. spectari potest ut applicita puncto P; quo facto, potentia puncto A applicita, evidenter  $P + Q$  æquet.

Hinc, si numerus quicumque virium eodem puncto applicitarum secundum eandem directionem agunt, his viribus substitui potest unica vis earum summæ æqualis, eodem puncto applicita, et secundum eandem directionem agens.

## THEOREMA II.

*Si duæ vires P et Q punctum A secundum directiones oppositas trahunt, hoc punctum eandem experietur actionem ac si secundum vis fortioris directionem potentia quædam æqualis differentie virium P et Q applicita esset.*

Fig. 4.  
TAB. I.

DEMONST. Sit enim P ambarum virium P et Q fortior; hæc vis evidenter in duabus viribus P' et Q' quarum una Q', ex. gr. æqualis sit vi Q, resolvi potest. At per axioma 3<sup>m</sup>, duæ vires Q' et Q' sese invicem destruunt. Corpus ergo A solâ vi P' differentie duarum virium P et Q æquali secundum vis P directionem movebitur.

## COROLLARIUM.

Si ergo in directionibus directè oppositis numerus quicumque virium puncto cuidam applicitus esset, hoc punctum in directionem virium fortium vi æquali differentie summarum virium in directionibus oppositis agentium, moveretur.

## CAPUT II.

*De Compositione ac Resolutione virium concurrentium.*

## THEOREMA I.

*Vis media duarum virium concurrentium, sequi debet directionem diagonalis parallelogrammi cujus latera has duas vires exprimunt.*

1<sup>o</sup> Consideremus primò vires orthogonales, probemusque, quod si hæc proprietate gaudent vires P et Q, P et Q' eundem angulum includentes, eâdem proprietate vires P et Q + Q' gaudebunt. Nam viribus P et Q substituatur vis media R', punctoque E resolvatur hæc vis media in duabus aliis P'' = P, Q'' = Q ipsisque parallelis, quod evidenter possibile est; consideretur

Fig. 5.  
TAB. I.

vis  $P'' = P$  tanquam puncto  $C$  applicita, componanturque vires  $P''$  et  $Q'$ ; harum virium vis media  $R''$ ; per hypothesein, sequi debet directionem diagonalis  $CF$  parallelogrammi  $ECDF$ ; vis media  $R$  virium  $R''$  et  $Q''$  evidenter erit vis media virium  $P$  et  $Q + Q'$ ; hæc verò vis media per puncta  $F$  et  $A$  transeat, necesse est; sequetur ergò directionem diagonalis parallelogrammi in viribus  $P$  et  $Q + Q'$  formati.

2<sup>o</sup> Probandum est nunc, quod, si vis media duarum virium  $P$  et  $Q$  Fig. 5 (bis)  
TAB. I. rectis  $AB$  et  $AC$  expressarum sequitur directionem diagonalis parallelogrammi  $ABDC$ , quod fit quum duæ vires sunt æquales, idem locum habebit pro viribus  $P$  et  $\frac{Q}{2}$ ; puncto enim  $A$  et in directione oppositâ vi  $Q$  applicetur vis  $Q'' = \frac{Q}{2}$ ; vis media virium  $P$ ,  $Q$  et  $Q''$  evidenter erit vis media virium  $P$  et  $\frac{Q}{2}$ ; puncto  $D$  resolvatur vis media  $R'$  duarum virium  $P$  et  $Q$  in duabus aliis viribus  $P' = P$ ,  $Q' = Q$ , ipsisque parallelis; consideretur vis  $P'$  tanquam puncto  $C$  applicita, componanturque vires  $Q''$  et  $P'$ ; sit  $R''$  harum virium vis media; vis media  $R$  virium  $R''$  et  $Q'$  similiter erit vis media virium  $P$ ,  $Q$  et  $Q''$ ; quapropter per puncta  $A$  et  $F$  transeat, necesse est; vis  $R$  erit ergò vis media virium  $P$  et  $\frac{Q}{2}$ ; cum verò  $R''$  similiter sit vis media virium  $P' = P$  et  $Q'' = \frac{Q}{2}$ , indè prodit positiones virium  $R$  et  $R''$  respectu virium  $P$  et  $P'$  easdem esse debere; et cum vires  $R$  et  $R''$  sese in rectâ  $BD$  secare debent, indè prodit  $BF = FD$ ; quapropter  $AF$  diagonalis est parallelogrammi in viribus  $P$  et  $\frac{Q}{2}$ , rectis  $AB$  et  $AE = \frac{AC}{2}$  expressis, constructi; cum verò vires  $P$  et  $Q$  sunt quæcumque, primò considerari possent vires  $P$  et  $P$ ; et pro viribus  $P$  et  $\frac{P}{2}$  hæc proprietas probaretur; tum vires  $P$  et  $\frac{P}{2}$  considerans, pro viribus  $P$  et  $\frac{P}{4}$  probaretur, sic per vices pro viribus  $P$  et  $\frac{P}{8}$ ,  $P$  et  $\frac{P}{16}$ ,  $P$  et  $\frac{P}{32}$ , etc. probaretur.



Fig. 5 (ter)  
TAB. I.

3<sup>o</sup> Consideremus nunc duas vires quascumque P et Q orthogonales; ponatur harum virium P et Q rectis AB et AC expressarum vim mediam esse R'; evidens est inter puncta E et D, quaecumque sit horum punctorum propinquitas, punctum G inveniri posse ita positum ut recta AH = BG novam vim denotet æqualem  $n. P + \frac{P}{2}$  seu  $n. P + \frac{P}{4}$ , seu, etc. observando fractionem  $\frac{P}{2}$ , seu  $\frac{P}{4}$ , etc. minimam fieri posse (littera n numerum quemcumque exprimit qui e rectæ AH longitudine pendet); tum litterâ Q' vim rectæ AH expressam designans, duarum virium P et Q' vis media R'' sequetur directionem diagonalis parallelogrammi ABGH, uti duabus præcedentibus demonstrationibus 1<sup>o</sup> et 2<sup>o</sup> constat; habetur verò Q > Q', quum AC > AH; dum ang. GAC < EAC; quod impossibile est per axioma 7<sup>um</sup>; similiter probaretur vim mediam virium P et Q non posse esse ex. gr. R''; per punctum D ergo transeat, necesse est; hoc est virium P et Q vim mediam sequi debere directionem diagonalis AD parallelogrammi ABDC.

Fig. 5 (quater)  
TAB. I.

4<sup>o</sup> Hucusque vires tantum orthogonales consideravimus; ponamus nunc vires P et Q rectis AB et AC expressas, angulum quemcumque formare; puncto C in rectæ AB demittatur cathetus CD; punctoque C in hujus catheti directione applicentur duæ vires Q' et Q'' inter se æquales ipsique Q, et directè oppositæ; hæ novæ vires nullo modo systema mutabunt; vis media R' virium æqualium Q et Q' evidenter angulum ECF bissecabit; agantur DG = Q' = AC et DH = P = AB; cum vires Q'' et P sint orthogonales, illarum vis mediæ R'' directio erit DK, rectanguli GDHK diagonalis; ut virium R'' et R' determinetur vis media, producantur harum virium directiones donec puncto L concurrant; harum virium vis media per puncta L et A transeat necesse est, cum simul sit vis media virium P et Q puncto A concurrentium; R erit ergo virium P et Q vis media; quæramus nunc hujus vis positionem; idcirco litteris  $\alpha$  et  $\beta$  designans angulos DAL et CAL, e triangulo ADL deducitur

$$AL : DL = \sin HDK : \sin \alpha$$



( 9 )

triangulus verò DKH præbet

$$\sin \text{HDK} = \frac{\text{HK}}{\text{DK}} = \frac{\text{Q}}{\text{DK}};$$

quapropter

$$\text{AL} : \text{DL} = \frac{\text{Q}}{\text{DK}} : \sin \alpha.$$

E consideratione trianguli ALC prodit

$$\text{CL} : \text{AL} = \sin \beta : \sin \frac{\text{ACD}}{2};$$

hæ duæ proportiones inter se ductæ, præbent

$$\text{CL} : \text{DL} = \frac{\text{Q}}{\text{DK}} \sin \beta : \sin \frac{\text{ACD}}{2} \sin \alpha; \dots\dots (A)$$

E triangulo autem DLC deducitur

$$\text{CL} : \text{DL} = \sin \text{GDK} : \sin \frac{\text{ACD}}{2};$$

habetur vero

$$\sin \text{GDK} = \frac{\text{GK}}{\text{DK}} = \frac{\text{P}}{\text{DK}};$$

undè

$$\text{CL} : \text{DL} = \frac{\text{P}}{\text{DK}} : \sin \frac{\text{ACD}}{2}; \dots\dots\dots (B)$$

Proportiones (A) et (B) comparans, prodit

$$\frac{\text{Q}}{\text{DK}} \sin \beta : \sin \frac{\text{ACD}}{2} \sin \alpha = \frac{\text{P}}{\text{DK}} : \sin \frac{\text{ACD}}{2};$$

unde

$$\text{P} : \text{Q} = \sin \beta : \sin \alpha$$

seu

$$\text{AB} : \text{AC} = \sin \beta : \sin \alpha;$$

Vis mediæ R sequetur ergò directionem diagonalis AM parallelogrammi ABMC.

THEOREMA II.

*Duarum virium P et Q vis mediæ intensitas directioque exprimuntur diagonali parallelogrammi cujus latera has duas vires exprimunt.*

Formatur parallelogrammus ABDC in rectis AB et AC vires P et Q exprimentibus; AD erit vis mediæ R directio: vi P rectâ AB expressæ jungatur nova vis quæcumque rectâ BE expressa; harum-

Fig. 6.  
TAB. I.

que trium virium vis mediæ  $R'$  directio erit  $AF$  quæ diagonalis est parallelogrammi  $AEFC$ ; hæc verò vis media  $R'$  similiter esse debet vis media virium  $R$  et  $BE = AG$ ; quapropter hæc vis media  $R'$  sequi debet directionem diagonalis parallelogrammi in viribus  $R$  et  $AG$  formati; jungantur verò puncta  $G$  et  $F$ ; recta  $GF$  evidenter parallela erit vis  $R$  directioni; quumque  $FD$  similiter sit rectæ  $AG$  parallela, indè prodit rectam  $AD$  vis  $R$  intensitatem exprimere; intensitas ergò duarum virium  $P$  et  $Q$  diagonali parallelogrammi in viribus  $P$  et  $Q$  formati, exprimitur.

## COROLLARIUM.

*Fig. 7.*  
*TAB. I.* Ut duæ vires concurrentes in unam vim æquipollentem componi possunt, ita vis quædam unica in duabus viribus secundum datas lineas directis resolvi potest, dummodo rectorum visque directio sint in eodem plano, et concurrant. Nam hæc vis lineam  $AB$  sit expressa, et hæ rectæ sint  $AC$  et  $AD$ ; puncto  $B$  ducantur  $BC$  et  $BD$  parallele rectis  $AD$  et  $AC$ ; vis expressa rectam  $AB$ , erit vis media virium rectis  $AC$  et  $AD$  expressarum; hæ ergò vires vi unicæ substitui possunt.

## PROBLEMA I.

*Determinare vim mediam numeri cujuscumque virium in eodem puncto concurrentium.*

*Fig. 8.*  
*TAB. I.* Sint  $P, P', P'', P''', P^{IV}$  hæ vires concurrentes, partibus,  $AB, AC, AE, AH$  et  $AG$  ipsarum directionum expressæ; absolvatur parallelogrammus  $ABDC$ , viribusque  $P$  et  $P'$  substituatur vis media  $Q = AD$ ; virium  $Q$  et  $P''$  determinetur vis media  $Q'$  quæ similiter erit diagonalis  $AF$  parallelogrammi  $AEFD$ ; hæc vis  $AF$  evidenter erit vis media trium virium  $P, P', P''$ ; simili modo determinetur vis media  $Q'' = AK$  virium  $P'''$  et  $P^{IV}$ , tandemque absolvatur parallelogrammus  $AKLF$ ; diagonalis  $AL$  vis media erit virium rectis  $AK$  et  $AF$  expressarum; vires autem  $AK$  et  $AF$  vires mediæ sunt virium  $P''', P^{IV}$  et  $P, P', P'', AL$  ergò erit vis media totius systematis.

## COROLLARIUM.

Ut igitur iis datis viribus æquilibrium constitutur, determi-

nanda est vis media harum virium, et in directione oppositâ applicanda est vis æqualis huic vi mediæ.

ADNOTATIO. Hæc vis media facilius determinari potest. Sint enim P, P', P'', P''', etc. : hæc vires puncto A concurrentes, partibusque AB, AC, AD, AE, etc. expressæ. Puncto B ducatur BF = AC ipsique parallela. Puncto F ducatur FG æqualis et parallelaque rectæ AD. Similiter puncto G ducatur GH æqualis et parallela rectæ AE; etc. et sic porrò donec ultima consideretur vis; junctisque punctis A et H vis rectâ AH expressâ totius systematis erit vis media. Nam vis expressa rectâ AF evidenter est vis media virium P et P', quum BFCA sit parallelogrammus; similiter vis expressa rectâ AG est vis media virium rectis AF et AD expressarum, quum FG = AD ipsique est parallela. Quapropter FADG est parallelogrammus; eandem ob causam AH est vis media virium AE et AG, evidenterque totius systematis.

Fig. 9.  
TAB. I.

Facilè perspicì potest eâdem constructione determinari posse vim mediam, etiamsi vires P, P', P'', P''', etc. non in eodem plano essent sitæ; minimè enim in demonstratione hæc conditio fuit introducta.

### THEOREMA III.

*Vis media trium virium in eodem puncto concurrentium et hedrarum lateribus triangularis pyramidis expressarum, æquat triplam distantiam ex pyramidis apice ad duas tertias partes, ex quocumque angulo basis, rectæ jungentis hunc angulum cum lateris oppositi medio, et per hoc punctum transit.*

DEMONST. Vis media duarum virium rectis SB et SC expressarum, evidenter per punctum F medium rectæ BC transire debet, et  $2SF$  æquat; quapropter  $DF = FS$ ; jungantur puncta A et D rectâ AD; vis media duarum virium SA et SD quæ simul trium virium est vis media, similiter per punctum E medium rectæ AD transeat, vimque mediam litterâ R exprimens, habeatur  $SE = \frac{R}{2}$ , necesse est. Jungantur puncta A et F; recta SE necessariò rec-

Fig. 10.  
TAB. I.

tam AF secare debet, quum puncta S, A, E et F sint in eodem plano. Jungantur etiam puncta E et F; quia  $AE = DE$ ,  $SF = DF$ , EF rectæ AS parallela sit necesse est; similia ergo sunt duo trigona SAD et EDF; cum verò  $AD = 2DE$ , concluditur  $AS = 2EF$ . Similiter duo trigona SAG et EGF similia sunt, quia EF parallela est rectæ AS; unde deducitur

$$AS : EF = SG : EG = AG : GF = 2 : 1;$$

ergo

$$GE = \frac{SG}{2}, \quad AG = 2GF$$

seu

$$3AG = 2(FG + AG) = 2AF; \quad \text{unde } AG = \frac{2AF}{3};$$

punctum G est ergò punctum basis supra designatum; et

$$R = 2SE = 2(GS + EG) = 2\left(GS + \frac{GS}{2}\right) = 3GS;$$

quod probandum erat.

#### THEOREMA IV.

*Si hedrarum latera cujuscumque pyramidis exprimunt vires in pyramidis apice concurrentes, sique designatur littera n harum virium numerus, vis media harum virium transit per punctum rectæ quæ basis intersectionem vi mediâ  $n-1$  virium, ultimæ vi jungit, ita ut hæc reëta dividetur, ex intersectionis puncto, in duas partes sese habentes uti  $1 : n-1$ , visque media distantiam ex pyramidis apice ad hoc punctum, numero  $n$  ductam, æquat.*

DEMONST. Jam theorema antecedens hanc legem in triangulari pyramide existere patefacit, quum recta AF quæ jungit intersectionem basis ABC vi mediâ DS duarum virium SB et SC, aliæ vi SA, puncto G vi mediâ trium virium ita secetur ut

$$AG : FG = 2 : 1 = n-1 : 1;$$

quumque vis media R triplam rectam GS æquet,  $n$ . GS æquabit; intensitas directioque duarum virium his similiter legibus submissæ sunt; nam eo casu  $n = 2$ , vis media  $n-1$  seu unius vis, ipsa est vis; et recta quæ jungit has duas vires, vi mediâ duarum virium ita secari debet, ut duæ rectæ partes sint inter se uti  $1 : n-1 = 1 : 1$ ; hæc

ergo duæ partes æquales esse debent; visque media bis distantiam ex anguli apice ad basis punctum æquat; quæ reipsâ jamjam fuere demonstrata. Eadem proprietates in aliis pyramidibus existere demonstrandum est. Pyramis tetrangularis his proprietatibus gaudet; nam sit GS vis media trium virium SA, SB et SC, quæ uti jam expositum fuit, determinanda est; sitque E intersectio basis hâc vi mediâ; hæc vis media GS æqualis erit 3ES; jungantur puncta G et D rectâ DG; vis media duarum virium SG et SD, seu quatuor virium SA, SB, SC et SD evidenter transire debet per punctum H medium rectæ DG; et habebitur  $SH = \frac{R}{2}$ ; junctisque punctis E et D, rectam DE rectâ SH secari faciliè perspicitur. Producat SD ita ut DK = SD; punctum K et punctum F medium rectæ EG, rectâ FK jungantur. Recta FK per punctum H transire debet; nam cum

Fig. 11.  
TAB. I.

SD = DK et SE = EF, quia SG = 3SE et EF = FG, recta DE rectæ FK parallela sit, necesse est; cum verò GF = EF, recta FK transibit per medium rectæ DG, quapropter per punctum H; cum autem DE parallela sit rectæ FK, et SD = DK, inde sequitur

$$EL : FH = DL : HK;$$

at

$$FH = \frac{ED}{2} \text{ et } HK = 2DL;$$

unde

$$EL : \frac{DE}{2} = DL : 2DL$$

seu

$$EL : DE = DL : 4DL, \text{ ED} - EL : EL = 3DL : DL;$$

unde

$$DL : EL = 3 : 1;$$

cum vero SE = EF, unde sequitur SL = LH; unde

$$R = 2SH = 4SL.$$

Hujus theorematis enunciato, rectorum EL et DL rationem visque mediæ intensitatem et directionem satisfacere evidens est; nam præsentî casu  $n$  æquat 4; vis media  $n-1$  virium est SG, quæ

puncto E basim ABCD secat. Recta ergo DE intersectionem  $n-1$  virium cum basi, aliæ vi jungit; probatum verò fuit rectam DE vis mediæ directione SL in duas partes secari, ita ut

$$EL : DL = 1 : 3 = 1 : n-1;$$

præterea jamjam fuit demonstratum

$$R = 4SL = n \times SL$$

et SL exprimit distantiam ex pyramidis apice ad punctum L rectæ ED, intersectionem basis vi mediâ  $n$  virium.

Etsi e præcedentibus demonstrationibus concludi posset easdem proprietates in aliis pyramidibus ex analogiâ existere, attamen generali theoremate illas in quibuscumque pyramidibus existere, probandum est.

Evidenter scopum assecuti erimus, si probatum fuerit illas proprietates existere in pyramidibus  $n$  laterum, dum existant in pyramidibus  $n-1$  laterum. Nam cum illas in triangulari pyramide existere probetur, ex sequenti theoremate concludi poterit illas proprietates in quadrangulari pyramide existere, deinde in pentagonali et sic porrò.

Fig. 12.  
TAB. I.

Supponatur SF vis media  $n-1$  virium pyramidis cujuscumque SABCD...., supponaturque E intersectio hujus vis mediæ basi; quum illarum proprietatum existentia in pyramide  $n-1$  laterum supponatur jam demonstrata, evidenter  $SF = (n-1) SE$ ; jungantur puncta E et F puncto C; vis media R numeri  $n$  virium evidenter transibit per punctum G medium rectæ FC, et  $R = 2SG$ ; rectaque SG rectam EC secabit; jungatur punctum G puncto H medio rectæ FS; evidenter habebitur

$$SH = \left( \frac{n-1}{2} \right) SE;$$

puncto H ducatur HL parallela rectæ EC; cum

$$FG = CG \text{ et } FH = HS$$

recta GH parallela est rectæ CS; ergo duo trigona HMG et SML sunt similia; unde

$$GH : LS = GM : MS = HM : LM;$$

cum vero  $FC = 2FG$ , similiter  $GH = \frac{CS}{2}$ , et cum

( 15 )

$$ES : HS = 1 : \frac{n-1}{2} = CS : LS ,$$

inde sequitur

$$SL = \left( \frac{n-1}{2} \right) CS$$

et

$$GH : LS = \frac{CS}{2} : \left( \frac{n-1}{2} \right) CS = GM : MS = HM : LM$$

seu

$$GM : MS = HM : LM = 1 : n-1 ;$$

cum vero CE sit parallela rectæ HL, inde sequitur

$$EK : CK = HM : LM = 1 : n-1 ;$$

at

$$SE : SH = 1 : \frac{n-1}{2} = SK : SM ; \text{ unde } SM = \left( \frac{n-1}{2} \right) SK ;$$

jam verò demonstratum fuit

$$GM : MS = 1 : n-1 , \text{ ergo } GM : \left( \frac{n-1}{2} \right) SK = 1 : n-1 ;$$

unde

$$GM = \frac{SK}{2} ; \text{ at } GS = SM + GM = \left( \frac{n-1}{2} \right) SK + \frac{SK}{2} = \frac{n}{2} \times SK ;$$

unde

$$R = 2SG = n \times SK ;$$

recta ergo CE vi mediâ R ita secatur ut

$$EK : CK = 1 : n-1$$

et hæc vis mediâ æquat  $n \times SK$ ; quod demonstrandum erat.

#### COROLLARIUM.

Vis mediâ numeri cujuscumque virium hedrarum lateribus pyramidis truncatæ, basibus parallelis terminatæ, expressarum, evidenter per eadem ambarum basium puncta transibit perinde acsi pyramis esset integra; hæcque vis mediâ distantiam amborum punctorum basium multiplicatam per numerum virium, æquabit; nam si absolvitur pyramis; litterâque  $n$  numerus virium designatur, vis mediâ pyramidis truncatæ, erit differentia virium mediârum pyramidis integræ et pyramidis complementariæ; sit ergo S Fig. 13. TAB. I. pyramidis apex, et B et C sint intersectiones basium per vim mediâ pyramidis integræ, vis mediâ pyramidis truncatæ, erit

$$SC \times n - SB \times n = n (SC - SB) = n \times BC.$$

Fig. 14.  
TAB. I.

Generales formulæ institui possunt, quarum ope extemplo numeri cujuscumque virium in eodem puncto concurrentium, vis mediæ directio et intensitas deducuntur. Reipsa, sint P, P', P'', etc. numerus quicumque virium puncto A concurrentium. Hoc puncto ducantur axes rectangulares X, Y et Z; viribus P, P', P'', etc. evidenter substitui possunt novæ vires secundum axes directæ; sint a, b, c cosin. Angulorum inter directionem vis P et axes X, Y et Z, et x, y, z vires componentes vis P secundum axes directæ; jamjam probatum est hasce locum habere æquationes,

$$x = aP, y = bP, z = cP;$$

similiter litteris a', b', c' designando cosin. Angulorum inter vim P' et axes, litterisque x', y', z', ejusdem vis vires componentes, habebitur

$$x' = a'P', y' = b'P', z' = c'P';$$

similiter vim P'' considerando, orientur

$$x'' = a''P'', y'' = b''P'', z'' = c''P''.$$

et sic de aliis; omnibus ergo viribus P, P', P'', etc. substitui possunt tres vires X, Y, Z secundum axes agentes: ita ut generatim

$$X = x + x' + x'' + \text{etc.} = aP + a'P' + a''P'' + \text{etc.}$$

$$Y = y + y' + y'' + \text{etc.} = bP + b'P' + b''P'' + \text{etc.}$$

$$Z = z + z' + z'' + \text{etc.} = cP + c'P' + c''P'' + \text{etc.}$$

Directioque virium componentium x, x', x'' etc. y, y', y'' etc. z, z', z'' etc. pendet a signo cosin. litteris a, a', a'' etc. b, b', b'' etc. c, c', c'' etc. expressorum. Nunc tribus viribus X, Y, Z substituatur vis mediæ R; cum vires X, Y, Z sint orthogonales, emergit

$$R = \sqrt{X^2 + Y^2 + Z^2};$$

Litteris A, B et C designentur cosin. Angulorum inter vim mediæ R et axes, cum habeatur

$$X = AR, Y = BR, Z = CR$$

inde deducitur

seu  $A = \frac{X}{R}, B = \frac{Y}{R}, C = \frac{Z}{R}$

$$A = \frac{X}{\sqrt{X^2 + Y^2 + Z^2}}, B = \frac{Y}{\sqrt{X^2 + Y^2 + Z^2}}, C = \frac{Z}{\sqrt{X^2 + Y^2 + Z^2}}$$



Ex his æquationibus vis mediæ directio et intensitas deduci possunt. Ponamus nunc has vires in eodem plano XY esse sitas; tunc anguli inter virium directiones et axem Z sunt recti; quapropter horum angulorum cosin. = 0, et habetur

$$z = 0, z' = 0, z'' = 0, \text{ etc. } c = 0, c' = 0, c'' = 0, \text{ etc.}$$

Si hæc conditiones in formulas introducantur, sique supponatur directionem vis P fieri axem X, quo casu  $b, b', \text{ etc.}$  æquales sunt sin. Angulorum quorum  $a, a', a'', \text{ etc.}$  sunt cosin.: emergent formulæ (1)

$$\begin{aligned} & \sqrt{P^2 + P'^2 + P''^2 + \text{etc.} + 2PP' \cos(P, P') + 2P'P'' \cos(P', P'') + 2PP'' \cos(P, P'') + \text{etc.}} \\ & \quad P + P' \cos(P, P') + P'' \cos(P, P'') + \text{etc.} \\ & \sqrt{P^2 + P'^2 + P''^2 + \text{etc.} + 2PP' \cos(P, P') + 2P'P'' \cos(P', P'') + 2PP'' \cos(P, P'') + \text{etc.}} \\ & \quad P' \sin(P, P') + P'' \sin(P, P'') + \text{etc.} \\ & \sqrt{P^2 + P'^2 + P''^2 + \text{etc.} + 2PP' \cos(P, P') + 2P'P'' \cos(P', P'') + 2PP'' \cos(P, P'') + \text{etc.}} \end{aligned}$$

E puncto quocumque cujus coordinatæ sint  $x$  et  $y$  demittatur cathetus in vis mediæ R directionem; si hæc cathetus litterâ  $r$  designetur, observeturque tang. (X, R) æqualem esse  $\frac{B}{A}$  seu  $\frac{Y}{X}$ , prodibit

$$r = \frac{y - \frac{Y}{X}x}{\sqrt{1 + \frac{Y^2}{X^2}}} = \frac{yX - xY}{\sqrt{X^2 + Y^2}} = \frac{yX - xY}{R};$$

unde

$$Rr = yX - xY;$$

cum vero

$$X = P + P' \cos(P, P') + P'' \cos(P, P'') + \text{etc.}, \quad Y = P' \sin(P, P') + P'' \sin(P, P'') + \text{etc.}$$

erit

$$Rr = Py + P'y \cos(P, P') + P''y \cos(P, P'') + \text{etc.} - P'x \sin(P, P') - P''x \sin(P, P'') - \text{etc.}$$

seu

$$Rr = Py + P' [y \cos(P, P') - x \sin(P, P')] + P'' [y \cos(P, P'') - x \sin(P, P'')] + \text{etc.}$$

vel

$$Rr = Py + P' \cos(P, P') [y - x \tan(P, P')] + P'' \cos(P, P'') [y - x \tan(P, P'')] + \text{etc.} \quad (1)$$

(1) Cosin. (P, P') significat cosin. anguli inter directiones virium P et P', et sic de aliis.

Litteris  $p, p', p''$ , etc. designentur catheti e puncto cujus coordinatæ sunt  $x, y$  in virium  $P, P', P''$ , etc. directiones, demissæ, prodibunt æquationes

$$p = y, p' = \frac{y - x \operatorname{tang} (P, P')}{\sec (P, P')}, p'' = \frac{y - x \operatorname{tang} (P, P'')}{\sec (P, P'')}, \text{ etc. .... (2).}$$

Ex æquationibus (1) et (2) eruitur

$$Rr = Pp + P'p' \cos (P, P') \sec (P, P') + P''p'' \cos (P, P'') \sec (P, P'') + \text{etc.}$$

cum vero

$$\cos \alpha \sec \alpha = 1,$$

fit

$$Rr = Pp + P'p' + P''p'' + \text{etc.}$$

$Rr, Pp, P'p'$ , etc. dicuntur *virium*  $R, P, P'$ , etc. *momenta* respectu puncti cujusdam; quapropter *vis mediæ momentum, summam momentorum virium componentium æquat.*

### CAPUT III.

#### *De virium parallelarum compositione ac resolutione.*

#### PROBLEMA I.

*Determinare vim mediam duarum virium parallelarum, secundum eandem directionem agentium, et inflexibili rectæ applicitarum.*

Fig. 15. TAB. 11. Sint  $P$  et  $Q$  duæ vires parallelæ punctis  $A$  et  $B$  applicitæ, cathetique rectæ  $AB$ ; resolvantur hæ vires rectis  $AC$  et  $BD$  expressæ in quatuor viribus  $AE$  et  $AF, BE'$  et  $BG$  ita ut vis  $AE$  æqualis sit et opposita vi  $BE'$ ; sic vis media virium  $AF$  et  $BG$  erit vis media virium  $P$  et  $Q$ ; ut hæc vis media determinetur, producantur rectæ  $AF$  et  $BG$  aganturque  $HK = BG, HL = AF$ , diagonalisque  $HO$  parallelogrammi  $HKOL$  vis media erit virium  $AF$  et  $BG$  simul et virium  $P$  et  $Q$ ; ut probetur vim mediam  $HO$  viribus  $P$  et  $Q$  esse parallelam, e triangulis  $ACF$  et  $BGD$  deducantur

$$CF : AF = \sin \alpha : 1, BG : (DG = CF) = 1 : \sin \beta;$$

hæque duæ proportiones inter se ductæ, dant

$$CF \times BG : AF \times CF = \sin \alpha : \sin \beta = BG : AF ;$$

similiter e triangulo HKO deducitur

$$HK : KO = \sin OHL : \sin (LHK - OHL)$$

seu

$$BG : AF = \sin OHL : \sin (LHK - OHL),$$

undè

$$\sin \alpha : \sin \beta = \sin OHL : \sin (LHK - OHL) ;$$

evidenter verò angulus AHB = KHL =  $\alpha + \beta$  ; quapropter litterâ V designando angulum AHB, prodibit

$$\sin \alpha : \sin (V - \alpha) = \sin OHL : \sin (V - OHL),$$

undè

$$\sin \alpha \cos OHL = \sin OHL \cos \alpha$$

seu

$$\sin (\alpha - OHL) = 0, \text{ unde } \alpha = OHL ;$$

unde prodit vim mediam HO viribus P et Q esse parallelam. Ut nunc determinetur punctum applicationis N vis mediæ, e triangulis similibus ACF et ANH, BDG et BNH deducantur

$$AN : HN = CF : P, \quad HN : BN = Q : CF$$

hæque proportiones inter se ductæ, præbent

$$Q : P = AN : BN$$

quâ determinatur punctum N applicationis vis mediæ.

Ut ejus intensitas determinetur, ponantur proportiones e triangulis ACF et BDG deductæ :

$$P : AF = \cos \alpha : 1, \text{ undè } AF = \frac{P}{\cos \alpha}$$

$$Q : BG = \cos \beta : 1, \text{ undè } BG = \frac{Q}{\cos \beta}$$

quapropter

$$AF : BG = \sin \beta : \sin \alpha = \frac{P}{\cos \alpha} : \frac{Q}{\cos \beta}$$

undè

$$P : Q = \sin \beta \cos \alpha : \sin \alpha \cos \beta$$

unde deducitur

$$P + Q : \sin \beta \cos \alpha + \sin \alpha \cos \beta = P : \sin \beta \cos \alpha = AF \cos \alpha : \sin \beta \cos \alpha$$

seu

$$P + Q : \sin (\alpha + \beta) = AF : \sin \beta ;$$

E triangulo verò HKO deducitur

HO: [sin HKO=sin KHL=sin( $\alpha+\beta$ )]=(KO=AF): (sin KHO=sin  $\beta$ )  
 quapropter  $P+Q = HO = R$ , quod vis mediæ intensitatem determinat. Puncto N ducatur recta quæcumque A'B'; e triangulis similibus A'AN et B'BN deducitur

$$AN : BN = A'N : B'N$$

undè

$$A'N : B'N = Q : P.$$

### COROLLARIUM

Fig. 16. Ut ergo viribus parallelis P et Q æquilibrium constituatur, puncto  
 TAB. II. C ita posito ut

$$AC : BC = Q : P$$

applicanda est vis æqualis  $P + Q$  et in directione parallelâ sed directè oppositâ agens.

### PROBLEMA II.

*Vim quamcumque in duas vires parallelas in eâdem directione agentes, et datis punctis applicitas, resolvere.*

Fig. 17. Sint R vis resolvenda, A et B puncta applicationis virium P et  
 TAB. II. Q; proportione

$$P : Q = BC : AC$$

determinari potest intensitas virium P et Q; indè enim deducitur

$$P + Q : BC + AC = P : BC \text{ seu } R : AB = P : BC \text{ unde } P = \frac{R \times BC}{AB};$$

cum verò  $P + Q = R$ , spontè patet

$$Q = R - P = R - \frac{R \times BC}{AB};$$

eâdem evidenter proportione puncta applicationis A et B, hisce viribus rectâque AB datis, determinari possent. Si vis R in tribus viribus; datis punctis applicitis, esset resolvenda, primò in duabus viribus quarum una, uno e datis punctis, altera, alio quocumque puncto inter dua alia puncta sito, resolvenda est, deinde hæc ultima vis, in duabus viribus, duobus datis punctis applicitis, iterum est resolvenda.

Si tres vires P, Q et R æquibrant, quæcumque trium virium P, (*ex. gr.*) ut vi mediæ duarum virium Q et R æqualis et directè opposita perspici potest; cum virium Q et R vis media cum vi P æquilibrium constituere debeat. Quapropter vis  $R'' = P$  et directè opposita virium Q et R est vis media; at  $R = P + Q$  unde  $P = R'' = R - Q$ ; præterea habetur proportio

$$BC : AC = P : Q = R'' : Q$$

unde punctum applicationis A vis mediæ  $R''$  deduci potest; at

$$BC + AC : R'' + Q = AB : R = AC : Q \text{ unde } AB = \frac{R \times AC}{Q};$$

supponantur nunc vires Q et R æquales; tunc habebitur  $AB = AC$  et

$$R'' = R - Q = 0;$$

at dum BC non æquabit 0, recta AC rectam AB æquare non poterit nisi  $AC = \infty$ ; ut ergo viribus Q et R æquilibrium constitueretur, ad distantiam a puncto B infinitam applicanda foret vis æqualis 0; quod impossibile est; ergo duæ vires æquales, parallelæ, et in directionibus oppositis agentes, vim mediam habere nequeunt.

### PROBLEMA III.

*Determinare vim mediam numeri cujuscumque virium parallelarum in eâdem directione agentium, quarum applicationis puncta inter se immutabiliter sunt fixa.*

Primò determinetur vis mediæ  $R'$  duarum virium P et P'; deinde jungantur puncta F et B, determineturque vis mediæ  $R''$  duarum virium  $R'$  et P', hæcque vis mediæ æqualis est  $R' + P' = P + P' + P''$ ; jungantur puncta G et D; visque mediæ  $R'''$  duarum virium  $R''$  et P'' aequat

$$R'' + P'' = P + P' + P'' + P'';$$

si denique jungantur puncta H et C, determinari potest duarum virium  $R'''$  et P''' vis mediæ R quæ æquat

$$R''' + P''' = P + P' + P'' + P''' + P'';$$

undè concludi potest vim mediam numeri cujuscumque virium pa-

parallelarum in eadem directione agentium, summam harum virium æquare, illis esse parallelam et in eadem directione agere.

Si vires  $P, P', P'',$  etc. semper parallelæ manentes, nec intensitatem, nec puncta applicationis, sed tantum directionem mutant, fiuntque  $p, p', p'', p''', p^{iv},$  etc. harum virium vim mediam, ut prius, determinando,  $K$  evidenter erit punctum applicationis vis mediæ  $r$  quæ æquat  $p + p' + p'' + p''' + \text{etc.}$ ; unde perspicuum est virium  $P, P', P'', P''',$  etc. parallelæ manentium, directionem mutando, vis mediæ punctum applicationis ejusque intensitatem non mutari; hoc punctum  $K$  dicitur *centrum virium parallelarum*. Si ex his viribus aliæ in quâdam directione, aliæ verò in directione oppositâ agerent, separatim determinandæ forent vires mediæ virium in eadem directione agentium; omniumque virium vis mediæ generatim differentiam harum duarum virium mediarum evidenter æquabit; uno tantum casu hoc principium claudit, quum scilicet duæ vires mediæ, parallelæ, æqualesque sunt non verò directè oppositæ; quod jam probatum fuit. De hoc virium systemate postea ampliùs loquemur.

Fig. 10.  
TAB. II.

E consideratione momentorum deduci possunt generales formulæ quarum ope determinatur punctum applicationis vis mediæ numeri cujuscumque virium parallelarum. Sit enim  $R$  vis mediæ duarum virium parallelarum  $P$  et  $Q$ , puncto quocumque  $D$  in virium plano sito ducatur cathetus  $BD$ . Ducatur æquatio  $R = P + Q$  rectâ  $BD$ ; ex hac multiplicatione prodit

$$R \times BD = P \times BD + Q \times BD$$

seu

$$R \times CD + R \times BC = P \times AD + P \times AB + Q \times BD;$$

sed e proportione

$$P : Q = BC : AC$$

deducitur

$$P + Q \text{ seu } R : AB = P : BC$$

unde

$$R \times BC = P \times AB;$$

quapropter

$$R \times CD = P \times AD + Q \times BD.$$

$R \times CD, P \times AD, Q \times BD$  dicuntur *momenta virium*  $R, P, Q$  respectu puncti  $D$ . Unde elucet momentum vis mediæ æquale esse summæ momentorum virium componentium. Si recta  $BD$  non esset cathetus viribus  $P$  et  $Q$ , similiter haberetur

$$R \times DC' = P \times A'D + Q \times B'D$$

nam

$$R : A'B' = P : B'C'.$$

Quum vires  $P, Q$  et  $R$  non in eadem directione agunt, vis mediæ momentum æquale est differentiæ momentorum virium componentium; sit enim  $R$  vis media virium  $P$  et  $Q$  in directionibus oppositis agentium, erit  $R = P - Q$  et

$$R \times BD = P \times BD - Q \times BD, \text{ seu } R \times CD + R \times BC = P \times AD + P \times AB - Q \times BD$$

sed e proportione

$$R : P = AB : BC$$

deducitur

$$R \times BC = P \times AB; \text{ quapropter } R \times CD = P \times AD - Q \times BD.$$

Si punctum  $D$  inter puncta  $A$  et  $B$  sumeretur, in ambobus casibus contrarium locum habere, faciliè probaretur. In primo enim casu haberetur

$$R \times CD' = Q \times BD' - P \times AD'$$

et in secundo casu

$$R \times CD' = Q \times BD' + P \times AD'.$$

Si vis  $R$  vis media esset multarum virium vecti  $AB$  applicitarum, hujus vis momentum æquale foret summæ aliarum virium momentorum. Sint enim  $S, T, U, V$  hæ vires et  $s, t, u, v$  harum virium distantiae ad punctum fixum  $D$ ; sit  $P$  vis media duarum virium  $S$  et  $T$ , et  $p$  distantia vis  $P$  ad punctum  $D$ , prodit

$$pP = sS + tT;$$

similiter sit  $Q$  vis media virium  $P$  et  $U$  et  $q$  distantia vis  $Q$  ad punctum  $D$ ; invenitur

$$qQ = pP + uU = sS + tT + uU.$$

Sit denique  $R$  vis media virium  $V$  et  $Q$  et  $rR$  hujus vis momentum respectu puncti  $D$ , habetur

$$rR = vV + qQ, \text{ seu } rR = sS + tT + uU + vV + \text{etc.}$$

Signa hisce momentis tribuenda pendent e positione puncti fixi D respectu punctorum applicationis virium, et e directione virium; si vires ex eadem parte respectu puncti D sitæ sunt, momentis virium in eadem directione agentium, evidenter signum +, aliis vero signum — tribuendum est; si verò aliæ ex unâ parte, aliæ ex alterâ sunt sitæ, vis mediæ momentum  $rR$  æquale est differentiæ momentorum virium e diversâ parte puncti D sitarum.

Hujus proprietatis ope facile determinari potest vis mediæ punctum applicationis; habetur enim

$$r = \frac{sS + tT + uU + vV + \text{etc.} - (xX + yY + \text{etc.})}{S + T + U + V + X + Y + \text{etc.}}$$

Fig. 21.  
TAB. II.

Hucusque vires eidem vecti applicitas esse supposuimus; sed generales formulæ quibus vis mediæ punctum applicationis, eo casu quo vires parallelæ in spatio quocumque modo sunt applicitæ, determinetur, obtineri possunt; sit enim P, P', P'', P''', etc. numerus quicumque virium parallelarum quocumque modo in spatio sitarum; sint X, Y et Z axes orthogonii; punctis A et B applicationis virium P et P' ducatur recta AB, producaturque donec puncto G planum YZ secet; sit R' virium P et P' vis media, erit

$$R' \times CG = P \times AG + P' \times BG, \text{ unde } R' = P \times \frac{AG}{CG} + P' \times \frac{BG}{CG};$$

e punctis A, B et C demittantur catheti in planum YZ. Puncta D, F, E, et G evidenter in eadem rectâ sita sint, necesse est. Supponatur AD = x, BE = x', CF = a, habebitur

$$x : a = AG : CG, \quad x' : a = BG : CG, \text{ unde } \frac{AG}{CG} = \frac{x}{a}, \quad \frac{BG}{CG} = \frac{x'}{a}$$

quapropter

$$R' = \frac{Px}{a} + \frac{P'x'}{a}, \text{ seu } a R' = Px + P'x'.$$

punctis A, B, C demittantur catheti y, y' et b in planum XZ; similiter prodibit

$$R'b = Py + P'y';$$

litteris z, z' et c designentur catheti e punctis A, B et C in planum XY demissæ, prodit



Componantur nunc vires  $R'$  et  $P''$ ; sit  $R''$  illarum vis media; designentur litteris  $x''$ ,  $y''$ ,  $z''$ ,  $a'$ ,  $b'$ ,  $c'$  punctorum applicationis virium  $P''$  et  $R''$  coordinatæ; evidenter erit

$$a'R'' = x''P'' + aR', \quad b'R'' = y''P'' + bR', \quad c'R'' = z''P'' + cR'$$

seu

$a'R'' = Px + P'x' + P''x''$ ,  $b'R'' = Py + P'y' + P''y''$ ,  $cR'' = Pz + P'z' + P''z''$ ; sint denique  $R$  totius systematis vis media, et  $X$ ,  $Y$ ,  $Z$  ejus puncti applicationis coordinatæ, habebitur

$$R = P + P' + P'' + P''' + \text{etc.}$$

$$X = \frac{Px + P'x' + P''x'' + P'''x''' + \text{etc.}}{P + P' + P'' + P''' + \text{etc.}}$$

$$Y = \frac{Py + P'y' + P''y'' + P'''y''' + \text{etc.}}{P + P' + P'' + P''' + \text{etc.}}$$

$$Z = \frac{Pz + P'z' + P''z'' + P'''z''' + \text{etc.}}{P + P' + P'' + P''' + \text{etc.}}$$

quibus vis mediæ punctum applicationis determinatur. Si quædam vires in directionibus oppositis agerent, signa tribuenda viribus has conditiones in superioribus æquationibus introducerent.

Punctum cujus coordinatæ sunt  $X$ ,  $Y$  et  $Z$  dici, *centrum virium parallelarum* jam supra animadversum est.

#### PROBLEMA IV.

*Determinare vim mediam numeri cujuscumque virium non concurrentium et parallelarum necne, sed in eodem plano sitarum.*

Supponantur  $P$ ,  $P'$ ,  $P''$ ,  $P'''$ , etc. vires, punctis  $A$ ,  $B$ ,  $C$ ,  $D$ , etc. Fig. 22  
TAB. II. inter se immutabiliter fixis, applicitæ; producantur duæ vires  $P$  et  $P'$  partibus  $EF$  et  $EG$  expressæ, donec concurrant puncto  $E$ ; viribus  $P$  et  $P'$  substituatur vis media  $Q$  rectâ  $EH$  expressa; producantur hæc vis media et vis  $P''$ , donec concurrant puncto  $K$ ; viribusque  $Q$  et  $P''$  rectis  $KH'$  et  $KL$  expressis, substituatur vis media  $Q'$  rectâ  $KM$  expressa; demùmque viribus  $Q'$  et  $P'''$ , donec

puncto N concurrant, productis, rectisque NM' et NO expressis, substituatur vis media R recta NS expressa; hæcque vis evidenter erit vis media totius systematis. Si quædam vires essent parallele, hæc quidem vires non concurrerent, sed his facile substitui posset vis media. Idem hic casus existit exceptitius, qui in præcedenti problemate animadversus fuit; uno enim casu systemati virium substitui non potest vis media; quum scilicet una quædam vis aliarum virium vim mediam æquat, ipsi est parallela, et in directionibus variis, sed non directè oppositis, agunt; quod virium systema capitis sequentis materiem suppeditabit.

## CAPUT IV.

### *De virium paribus.*

Systema duarum virium æqualium, parallelarum, in directionibus oppositis agentium, non verò directè oppositarum dicitur *virium par*; cathetus communis duabus viribus dicitur *virium paris vectis*; productumque vis per vectem dicitur *virium paris momentum*.

### THEOREMA I.

*Virium pari cuicumque (P, —P) substitui potest aliud quodcumque virium par (Q, —Q), pari (P, —P) parallelum, et producto vecti applicitum; dum habeatur proportio*

$$P : Q = BC : AB.$$

Fig. 23.  
TAB. III.

DEMONST. Reipsa, puncto quocumque C vectis AB producti, applicentur duæ vires Q, et —Q æquales, oppositæ, et viribus (P, —P) parallele; ita ut habeatur

$$P : Q = BC : AB;$$

nihil evidenter systemati erit mutatum, et vis media R virium P

et  $Q'$  per punctum  $B$  evidenter transibit, eritque æqualis  $P + Q'$ ; at vis  $-P = P$  ipsi est directè opposita; quapropter solammodò vis  $Q' = Q$  supererit quæ simul cum vi  $-Q$  constituat virium par quod pari  $(P, -P)$  substitui poterit.

### THEOREMA II.

*Quodcumque virium par in suum planum seu in quodcumque planum parallelum sibi paralleliter transferri potest, quin effectus mutetur, dum novum par immutabiliter primo pari sit fixum.*

DEMONST. Supponatur  $(P, -P)$  virium par cujus  $AB$  sit vectis; ducatur  $A'B' = AB$  ipsique parallela seu in plano paris  $(P, -P)$  seu in quocumque plano huic parallelo; jungantur puncta  $A$  et  $B$  punctis  $B'$  et  $A'$  rectis  $AB'$  et  $BA'$ ; hæ duæ rectæ evidenter concurrant, necesse est, quum rectæ  $AB$  et  $A'B'$  sint parallelæ; præterea necessariò  $AC = B'C$  et  $BC = A'C$ , quum duo trigona  $ACB$  et  $A'B'C$  sint æqualia; punctis  $A'$  et  $B'$  applicentur vires oppositæ,  $P', -P'$  et  $P'', -P''$ , ipsisque viribus  $P, -P$  parallelæ et æquales; hæ vires nihil evidenter systemati mutabunt; cum verò  $P = P''$ , his viribus substitui potest vis  $R = 2P$  puncto  $C$  medio rectæ  $AB'$  applicita; similiter viribus æqualibus  $-P, -P'$  substitui potest vis  $R' = 2P$  puncto  $C$  medio rectæ  $A'B$  applicita; cum verò hæ omnes vires sint parallelæ, vis  $R$  vi  $R'$  erit directè opposita; cum verò  $R = R'$  hæ duæ vires sese invicem destruunt, et e toto systemate tantum vires  $P'$  et  $-P''$  supersunt, virium par æquale pari  $(P, -P)$  constituentes, quodque ipsi substitui potest.

Fig. 24.  
TAB. III.

### THEOREMA III.

*Quodcumque virium par circum quodcumque vectis punctum in eodem plano potest vertere, quin ejus effectus mutetur.*

DEMONST. Puncto quocumque  $C$  vectis  $AB$  virium paris  $(P, -P)$ , ducatur  $A'B' = AB$  ita ut  $A'C = AC$ , et  $B'C = BC$ ; punctisque  $A'$  et  $B'$  in directionibus cathetorum rectæ  $A'B'$  ductarum, applicentur

Fig. 25.  
TAB. III.

vires oppositæ  $P'$ ,  $-P'$  et  $P''$ ,  $-P''$  inter se æquales ipsisque viribus  $P$ ,  $-P$ ; viribus  $P$  et  $-P'$  necessario concurrentibus, quum in eodem plano sitæ sint et non parallelæ, substituatur vis media  $R$ ; similiter viribus  $P''$  et  $-P$  substituatur vis media  $R'$ ; hæ duæ vires  $R$  et  $R'$  æquales sint, necesse est; nam  $P = -P' = P'' = -P$  et angula  $-P'DP$  et  $-P'DP''$  parallelis lateralibus formata et directè opposita, sunt æqualia; hæ vires directè oppositæ esse debent; nam cum vires  $P$  et  $-P'$  æquales sunt, habetur ang.  $-P'DR = PDR$ ; ducantur rectæ  $CD$  et  $CD'$ ; duo trigona  $ADC$  et  $A'DC$  sunt æqualia; cum  $AC = A'C'$  et duo trigona sint orthogonia; itaque ang.  $ADC = A'DC$ ; quapropter rectæ  $DR$  et  $CD$  in eâdem lineâ rectâ sitæ sunt. Similiter probaretur lineam  $CD'R'$  esse rectam; habetur vero ang.  $ACD = A'CD'$ , et ang.  $B'CD' = BCD'$ ; quapropter vires  $R$  et  $R'$  directè sunt oppositæ; sese ergò invicem destruunt; tantumque supersunt vires  $P'$  et  $-P''$  virium par ( $P'$ ,  $-P''$ ) formantes, quod nihil aliud est nisi par ( $P$ ,  $-P$ ) quod circum punctum  $C$  in suo plano motum est.

#### THEOREMA IV.

*Virium par transferri potest in quodcumque planum parallelum ibique quocumque modo verti, quin illius effectus mutetur, dum duo paria inter se sint fixa.*

Fig. 26.  
TAB. III.

**DEMONST.** Hoc theorema e duobus præcedentibus deducitur; nam par virium ( $P$ ,  $-P$ ) sibi paralleliter in quodcumque planum parallelum transferri potest, fierique ( $P'$ ,  $-P'$ ); hocque novum par circum quodcumque punctum  $D$  vectis  $A'B'$  verti potest, effectusque parium ( $P''$ ,  $-P''$ ) et ( $P$ ,  $-P$ ) æqualium iidem erunt.

#### THEOREMA V.

*Virium pari substitui potest aliud par quocumque modo in plano primi paris, seu in alio plano parallelo situm, dum parium vectes inter se sint in ratione inversâ virium.*

Fig. 27.  
TAB. III.

**DEMONST.** Per theorema I, pari ( $P$ ,  $-P$ ) substitui potest aliud ( $Q$ ,  $-Q$ ) dummodo habeatur proportio

$$P : Q = BC : AB;$$

at per theorema IV, par  $(Q, -Q)$  transferri potest in quodcumque planum parallelum fierique  $(Q', -Q')$ ; par ergo  $(Q', -Q')$  substitui poterit pari  $(P, -P)$ , dummodo hæc duo paria inter se sint fixa.

### THEOREMA VI.

*Numero cuicumque virium parium, in eodem plano seu in quocumque plano parallelo sitorum, substitui potest par unicum in plano parallelo situm, cujus momentum æquale sit summæ momentorum parium componentium, à quibus deducenda sunt momenta parium contrariorum.*

DEMONST. Supponatur AB vectis quicumque et M, N, O, etc. Fig. 28.  
TAB. III.  
vectes parium componentium quorum vires sint P, P', P'', etc. omnia paria eidem reducantur vecti (TEOR. I.) proportionibus

$$AB : M = P : Q, AB : N = P' : Q', AB : O = P'' : Q''$$

unde

$$Q = \frac{M \times P}{AB}, Q' = \frac{N \times P'}{AB}, Q'' = \frac{O \times P''}{AB}, \text{ etc.}$$

omnibus ergo paribus erunt vectes æquales vecti AB, eorumque vires exprimentur per  $\frac{M \times P}{AB}, \frac{N \times P'}{AB}, \frac{O \times P''}{AB}$ , etc. Cum verò paria in quodcumque planum parallelum transferri possint, omnia in eundem planum transferantur, ita ut eodem nitantur vecte AB; supererit par unicum cujus vis S æquabit  $Q + Q' + Q''$  etc. hoc est

$$S = \frac{M \times P}{AB} + \frac{N \times P'}{AB} + \frac{O \times P''}{AB} + \text{ etc.}$$

unde

$$AB \times S = M \times P + N \times P' + O \times P'' + \text{ etc.}$$

Si contraria essent paria, eidem vecti reductorum parium vires secundum directiones R et  $-R$  agerent, visque S foret æqualis  $Q + Q' + Q'' - R$ ; unde evidens est momentum paris medii æquale esse differentiæ summarum momentorum parium componentium et contrariorum.

## COROLLARIUM.

Ex theoremate præcedenti patet virium par in numerum quemcumque aliorum parium resolvi posse: et ex his componentibus paribus seorsim dari posse seu vectes, seu vires: et si exprimitur litterâ  $U$  vis paris componentis cujus  $AB$  sit vectis, et litteris  $M$  et  $V$  novus vectis et vis; proportionem

$$AB : M = V : U$$

determinari poterit  $M$  seu  $V$ , unâ ex his duabus rebus datâ.

## THEOREMA VII.

*Duo virium paria in planis non parallelis sita, in unum semper componi possunt.*

*Fig. 29.*  
*TAB. III.* DEMONST. Quùm paria  $(P, -P)$  et  $(P', -P')$  in planis non parallelis sint sita, hæc duo plana secundum rectam quamcunque  $A''B''$  sese secant, necesse est. Pari  $(P', -P')$  aliud substituatur ita ut vectis æqualis sit  $AB$ , et coincidat cum intersectione  $A''B''$  duorum planorum. Sit (e. g.)  $(P'', -P'')$ ; similiter par  $(P, -P)$  transferatur ita ut vectis  $AB$  coincidat cum vecte  $A''B''$ ; fiatque  $(Q, -Q)$ ; angulus  $QB''P''$  evidenter exprimet angulum duorum planorum; viribusque  $Q$  et  $P''$ , —  $Q$  et  $P''$  substitui evidenter possunt vires mediæ  $R$  et —  $R$  quæ æquales sunt, quùm vires componentes et anguli inter vires comprehensi æquales sint, evidenterque sunt parallelæ; quùm rectæ —  $RA''$  et  $B''R$  orthogoniæ sint in rectâ  $A''B''$ , et anguli  $P''B''R$  et —  $P''A''R$  sint æquales; vires ergo  $R$  et —  $R$  virium par constituunt quod paribus  $(P, -P)$  et  $(P', -P')$  substitui potest.

## COROLLARIUM.

*Fig. 30.*  
*TAB. III.* Vicissim, viam contrariam ineundo ejus quam in præcedenti theoremate secuti sumus, clarum est virium par quodcumque in duobus aliis paribus, in datis planis sitis, resolvi posse, dummodò hæc duo plana et dati paris planum sese secundum rectas parallelas secant; nam sint  $AC$  et  $AD$  duo plana data quorum intersectio sit  $AB$ ; hæc

rectâ AB ducatur planum AE parallelum parisi dati plano; quod possibile erit, quum intersectio hujus plani plano AC seu AD parallela sit intersectioni AB; parique proposito substituatur aliud par æquale  $(R, -R)$  cujus AB sit vectis; vis R evidenter in duas vires P et Q in planis AC et AD sitis resolvi potest; similiter vi  $-R$  substitui possunt duæ vires  $-Q$  et  $-P$  æquales parallelæque viribus Q et P; ita ut vires Q et  $-Q$ , P et  $-P$  paria constituant quæ pari  $(R, -R)$  substitui possunt: et aptè mutando seu vires, seu vectes, evidens est istis quoque substitui posse alia paria in quocumque loco seu ipsorum planorum seu illis parallelorum planorum sita; quorumque seu vires seu vectes sint dati.

### THEOREMA VIII.

*Numerus quicumque virium parium seu in eodem plano seu in planis parallelis seu non parallelis sitorum in unum semper componi possunt.*

DEMONST. Hoc theorema concluditur e theorematibus VI et VII; per theorema VI enim in unum componi possunt paria in eodem plano seu in planis parallelis sita; et per theorema VII in unum componendo hoc novum par et unum ex aliis paribus, novum habebitur par quod adhuc cum alio pari in unum componi poterit; et sic porrò, donec omnia paria in unum sint redacta.

### THEOREMA IX.

*Si polygonii ABCDE lateribus exprimuntur vires agentes ex A in B, ex B in C, etc., huic virium systemati vis unica substitui nequit; huic verò substitui potest virium par æquipollens, cujus momentum duplicem polygonii superficiem æquat.*

Hanc proprietatem in triangulo existere facilè perspicitur; sint enim P, P', P'', tres vires lateribus AB, BC et AC expressæ; viribus P' et P'' substituatur vis media: idcirco producat recta BC ita ut CE = BC; ducatur recta AE; agaturque AD = DE; duplumque rectæ CD virium P' et P'' exprimet vim mediam; quum

Fig. 31.  
TAB. IV.

Fig. 32.  
TAB. IV.

AE et CB diagonales sint parallelogrammi in viribus P' et P'' constructi; cum verò CE = BC et DE = AD, habetur  $2CD = AB$ , hæcque duæ vires evidenter sunt parallelæ et in directionibus oppositis agunt; itaque virium par constituunt cujus momentum exprimitur producto rectæ AB per cathetum CF rectæ AB immissum; momentum ergo duplicem trianguli superficiem æquat.

Fig. 33.  
TAB. IV.

Consideretur nunc polygonus ABCDEF cujus latera exprimunt vires P, P', P'', etc., agentes ex A in B, ex B in C, etc. Viribus P et P' rectis AB et AF expressis substituatur vis media; idcirco producatu AF ita ut AG = AF; ducatur recta BG; agaturque GH = BH;  $2AH$  virium P et P' erit vis media. Componantur nunc vires P' et  $2AH$ ; idcirco producantur rectæ BC et AH, agantur LK =  $2AH$  et KM = BC, determineturque vis media KO; KO =  $2KN$  evidenter trium virium P, P' et P' erit vis media; at KO diagonalem CF æquat ipsique est parallela; nam duo trigona KOM et BCF sunt æqualia; quum enim AG = AF et GH = BH, habetur

$$2AH = BF = LK = MO$$

rectæque BF et MO evidenter sunt parallelæ, et KM = BC; unde facile deducitur KO = CF, ipsique esse parallelam. Similiter probaretur vim mediam K'O' trium virium P'', P''' et P'' æqualem esse et parallelam diagonali CF; duæ ergo vires KO et K'O' ipsæ sunt æquales et parallelæ; quumque in directionibus oppositis evidenter agant, virium par constituunt. Ut ejus determinetur momentum, puncto K ducatur cathetus KV rectis KO et K'O'; viriumque paris momentum erit  $KO \times KV$  seu

$CF \times KV = CF \times KT + CF \times TV$ ; at  $CF \times KT = 2CKF = 2BCF + 2BKF$ ; cum vero BF parallela sit rectæ AK, habetur  $BKF = BAF$  undè

$$CF \times KT = 2BCF + 2BAF = 2ABCF;$$

simili ratione probaretur

$$CF \times TV = 2CDEF; \text{ undè } CF \times KV = KO \times KV = 2ABCDEF;$$

Adnotatio. Si ex unâ parte quatuor vires, ex alterâ verò duæ vires componerentur, facile probaretur systema harum duarum virium mediarum virium par constituere, cujus momentum duplicem polygonii superficiem æquaret; generatimque littera n



laterum numerum exprimens, litterâ quæ  $\nu$  numerum virium componendarum, vires mediæ  $\nu$  et  $n-\nu$  virium constituent par cuius momentum duplicem polygonii superficiem æquabit.

## COROLLARIUM I.

Si polygonius non clauderetur, vires polygonii lateribus expressæ, vis mediæ forent capaces, quæ æqualis parallelaque foret lateri polygonium cludenti.

## COROLLARIUM II.

Ex hac proprietate deducitur facillima ratio determinandi polygonii cujuscumque superficiem; sit enim determinanda polygonii ABCDEF superficies; agatur  $AG=AF$ , ducatur  $GB$ , agatur  $GH=BH$ , et ex puncto  $K$  ubi concurrunt rectæ productæ  $BC$  et  $AH$  dimittatur cathetus  $KL$  in rectam  $CF$ ; similiterque determinetur cathetus  $OP$ ; et  $CF \left( \frac{KL+OP}{2} \right)$  polygonii erit superficies.

Fig. 34.  
TAB. IV.

## THEOREMA X.

*Si ex omnibus viribus polygonii cujuscumque lateribus expressis, aliæ in directione quâdam aliæ verò in alterâ, agunt, harum vis media æqualis parallelaque est aliarum vi mediæ et in eâdem directione agit.*

Sit ABCDEFG polygonius cujus latera exprimunt vires  $P, P', P''$ , etc., agentes aliæ ex  $A$  in  $G$ , ex  $C$  in  $B$ , etc., aliæ verò ex  $E$  in  $F$ , ex  $F$  in  $G$ , etc., separatim componantur vires eodem vergentes; idcirco producatür recta  $AG$  in  $H$ , determineturque ut prius, vis media  $2HL$  virium  $BC$  et  $AG$ ; quapropter agatur  $HI=BC$  et  $HK=AG$ ; evidenterque habebitur  $IL=LK$  quia recta  $IK$  et vis media virium  $HI$  et  $HK$  sunt diagonales parallelogrammi in duabus viribus constructi; producatür vis media  $2HL$  in  $M$ , similique ratione determinetur vis media  $R'=2MQ$ , virium  $P, P'$ , et  $P''$ ; habebiturque  $NQ=QO$ . Componantur nunc vires in aliâ directione agentes; quamobrem agatur  $FK'=EF$  et  $GL'=K'L'$ ;  $2FL'$  virium

Fig. 35.  
TAB. V.

EF et FG erit vis media ; producat FL' in M' determineturque vis media  $2M'Q'$  virium  $2FL' = M'O'$ , et  $DE = M'N'$ , evidenterque habebitur  $O'Q' = Q'N'$  ; producantur denique rectæ AB et  $2M'Q'$  in S agaturque  $SS' = AB$ ,  $ST = 2M'Q'$ , et  $S'U = TU$  ;  $R'' = 2SU$  erit vis media virium  $SS'$  et  $ST$ , seu virium  $P'''$ ,  $P''$ ,  $P'$ , et  $P^v$  ; nunc demonstrandum est vires  $R'$  et  $R''$  inter se æquales et parallelas esse ; quam ob causam, agatur  $Ma = MN$ , ducatur recta  $aO$  ;  $aO$  erit æqualis parallelaque vi  $R'$  ; quum  $NQ = QO$  ; puncto D ducatur  $Db$  æqualis parallelaque rectæ  $aO$  ; ducaturque recta  $Ob$  quæ æqualis parallelaque erit rectæ  $aD$  ; rectaque  $Db$  æqualis parallelaque erit vi  $R'$  ; similiter agatur  $Sd = ST$  ; ducaturque recta  $dS'$  quæ æqualis parallelaque erit vi  $R''$  ; quum verò  $GL' = K'L'$  et  $EF = FK'$ , prodibit  $EG = 2FL' = M'O'$ , ipsique est parallela ;  $GO'$  ergo æqualis et parallela est rectæ  $EM'$  ; agatur  $De = EM'$  ;  $GO'$  evidenter æqualis parallelaque erit rectæ  $De$  ; quapropter  $DG = eO'$  ipsique est parallela : quum verò  $De = EM'$ ,  $DE = M'N'$ , et  $O'Q' = Q'N'$ , habetur

$$eO' = DG = 2M'Q' = dS ;$$

rectæque  $DG$  et  $dS$  evidenter sunt parallelæ ; sed recta  $SS'$  æqualis parallelaque est rectæ  $Gb$  ; nam puncto K ducatur  $Kc$  parallela rectæ  $HL$  ; quum  $IL = LK$  habetur  $Ih = cH$  ; quum verò  $BC = HI$  habetur  $Cc = BH$  ; necessariòque  $Kc = 2HL = MO$  ipsique est parallela ; cum verò  $CD = MN = aM$  ; habetur  $aD = CM$  ; quapropter  $CMOb$  est parallelogrammus ; rectaque  $Cb$  æqualis parallelaque est rectæ  $MO$  seu rectæ  $cK$  ; undè deducitur rectam  $bK$  æqualem parallelamque esse rectæ  $Cc$  seu rectæ  $BH$  ; quapropter  $Bb$  æqualis parallelaque est rectæ  $HK$  seu rectæ  $AG$  ; undè  $bG$  æqualis parallelaque est rectæ  $AB$  seu rectæ  $SS'$  ; cum verò  $DG$  æqualis parallelaque sit rectæ  $dS$ , inde deducitur rectam  $Db$  æqualem parallelamque esse vi  $R''$  ; quumque evidenter in eadem directione agunt, hæ vires hujus theorematis enunciato satisfaciunt.

Ut ergo totius systematis vis media determinetur, ducatur cathetus  $VS$  in vires medias  $R''$  et  $R'$  ; agaturque  $VX = SX$ , punctoque  $X$  ducatur in rectam  $VS$  cathetus  $XR = 2R'$ , hæcque cathetus vim mediam systematis evidenter exprimet ; sequendo methodum jam supra expo-

situm, facile probaretur  $R \times VS$  æquale esse duplici polygonii superficiem; quapropter litterâ A polygonii superficiem designans, prodibit

$$R = 2R' = \frac{4A}{VS}$$

ANIMADVERSIÓ. Ponamus nunc polygonii ABCDEF latera solummodò virium P, P', P'', P''', P<sup>iv</sup>, P<sup>v</sup> directionem, illarumque rationem Fig. 35 (bis)  
TAB. V. exprimere; facile probaretur vires P, P', P'', etc. Vis mediæ non esse capaces, illisque substitui posse virium par; sique litteris M et A hujus paris momentum et polygonii superficies designentur, inveniatur

$$M : 2A = P : AB = P' : BC = \text{etc.}$$

### THEOREMÁ XI.

*Si polygonii cujuscumque ABCDEF mediis lateribus applicentur vires R, R', R'', R''', R<sup>iv</sup>, R<sup>v</sup> his lateribus proportionales, et cum illis æquales angulos • efficientes, his viribus substitui potest virium par cujus momentum æquale sit producto ex duplici polygonii superficie per cos • et per rationem inter vires et latera, hoc est, virium par æquale esse*

$$2A \frac{R}{AB} \cos \bullet$$

Jamjam demonstratum fuit (1) quod si polygonii mediis lateribus applicentur vires his lateribus proportionales ipsisque catheti, has omnes vires æquilibrare. Ponatur ergò polygonii ABCDEF latera virium P, P', P'', etc. directiones exprimere, haberique Fig. 35 (bis)  
TAB. V.

$$P : P' : P'' : \text{etc.} = AB : BC : CD : \text{etc.}$$

mediis lateribus G, H, I, K, L, M applicentur vires Q, Q', Q'', Q''', etc., mutuis lateribus proportionales ipsisque orthogoniæ; hæ novæ vires minimè systema virium P, P', P'', etc. mutabunt, quibus substitui poterit virium par cujus momentum jam suprâ inventâ proportione determinari poterit; si ergò considerentur vires P, P', P'',

(1) Cours de mathématiques de Camus. Mécanique statique, tom. 1<sup>er</sup> pag. 324.

etc. tanquam punctis G, H, I, etc. applicitæ; sique viribus P et Q, P' et Q', P'' et Q'', etc., substituantur vires mediæ R, R', R'', etc., harum virium mediarum effectus idem qui virium P, P', P'', etc. erit; e consideratione verò trianguli GNO in quo  $GN = P$ ,  $NO = Q$  et  $OG = R$  prodit

$$1 : \text{tang } \omega = GN : ON = P : Q$$

ratio vero  $\frac{P}{Q}$  pro singulis viribus P' et Q', P'' et Q'', etc. constans est; quum rationes  $\frac{P}{AB}$  et  $\frac{Q}{AB}$  sint constantes; undè sequitur angulum  $\omega$  pro singulis viribus R, R', R'', etc., esse constantem, hoc est has vires æquales angulos cum mutuis polygonii lateribus efficere. Ex eodem triangulo deducitur

$$1 : \cos \omega = R : P;$$

cum ratio  $\frac{1}{\cos \omega}$  evidenter sit constans, ratio  $\frac{R}{P}$  similiter erit constans pro viribus R et P, R' et P', etc., cum verò ratio  $\frac{P}{AB}$  quoque sit constans, indè prodit rationem  $\frac{R}{AB}$  esse constantem; undè patet vires R, R', R'', etc., proportionales esse lateribus quibus sunt applicitæ, et cum his lateribus æquales formare angulos; cum vires P et Q ad libitum possint eligi, idem locum habebit pro singulis positionibus ac intensitatibus virium R, R', R'', etc.; momentum verò virium paris e compositione virium P, P', P'', etc., prodeuntis æquale est  $2A \frac{P}{AB}$  (*animad. præc.*), e triangulo verò GNO deducitur

$$P = R \cos \omega$$

quapropter momentum virium paris e compositione virium R, R', R'', etc. prodeuntis æquale erit

$$2A \frac{R}{AB} \cos \omega$$

si ponatur  $GN = P = AB$  tum habebitur

$$R \cos \omega = AB$$

viriumque paris momentum æquale fiet duplici polygonii superficiei.

Cum vires  $R, R', R'',$  etc. fiunt  $Q, Q', Q'',$  etc., hoc est, cum in latera fiunt catheti, tum

$$\cos \theta = 0$$

ipsumque virium paris momentum fit æquale 0, hoc est, tum vires inter se æquilibrare. Quod demonstraverat Camus.

## CAPUT V.

*De compositione ac resolutione virium quoquo versus in spatio directarum.*

### THEOREMA I.

*Duæ vires non parallele quarum directiones non concurrunt ad vim mediam reduci nequeunt.*

DEMONST. Sint enim  $P,$  et  $Q$  hæ duæ vires; supponaturque has duas vires vim mediam  $R$  habere posse: tunc vi æquali  $R$  ipsique contrariâ æquilibrium constituetur; et una quæcumque  $Q$  harum trium virium haberi poterit ut contraria et æqualis vi mediæ duarum aliarum virium  $P$  et  $R$ ; puncta verò applicationis virium  $P$  et  $R$  ita possunt eligi ut recta per hæc dua puncta ducta directionem vis  $Q$  non secet; quum vires  $P$  et  $Q$  non in eodem plano sitæ sint; hæc ergo vis  $Q$  non destrueretur; duæ ergo vires  $P$  et  $Q$  vim mediam habere nequeunt.

### THEOREMA II.

*Duabus viribus non parallelis quæ non concurrunt substitui possunt vis unica et virium par.*

DEMONST. Sint enim  $P$  et  $Q$  hæ duæ vires; puncto  $A$  applicentur duæ vires  $Q'$  et  $-Q'$  oppositæ, æquales inter se et vi  $Q$  ipsique parallelæ; viribus  $P$  et  $Q'$ , puncto  $A$  concurrentibus substituatur vis media  $R$ ; ex toto systemate nihil evidenter supererit nisi vis  $R,$  et

Fig. 36.  
TAB. IV.

duæ vires  $Q$  et  $-Q'$  virium par formantes, quod in quemcumque locum ipsius plani seu plani paralleli transferri potest.

## COROLLARIUM.

Vicissim, inversam sequendo viam, facile demonstrari posset vi unicæ et virium pari substitui posse duas vires non concurrentes.

## THEOREMA III.

*Numero cuicumque virium non parallelarum quæ non concurrunt, generatim substitui possunt vis unica et virium par.*

Fig. 57.  
TAB. IV.

DEMONST. Duabus enim  $P$  et  $P'$  ex his viribus substitui poterit, per theor. præc. vis unica  $Q$  et virium par; deinde viribus  $Q$  et  $P''$  similiter substituaturs vis unica  $Q'$  et virium par, et sic porrò donec omnibus viribus substitutus sit numerus quicumque virium parium et vis unica; his verò paribus per theor. VIII. cap. V. substitui potest virium par unicum; omnibus ergo viribus  $P, P', P'',$  etc. vis unica et virium par substitui possunt.

Quæramus nunc formulâs quibus determinetur vis mediâ virium  $P, P', P'',$  etc. in spatio quoquo versus directarum, et casus quibus vi æquipollente non sunt capaces, perpendamus. Quamobrem puncto quocumque  $A$  ducantur axes rectangulares  $X, Y$  et  $Z$ ; puncto  $A'$  applicationis vis  $P$  ducantur axes  $X', Y'$  et  $Z'$  aliis axibus parallelæ; litteris  $\alpha, \beta, \gamma$  designentur anguli inter directionem vis  $P$  et axes  $X', Y'$  et  $Z'$ ; resolvaturque vis  $P$  in tribus viribus secundum tres axes  $X', Y'$  et  $Z'$  directis; vires componentes secundum axes  $X', Y'$  et  $Z'$  agentes sunt  $P \cos \alpha, P \cos \beta, P \cos \gamma$ ; signaque cosin. pendent e positione vis  $P$  in octo angula triedra planis  $Y'A'Z', Y'A'X'$  et  $X'A'Z'$  formata; similiter litteris  $\alpha', \beta', \gamma'$  et  $\alpha'', \beta'', \gamma'',$  etc. designentur angula inter axes et directiones virium  $P', P'',$  etc.; resolvanturque hæ vires in tribus viribus  $P' \cos \alpha', P' \cos \beta', P' \cos \gamma', P'' \cos \alpha'', P'' \cos \beta'', P'' \cos \gamma'',$  etc. secundum axes agentibus; omnium virium systema in tria alia virium systemata, agentium secundum directiones axibus  $X, Y$  et  $Z$  parallelas, resolvetur; sint  $x, y, z, x', y', z', x'', y'', z'',$  etc. coordinatæ punctorum

$A'$ ,  $A''$ ,  $A'''$ , etc. applicationis virium respectu planorum  $YZ$ ,  $XZ$ , et  $XY$ ; litterisque  $X$  et  $Z$  coordinatæ vis mediæ virium secundum directiones axi  $Y$  parallelas agentium, et litterâ  $R'$  hæc vis media designentur; habebitur

$$R' = P \cos \beta + P' \cos \beta' + P'' \cos \beta'' + \text{etc.}$$

$$X = \frac{Px \cos \beta + P'x' \cos \beta' + P''x'' \cos \beta'' + \text{etc.}}{P \cos \beta + P' \cos \beta' + P'' \cos \beta'' + \text{etc.}}$$

$$Z = \frac{Pz \cos \beta + P'z' \cos \beta' + P''z'' \cos \beta'' + \text{etc.}}{P \cos \beta + P' \cos \beta' + P'' \cos \beta'' + \text{etc.}}$$

Similiter litteris  $X'$  et  $Y'$  coordinatæ vis mediæ virium secundum directionem axi  $Z$  parallelam agentium, hæcque vis media litterâ  $R''$  designentur; prodibit

$$R'' = P \cos \gamma + P' \cos \gamma' + P'' \cos \gamma'' + \text{etc.}$$

$$X' = \frac{Px \cos \gamma + P'x' \cos \gamma' + P''x'' \cos \gamma'' + \text{etc.}}{P \cos \gamma + P' \cos \gamma' + P'' \cos \gamma'' + \text{etc.}}$$

$$Y' = \frac{Py \cos \gamma + P'y' \cos \gamma' + P''y'' \cos \gamma'' + \text{etc.}}{P \cos \gamma + P' \cos \gamma' + P'' \cos \gamma'' + \text{etc.}}$$

Litteris denique  $Y''$  et  $Z''$  coordinatas vis mediæ virium secundum axem  $X$  agentium, ipsamque vim mediam litterâ  $R'''$  designando, habebitur

$$R''' = P \cos \alpha + P' \cos \alpha' + P'' \cos \alpha'' + \text{etc.}$$

$$Y'' = \frac{Py \cos \alpha + P'y' \cos \alpha' + P''y'' \cos \alpha'' + \text{etc.}}{P \cos \alpha + P' \cos \alpha' + P'' \cos \alpha'' + \text{etc.}}$$

$$Z'' = \frac{Pz \cos \alpha + P'z' \cos \alpha' + P''z'' \cos \alpha'' + \text{etc.}}{P \cos \alpha + P' \cos \alpha' + P'' \cos \alpha'' + \text{etc.}}$$

Sic toti systemati substitutæ sunt tres vires  $R'$ ,  $R''$ , et  $R'''$  axibus  $Y$ ,  $Z$  et  $X$  parallelæ punctisque (*e. g.*)  $B$ ,  $C$  et  $D$  applicitæ. Ut perpendicularantur varii casus qui locum habere possunt pro virium intensitate et directione, puncto  $D$  applicentur duæ vires oppositæ  $r'''$  et  $-r'''$  inter se æquales ipsique  $R'''$ , axique  $Z$  parallelæ; viribus  $R'''$  et  $r'''$  substituatur vis media; hæc vis media planum  $XY$  puncto  $E$  secabit; punctoque  $E$  vis media resolvatur in duas vires  $R_{,,,} = R'''$  axique  $X$  parallelam, et  $r_{,,,} = r'''$  et in planum  $XY$  verticalem; evidens est distantiam punctorum  $D$  et  $E$  ad planum  $XZ$  eandem

esse, cum  $DR'''$  et  $Dr'''$  parallelæ sint plano  $XZ$ ; hæc distantia verò est  $Y''$ ; cumque  $r''' = R'''$ , vis media  $DE$  angulum  $GDR'''$  bissecabit; quapropter ang.  $GDE = GED$  et  $DG = EG$ ; at  $DG = Z''$ ; unde distantia puncti  $E$  ad planum  $YZ$  æqualis est  $Z''$ . Similiter puncto  $B$  applicentur vires oppositæ  $r'$  et  $-r'$  inter se æquales ipsique  $R'$ , axique  $Z$  parallelæ; viribusque  $R'$  et  $r'$  substituatur vis media quæ puncto  $F$  planum  $XY$  secabit, huicque puncto resolvatur vis media in duas vires  $R_1 = R'$  axique  $Y$  parallelam et  $r_1 = r'$  et in planum  $XY$  verticalem; facilè probaretur, ut priùs, distantiam puncti  $F$  ad planum  $YZ$  æqualem esse  $X$ , et  $HF = BH = Z$ ; quibus actis, viribus  $R', R''$  et  $R'''$  substitutæ sunt novæ vires quarum aliæ in planum  $XY$  sunt verticales, aliæ verò in plano ipso sitæ, et axibus  $X$  et  $Y$  parallelæ; momentorum ope quæratu vis media virium in planum  $XY$  verticalium, quapropter litterâ  $V$  harum virium vim mediam designans, habebitur:

$$V = R'' + (-r') + (-r''') - r_1 - r_{111} = R''$$

litterisque  $X'''$  et  $Y'''$  designans coordinatas vis mediæ  $V$ , animadvertensque  $AH = X$ ,  $AG = Y''$  habebitur:

$$X''' = \frac{R''X' + (-r')X - r_1X - r_{111}Z''}{V} = \frac{R''X' - R'''Z''}{R''}$$

$$Y''' = \frac{R''Y' + (-r''')Y'' - r_{111}Y'' - r_1Z}{V} = \frac{R''Y' - R'Z}{R''};$$

Componamus nunc vires in plano  $XY$  sitas; quum vires  $R_1$  et  $R_{111}$  parallelæ sint axibus  $Y$  et  $X$ , orthogonales sint, necesse est; quapropter litterâ  $U$  vim mediam designans, habebitur

$$U = \sqrt{R_1^2 + R_{111}^2} = \sqrt{R'^2 + R'''^2}$$

litterâque  $\alpha$  designans angulum  $R_{111}KU$ , prodibit

$$\text{tang } \alpha = \frac{R_1}{R_{111}} = \frac{R'}{R'''}$$

Quæramus nunc vis mediæ  $U$  æquationem: idcirco puncto quocumque  $L$  vis mediæ agantur catheti  $LM$  et  $LN$  in axes  $X$  et  $Y$ ; designenturque hæ catheti litteris  $x$  et  $y$ , inveniatur

$$LP : LQ = R_{111} : R,$$

seu



( 41 )

$$x - MP : y - NQ = R''' : R'$$

cumque

$$MP = AH = X \text{ et } NQ = AG = Y'',$$

$$x - X : y - Y'' = R''' : R'$$

unde

$$x - X = \frac{R'''}{R'} (y - Y'')$$

quæ est vis mediæ U æquatio.

Ut toti systemati vis media substitui possit, evidenter oportet ut vis media V virium in planum XY verticalium in quocumque puncto vim mediam U secet; quapropter oportet ut coordinatæ X''' et Y''' vis mediæ V, æquationi vis mediæ U satisfaciant, ut systema vis mediæ sit capax; habebitur ergo

$$X''' - X = \frac{R'''}{R'} (Y''' - Y'')$$

unde

$$\frac{R''X' - R'''Z''}{R''} - X = \frac{R'''}{R'} \left( \frac{R''Y' - R'Z}{R''} - Y'' \right)$$

unde deducitur

$$R'R'' (X - X') + R''R''' (Y' - Y'') + R'R''' (Z'' - Z) = 0.$$

Quotiescumque ergo hæc æquatio locum habebit, systema vis mediæ erit capax, hæcque vis mediæ æquabit

$$\sqrt{U^2 + V^2} = \sqrt{R'^2 + R''^2 + R'''^2}$$

ejusque punctum applicationis determinabitur coordinatis X''' et Y''', facillimæque consideratione ejus directio potest assignari.

Notandum est in omnibus quæ suprâ dicta sunt suppositum fuisse vires componentes parallelas axibus X, Y et Z, viribus mediis esse capaces illisque substitui non posse virium paria; tum enim systema vis mediæ capax non foret, dum æquatio conditionalis locum haberet; si enim viribus axibus parallelis substitui possent tria virium paria, tunc haberetur

$$R' = 0, R'' = 0, R''' = 0$$

æquatioque conditionalis locum haberet, dum facillè perspicitur potest systemati substitui non posse vim unicam, sed virium par. Similiter si vires axibus X et Y parallelæ, vis mediæ non essent capaces, haberetur

$$R' = 0, R''' = 0$$

æquatioque locum haberet dum systemati substitui non posset vis unica; si vero æquatio

$$R'R''(X-X') + R''R'''(Y'-Y'') + R'R'''(Z''-Z) = 0$$

Fig. 38.  
TAB. IV.

non locum haberet, systema vis mediæ non foret capax, ipsique substitui possent vis unica et virium par quæ facillè possunt determinari: ponamus enim vim mediam virium axi  $Z$  parallelarum puncto  $E$  planum  $XY$  secare; ponamusque  $R$  esse vim mediam virium  $R'$  et  $R'''$ ; litteris  $a$  et  $b$  designentur tangens trigonometrica anguli  $RBR'''$  et distantia  $Aa$ ; hujus vis mediæ æquatio erit (1)

$$Y'' = aX + b$$

e puncto  $E$  in rectam  $BR$  demittatur cathetus  $EH$ ; quum ordinatæ  $EF$  et  $EG$  æquales sint  $X'''$  et  $Y'''$  quumque jam supra demonstratum sit

$$X''' = \frac{R''X' - R'''Z''}{R''}$$

$$Y''' = \frac{R''Y' - R'Z}{R''}$$

habebitur

$$EH = \frac{Y''' - aX''' - b}{\sqrt{1+a^2}}$$

jam vero vidimus  $a = \frac{R'}{R''}$  et habetur

$$b = Y'' - aX;$$

quapropter

$$EH = \frac{Y''' - \frac{R'}{R''}X''' - Y'' + \frac{R'}{R''}X}{\sqrt{1 + \frac{R'^2}{R''^2}}}$$

unde

$$EH = \frac{R'R''(X-X') + R''R'''(Y'-Y'') + R'R'''(Z''-Z)}{R''\sqrt{R''^2 + R'^2}};$$

Puncto  $H$  resolvatur vis  $R$  in duas vires —  $R''$  et  $V$  quarum una

(1) Biot, essai de géométrie analytique, appliquée aux courbes et aux surfaces du second ordre.

æqualis sit et parallela vi  $R''$  et in directione opposita agat; evidenter erit

$$V = \sqrt{R''^2 + R^2} = \sqrt{R^2 + R''^2 + R'''^2}$$

punctumque applicationis hujus vis determinatur formulis

$$x = X''' + \frac{(Y''' - aX''' - b) a}{1 + a^2}$$

$$y = Y''' - \frac{Y''' - aX''' - b}{1 + a^2};$$

$x$  et  $y$  sunt coordinatæ puncti H; viriumque paris momentum æquale foret

$$\begin{aligned} R'' \times EH &= \frac{[R'R''(X-X') + R''R'''(Y'-Y'') + R'R'''(Z''-Z)]}{R'' \sqrt{R'''^2 + R^2}} R'' \\ &= \frac{R'R''(X-X') + R''R'''(Y'-Y'') + R'R'''(Z''-Z)}{\sqrt{R'''^2 + R^2}} \end{aligned}$$

si duæ vires  $R$  et  $R''$  sese invicem secarent, tum haberetur  $EH=0$ , seu

$$R'R''(X-X') + R''R'''(Y'-Y'') + R'R'''(Z''-Z) = 0$$

quæ est conditio necessaria jam suprâ inventa ut systema sit vis mediæ capax; ea conditio virium par evanescit; cum numerator fractionis virium par exprimentis fit æquale 0. Generatim ergo dici potest, numero cuicumque virium quoquo versus in spatio directarum, substitui posse vim unicam æqualem

$$\sqrt{R^2 + R''^2 + R'''^2}$$

et virium par cujus momentum æquale sit

$$\frac{R'R''(X-X') + R''R'''(Y'-Y'') + R'R'''(Z''-Z)}{\sqrt{R'''^2 + R^2}}$$

Ponamus nunc omnes vires  $P$ ,  $P'$ ,  $P''$ , etc., in eodem plano XY esse sitas; ut hæc conditio in formulis introducatur, evidenter supponendum est  $z=0$ ,  $z'=0$ ,  $z''=0$ , etc.,  $\cos \gamma=0$ ,  $\cos \gamma'=0$ ,  $\cos \gamma''=0$ , etc., formulæque supra inventæ fiunt

$$R' = P \cos \beta + P' \cos \beta' + P'' \cos \beta'' + \text{etc.}$$

$$R''' = P \cos \alpha + P' \cos \alpha' + P'' \cos \alpha'' + \text{etc.}$$

$$X = \frac{Px \cos \beta + P'x' \cos \beta' + P''x'' \cos \beta'' + \text{etc.}}{P \cos \beta + P' \cos \beta' + P'' \cos \beta'' + \text{etc.}}$$

$$Y = \frac{Py \cos \alpha + P'y' \cos \alpha' + P''y'' \cos \alpha'' + \text{etc.}}{P \cos \alpha + P' \cos \alpha' + P'' \cos \alpha'' + \text{etc.}}$$

$$R = \sqrt{R'^2 + R''^2}$$

$$\cos (R, X) = \frac{R'''}{\sqrt{R'^2 + R''^2}}.$$

## THEOREMA IV.

*Si omnes, systematis cujuscumque, vires, primitivis directionibus paralleliter transferuntur, ita ut hæ vires forment polygonium quemcumque curvum seu planum, latus hunc polygonium claudens, vis mediæ systematis virium intensitatem exprimet, ipsique erit parallelum.*

Sint enim P, P', P'', etc., vires quocumque modo in spatio directæ;  $\alpha, \alpha', \alpha'', \text{etc.}, \beta, \beta', \beta'', \text{etc.}, \gamma, \gamma', \gamma'', \text{etc.}$ , anguli inter vires et tres axes X, Y et Z; in punctum A coordinatarum originem, punctum applicationis vis P ipsius primitivæ directioni parallelæ manentis, transferatur; sit A' altera vis P extremitas; hujus puncti coordinatæ evidenter sunt P cos  $\alpha$ , P cos  $\beta$ , et P cos  $\gamma$ ; in punctum A' transferatur punctum applicationis vis P'; ipsius directioni primitivæ parallelæ manentis; sit A'' hujus vis extremitas; hujus puncti coordinatæ respectu novorum axium puncto A' ductorum et axibus X, Y et Z parallelorum sunt evidenter P' cos  $\alpha'$ , P' cos  $\beta'$ , P' cos  $\gamma'$ ; cum verò puncti A' coordinatæ sint P cos  $\alpha$ , P cos  $\beta$ , P cos  $\gamma$ , puncti A'' coordinatæ respectu axium X, Y, Z erunt

P cos  $\alpha$  + P' cos  $\alpha'$ , P cos  $\beta$  + P' cos  $\beta'$ , P cos  $\gamma$  + P' cos  $\gamma'$ .

Similiter probaretur coordinatas extremitatis ultimæ vis esse

$$x = P \cos \alpha + P' \cos \alpha' + P'' \cos \alpha'' + \text{etc.}$$

$$y = P \cos \beta + P' \cos \beta' + P'' \cos \beta'' + \text{etc.}$$

$$z = P \cos \gamma + P' \cos \gamma' + P'' \cos \gamma'' + \text{etc.}$$

distantia ergo hujus puncti ad coordinatarum originem erit latus polygonium claudens, qui æquat

$$\sqrt{x^2 + y^2 + z^2};$$

si vero valores coordinatarum  $x, y$  et  $z$  attenté considerentur,

spontè patet illas exprimere summas virium componentium virium P, P', P'', etc., secundum tres axes X, Y Z agentium, quapropter

$$x = R', y = R'', z = R'''$$

latusque polygonium claudens fiet

$$\sqrt{R'^2 + R''^2 + R'''^2}$$

quod est vis mediæ R valor in præcedenti theoremate inventa. Directio hujus lateris evidenter est parallela vis mediæ R directioni, cum cosin. inter latus et axes æquent cosin. inter vim R et axes. Si polygonius clauderetur, tunc foret

$$\sqrt{x^2 + y^2 + z^2} = \sqrt{R'^2 + R''^2 + R'''^2} = R = 0;$$

tum scilicet systema statu æquilibrii gauderet, seu ipsi tantum virium par substitui posset; si ergò polygonius cujus latera expriment systematis cujuscumque vires primitivis directionibus paralleliter translatas, clauditur, tum systema æquibrat, vel soli virium pari æquipollet. Si omnes vires concurrunt, tum evidenter systema, virium pari non æquipollet, viresque æquilibrant, ut jamjam fuit probatum. (cap. 5 prob. 1 adnot.)

Ex omnibus quæ supra dicta sunt concludi potest vis mediæ intensitatem et directionem minimè pendere a virium componentium positione relativâ; nam si virium directiones ita mutantur ut primitivis directionibus parallelæ maneant, latus polygonium his viribus formatum claudens, semper idem erit; quapropter vis mediæ intensitas et directio eadem manebunt; ipsius tantum punctum applicationis erit mutatum.

Conditio quâ exprimitur vim mediam R evanescere non sufficit ut virium systema æquibret; hæc enim conditio tantum exprimit omnem translationis motum abesse; non verò exprimit systema motu rotatili non affici; at ne a propositâ materiâ nimis discedamus, conditionales æquationes non perpendemus, sequentem verò demonstrationem cohærentiæ quæ inter systematis vires et minimas variationes quæ ipsi causâ quâcumque imprimuntur, existit, dare tentabimus. Principium de quo sermo est, congruere videtur cum mechanicæ principio cui nomen *principium celeritatum virtualium*, quod Guido Ualdi primus in vecte necnon in trochleâ

mobili obtinere animadvertit, quodque immortalis Galileus uti generalem machinarum æquilibrii proprietatem agnovit, et quod postea Fossombrony, Carnot, Lagrange, Laplace, Prony, Poisson et Ampere demonstravere, quorumque demonstrationes in scholâ mathematicâ a doctissimo professore Garnier recensitæ fuerunt.

Fig. 14.  
TAB. I.

Consideretur M tanquam punctum applicationis vis cujuscumque P, ponamusque MN in axem X esse cathetum; si axis X minimâ quantitate mutatur, fitque X', cathetus MN fiet Mn; si e puncto n in axem X demittatur cathetus nr, Nr erit puncti M secundum axem X *variatio*; idemque pro axibus Y et Z locum habebit; ut major axium motui sit uniformitas, ponamus unum e tribus axibus vicissim immotum manere, duosque alios axes circum punctum A rotare; ponamus primò axem Z immotum manere axesque X et Y circum punctum A rotare ita ut angulus X'AX æqualis sit  $\epsilon$ , determinanda est linea Nr; litteris x, y et z puncti M coordinate, litterisque  $\alpha$ ,  $\beta$  et  $\gamma$  anguli inter vis P directionem et axes, designentur, e triangulo Anr deducitur

$$Ar = An \cos. \epsilon;$$

e triangulo verò AMn eruitur

$$An = AM. \cos. MAN;$$

at ex angulo triedro AMrn, formulâ quâdam trigonometriæ sphericæ, deducitur

$$\cos. MAN = \cos. \epsilon \cos. \phi + \sin. \epsilon \sin. \phi \cos. A$$

litterâ  $\phi$  angulum MAX, litterâque A, angulum diedrum planis MAX et YAX seu XAX' formatum, designando; facile verò probaretur

$$\cos. A = \frac{y}{AM \sin. \phi}$$

quapropter

$$\cos. MAN = \cos. \epsilon \cos. \phi + \frac{\sin. \epsilon \cdot y}{AM}$$

unde

$$Ar = AM \cos. \epsilon \cos. \phi + \cos. \epsilon \sin. \epsilon \cdot y;$$

habetur verò

$$\cos. \epsilon = 1, \sin. \epsilon = \epsilon, AM \cos. \phi = AN = x;$$

quapropter

$$Ar = x + iy;$$

litteris  $\Delta x$  designatur variatio Nr secundum axem X; habebitur

$$\Delta x = Ar - AN = iy;$$

similiter probaretur

$$\Delta y = ix;$$

si vero quantitas  $\Delta x$  tanquam positiva habetur, quantitas  $\Delta y$  evidenter tanquam negativa haberi debet, quia  $\Delta x$  rectam AN seu ordinatam  $x$  auget, dum quantitas  $\Delta y$  ordinatam  $y$  minuit; si ponatur tres axes vicissim circum axes Y et X rotare; litteris  $i'$  et  $i''$  anguli minimi inter axes variatos et axes primitivos, litterisque  $\Delta'x$ ,  $\Delta'z$ , et  $\Delta''y$ ,  $\Delta''z$  puncti M coordinatarum variationes in axibus Y et Z, his duobus motibus productæ, designentur, inveniatur

$$\Delta x = iy, \Delta'x = i'z, \Delta''y = -i''z$$

$$\Delta y = -ix, \Delta'z = -i'x, \Delta''z = i''y;$$

similiter pro vi P' inveniretur

$$\Delta x' = iy', \Delta'x' = i'z', \Delta''y' = -i''z'$$

$$\Delta y' = -ix', \Delta'z' = -i'x', \Delta''z' = i''y';$$

ponamus nunc coordinatarum originem A minimam quantitate mutari; litterisque  $\delta X$ ,  $\delta Y$  et  $\delta Z$ , hujus puncti variationes secundum axes designentur; has omnes variationes in mutuarum virium directiones projiciamus, illasque ipsam vi ducamus; ut illæ in vim projiciantur, tantum ducendæ sunt cosinu inter axem et vim; quapropter litteris  $p$ ,  $p'$ ,  $p''$ , etc., summam projectionum in vires P, P', P'', etc. designando, habebitur

$$\begin{aligned} Pp + P'p' + P''p'' + \text{etc.} &= P\Delta x \cos \alpha - P\Delta y \cos \beta - P\Delta'x \cos \alpha + P\Delta'z \cos \gamma \\ &+ P\Delta''y \cos \beta - P\Delta''z \cos \gamma + P'\Delta x' \cos \alpha' - P'\Delta y' \cos \beta' + \text{etc.} \\ &+ P\delta X \cos \alpha + P\delta Y \cos \beta + P\delta Z \cos \gamma + P'\delta X' \cos \alpha' + \text{etc.} \\ &= i[P\{y \cos \alpha - x \cos \beta\} + P'\{y' \cos \alpha' - x' \cos \beta'\} + \text{etc.}] \\ &+ i'[P\{x \cos \gamma - z \cos \alpha\} + P'\{ \quad \quad \} + \text{etc.}] \end{aligned} \quad (1)$$

$$\begin{aligned} &+ i''[P\{y \cos \gamma - z \cos \beta\} + P'\{ \quad \quad \} + \text{etc.}] + \delta X \{P \cos \alpha + P' \cos \alpha' + \text{etc.}\} \\ &+ \delta Y \{P \cos \beta + P' \cos \beta' + \text{etc.}\} + \delta Z \{P \cos \gamma + P' \cos \gamma' + \text{etc.}\} \end{aligned}$$

si vires P, P', P'', etc., inter se æquilibrarent, tum haberentur æquationes

$$P \{y \cos \alpha - x \cos \beta\} + P' \{y' \cos \alpha' - x' \cos \beta'\} + \text{etc.} = 0$$

$$P \{x \cos \gamma - z \cos \alpha\} + P' \{x' \cos \gamma' - z' \cos \alpha'\} + \text{etc.} = 0$$

$$P \{y \cos \gamma - z \cos \beta\} + P' \{y' \cos \gamma' - z' \cos \beta'\} + \text{etc.} = 0$$

$$P \cos \alpha + P' \cos \alpha' + P'' \cos \alpha'' + \text{etc.} = 0$$

$$P \cos \beta + P' \cos \beta' + P'' \cos \beta'' + \text{etc.} = 0$$

$$P \cos \gamma + P' \cos \gamma' + P'' \cos \gamma'' + \text{etc.} = 0$$

quotiescumque ergo systema æquilibrabit, habebitur

$$Pp + P'p' + P''p'' + P'''p''' + \text{etc.} = 0 \quad (2)$$

vicissim quotiescumque æquatio (2) locum habebit, systema æquilibrio gaudebit; nam cum quantitates  $\epsilon, \epsilon', \epsilon'', \delta X, \delta Y, \delta Z$  nullâ inter se ratione jungantur, secundum æquationis (1) membrum, non per has quantitates, sed per illarum coefficientes evanescere debet; hæ ergo coefficientes ad 0 adæquari debent, æquationesque æquilibrii iterum præbent; quotiescumque ergo habebitur

$$Pp + P'p' + P''p'' + P'''p''' + \text{etc.} = 0$$

in systemate æquilibrium obtinebit.

## DE COMPOSITIONE AC RESOLUTIONE MOTUUM.

### PARS ALTERA.

**O**Mnis mutatio sitûs respectu quorundam punctorum quæ fixa supponuntur, efficitur motu; hicque motus producitur vi quâdam externâ corpori applicitâ; lex verò inertiae nos docet omne corpus in statu suo quietis aut motûs perseverare donec per vim quamdam externam a statu vero ad alium statum transire cogatur; nam cum omne corpus per se iners sit, statum quietis per se in motum mutare nequit; similiter corpus ad statum motûs adductum



in hoc statu perseverat donec vi externâ status mutetur; quotidie enim animadvertimus, corpus quoddam, impulsione motum, eò diutius moveri, quò accuratius omnia quæ obstant et motum impediunt, removentur; indè ergò deduci potest, si hæc impedimenta omninò amoverentur, corpus motum, statum suum non mutaturum esse: similiter corpus, impulsione motum, secundùm lineam rectam moveatur, necesse est, hæcque linea directionem vis quâ ad statum motûs adducitur, designat; si enim ab hâc lineâ rectâ aberraret, nulla foret causâ cur potius ex unâ parte hujus directionis quàm ex alterâ moveretur. Ex eâdem lege inertiae spontè sequitur corpus motum, in quocumque motûs tempore semper in iisdem conditionibus inveniri, dummodò nullâ vi externâ status mutetur; nam cum corpus per se nihil statui suo mutare possit, quùmque nullâ vi externâ mutetur, motus semper idem esse debet; hoc est, corpus motum, temporibus æqualibus æqualia absolvere spatia, spatiumque per temporis unitatem absolutum dicitur corporis *celeritas*; hicque motus dicitur uniformis et producitur percussione momentaneâ corporis movendi; in hoc motu spatium absolutum æquale est producto celeritatis per tempus; quum singulis temporis unitatibus æqualia absolvat spatia; si ergo designantur litteris *s*, *c* et *t* spatium, celeritas et tempus, habebitur

$$s = tc.$$

In iis omnibus quæ in præcedentibus capitibus dicta sunt, solummodò vires inter se comparavimus, nunc verò perpendamus si, cognito corporis motu, seu cognitâ vi quâ motus producitur, possibile sit, in primo casu, vim, et in secundo, motum agnoscere; idcirco animadvertendum est vim quamcumque solummodo ejus effectum æstimari posse, hoc est, spatium quod corpus cui est applicata, per quoddam tempus determinatum percurrit; unde deduci posset hoc spatium vis intensitatem demetiri posse; quod a priori rigidè probari nequit, quùm nihil de virium naturâ cognoscamus; consensus verò phænomenorum quæ in rerum naturâ observantur cum corollariis ex hâc hypothese deductis ipsique incumbentibus satis comprobant illam hypothese tanquam probatam haberi posse; quapropter supponemus

probatum esse vires motrices inter se esse uti motuum celeritates; omnia ergo quæ dicta sunt de compositione ac resolutione virium dici possunt de compositione ac resolutione motuum. Si (*ex. gr.*) plurimæ vires eodem puncto sunt applicitæ et in eadem directione agunt, motus medius æquabit summam motuum componentium; litteris enim  $P, P', P'',$  etc. designando has vires, litterisque  $C, C', C'',$  etc. celeritates his viribus impressas, habebitur

$$P : P' : P'' , \text{ etc.} = C : C' : C'' , \text{ etc.}$$

unde

$$P + P' + P'' + \text{etc.} : C + C' + C'' + \text{etc.} = P : C$$

litterisque  $R$  et  $V$  exprimendo vim mediam et motum medium, similiter habebitur

$$R : V = P : C$$

quia  $\frac{P}{C}$  exprimit constantem rationem inter vim et celeritatem; quapropter

$$V = C + C' + C'' + \text{etc.}$$

hoc est corpus motum, eodem tempore absolvere spatium æquale summæ spatiorum quæ corpus, si motum fuisset separatim per idem tempus singulis viribus, absolvisset. Si quædam vires in directione contrariâ agerent, celeritas media evidenter æqualis foret differentiæ celeritatum contrariarum; similiter corpus duabus viribus angulum includentibus impulsus, sequetur directionem diagonalem parallelogrammi formati in spatia quæ singulæ vires eodem tempore absolvissent, hanc diagonalem evidenter motu uniformi percurreret, et eodem tempore absolveret quo unum e duobus lateribus vi respectivâ absolutum fuisset; celeritas ergo media et celeritas componens inter se sunt uti diagonalem parallelogrammi ad latus respectivum. Eadem dici possunt de numero quocumque virium quoquo versus directarum.

Suprà vidimus motum de quo agitur produci percussione momentaneâ; ponamus nunc vim communicantem motum actionem non desinere continuòque in corpus motum agere; tum in primo temporis momento celeritas æqualis erit celeritati a vi motrice productæ; in secundo verò motus haberi debeat tanquam com-

positus ex celeritate jam communicatâ, et novâ celeritate æquali priori, iterum productâ, et sic porro; ita ut singulis temporis momenti novæ jungantur celeritates inter se æquales; talis motus dicitur uniformiter acceleratus: litterâ  $g$  designans hanc constantem celeritatem, litterâque  $t$  tempus per quod hæ novæ celeritates junctæ fuere, hoc est numerum harum æqualium celeritatum, litterâque  $c$  celeritatem hisce celeritatibus productis, tempore  $t$  elapso, habebitur

$$c = gt$$

hoc est, tempore  $t$  elapso ex motûs origine, celeritatem esse æqualem  $gt$ . Quæramus nunc spatium per hoc tempus absolutum; designetur hoc spatium littera  $s$ ; quum hoc spatium auget seu minuit, ubi tempus  $t$  auget seu minuit, habebitur  $s = ft$ ; si vero tempus  $t$  quantitate minimâ  $dt$  augetur, tum spatium  $s$  similiter augeri debet quantitate  $ds$ ; hæcque quantitas exprimet spatium per tempus minimum  $dt$  absolutum; per tempus verò minimum  $dt$  motus considerari potest tanquam exactè uniformis, et productus celeritate  $c$  quæ locum habet, tempore  $t$  elapso; quum ergo  $s = tc$ , similiter habebitur

$$ds = cdt = gtdt$$

hancque æquationem integrando, inveniatur

$$s = \frac{gt^2}{2} + E$$

quantitas constans  $E$  est spatium absolutum priusquam consideretur tempus; si verò supponimus tempus ex motûs origine considerari, habebitur  $E = 0$ , unde

$$s = \frac{gt^2}{2};$$

si quantitas  $g$  positiva est, tunc motus dicitur uniformiter acceleratus; si verò hæc quantitas negativa est, tum motus dicitur uniformiter retardatus; jam supra leges compositionis ac resolutionis motuum uniformium consideravimus; quæramus nunc leges compositionis ac resolutionis motuum uniformiter acceleratorum seu retardatorum; ponamus primò punctum quoddam duobus motibus uniformiter acceleratis, et in eadem directione agentibus moveri; horum duorum motuum æquationes erunt

$$c = gt$$

$$c' = g't$$

$$s = \frac{1}{2}gt^2$$

$$s' = \frac{1}{2}g't^2$$

quum in punctum applicationis simul agant, hoc punctum singulis temporis momentis movebitur celeritate æquali summæ celeritatum, ipso momento duobus motibus productarum; quapropter celeritas media erit

$$c + c' = (g + g')t;$$

litteraque E designans spatium hæc celeritate mediâ absolutum, inveniatur

$$E = \frac{1}{2}(g + g')t^2;$$

si verò duo motus in directionibus directè oppositis agerent, similiter invenièretur celeritatem mediam æqualem esse

$$c - c' = (g - g')t \text{ et } E = \frac{1}{2}(g - g')t^2;$$

simili argumento probaretur celeritatem mediam motûs uniformiter accelerati et motûs uniformis æqualem esse summæ seu differentię celeritatum componentium, pro directione motuum; æquationeque

$$s = ct$$

designans motum uniformem, æquationibusque

$$s = \frac{1}{2}gt^2 \text{ et } c = gt$$

motum uniformiter acceleratum, litterisque E et V spatium absolutum per tempus  $t$  motu medio, et celeritatem mediam, inveniuntur

$$E = \frac{1}{2}gt^2 \pm ct, \quad V = gt \pm c;$$

hucusque duos tantum motus composuimus; cum verò hic motus medius cum tertio quocumque motu componi possit, et sic porrò, inde concludi potest, illa quæ de duobus motibus dicta sunt, dici posse de numero quocumque motuum.

Perpendamus nunc casum quo duo motus uniformiter accelerati eodem puncto applicentur, illorumque directiones angulum includunt; hi duo motus componi possunt in unicum motum æquipollentem; ponamus enim hos motus agere secundum duos axes X et Y quæ rectangulares supponuntur (1); æquationes motuum secundum axes X et Y erunt

(1) Hic supponimus motus componentes secundum axes rectangulares esse directos, quia ferè nunquam alio modo considerari debent; demonstrationique mutationes consentaneas considerationum discrimini agendo, facile probari posset idem locum habere etiam si motuum directiones orthogonales non forent.

$$x = \frac{1}{2}gt^2, \quad y = \frac{1}{2}ht^2;$$

inter has duas æquationes tempus eliminando, inveniatur

$$t^2 = \frac{2x}{g} = \frac{2y}{h}; \quad \text{undè } x = \frac{g}{h} y$$

quæ est æquatio motûs medii; quùm hæc æquatio ad lineam rectam pertineat, indè prodit motum medium duorum motuum uniformiter acceleratorum, secundùm lineam rectam esse directum; exque æquationis formâ concluditur motum medium secundùm diagonalem parallelogrammi rectis  $x$  et  $y$  formati, esse directum; designetur litterâ  $r$  pars directionis motûs medii cujus coordinatæ sunt  $x$  et  $y$ ; necessariò habebitur

$$r = \sqrt{x^2 + y^2} = \frac{1}{2}t^2 \sqrt{g^2 + h^2}$$

quæ est æquatio motûs uniformiter accelerati cujus celeritas constans est  $\sqrt{g^2 + h^2}$ , hoc est, celeritas media celeritatum constantium motuum componentium; diagonalis ergò parallelogrammi rectis  $x$  et  $y$  formati, absolvetur motu uniformiter accelerato; facilèque perspici potest hunc motum esse motum medium motuum componentium; quapropter motus medius duorum motuum uniformiter acceleratorum necessariò ipse est motus uniformiter acceleratus cujus constans celeritas, æqualis est  $\sqrt{g^2 + h^2}$  et celeritas motûs post tempus  $t$ , æqualis erit  $t \sqrt{g^2 + h^2}$ ; litteris  $\alpha$  et  $\beta$  designans angula inter motûs medii directionem et duos axes X et Y, evidenter habebitur

$$g = \cos \alpha \sqrt{g^2 + h^2}, \quad h = \cos \beta \sqrt{g^2 + h^2}.$$

Ex his quæ suprâ dicta sunt concludi potest motum quemcumque uniformiter acceleratum cujus æquationes forent

$$s = \frac{1}{2}rt^2, \quad c = rt$$

resolvi posse in duos alios motus secundùm axes rectangulares directos, quorumque celeritates constantes forent

$$g = r \cos \alpha, \quad h = r \cos \beta$$

illorumque motuum componentium æquationes fornt

$$\begin{aligned} \frac{1}{2}t^2 r \cos \alpha & \quad \frac{1}{2}t^2 r \cos \beta \\ tr \cos \alpha & \quad tr \cos \beta \end{aligned}$$

similem sequendo viam, probari posset tribus motibus uniformiter acceleratis secundum tres axes orthogonales directis substitui posse unicum motum uniformiter acceleratum et secundum lineam rectam directum, vicissimque motum quemcumque uniformiter acceleratum resolvi posse in tres alios motus uniformiter acceleratos secundum tres axes rectangulares directos; litterisque  $\alpha, \beta, \gamma$  designando angula inter directionem motus et tres axes X, Y et Z, litteris  $g, h, k$  et  $r$  celeritates constantes motuum agentium secundum axes X, Y et Z, et constantem celeritatem motus medii, litteris  $x, y, z$  et  $s$  spatia absoluta celeritatibus  $g, h, k$  et  $r$  per tempus  $t$ , et litteris  $c, c', c''$  et  $C$  celeritates acquisitas, eodem tempore elapso, a tribus motibus secundum axes, et a motu medio, inveniuntur formulæ

$$c = gt, c' = ht, c'' = kt, C = t\sqrt{g^2 + h^2 + k^2}$$

$$x = \frac{1}{2}gt^2, y = \frac{1}{2}ht^2, z = \frac{1}{2}kt^2$$

$$g = r \cos \alpha, h = r \cos \beta, k = r \cos \gamma$$

$$s = \sqrt{x^2 + y^2 + z^2} = \frac{1}{2}t^2\sqrt{g^2 + h^2 + k^2}, r = \sqrt{g^2 + h^2 + k^2}.$$

Omnibus quæ suprâ dicta sunt resumptis, clarum est numero cuiuscumque motuum seu uniformium seu uniformiter mutatorum eodem puncto concurrentium substitui posse tres alios motus secundum axes rectangulares directos, compositosque ex motibus uniformibus et motibus uniformiter mutatis.

Consideremus nunc diversas circostantias motus puncti mobilis, systemate quocumque motuum uniformium, uniformiter acceleratorum et retardatorum moti; jam suprâ vidimus singulos motus resolvi posse in tres alios motus secundum tres axes rectangulares directos; omnesque motus uniformiter mutati secundum eundem axem agentes in unum componi possunt; idemque dici potest de omnibus motibus uniformibus; quapropter litteris  $x, y$  et  $z$  designando spatia juxta tres axes absoluta, tempore  $t$  elapso, generatim habebitur

$$x = \frac{1}{2}gt^2 + ct + s, y = \frac{1}{2}g't^2 + c't + s', z = \frac{1}{2}g''t^2 + c''t + s''$$

$$V = gt + c \quad V' = g't + c' \quad V'' = g''t + c''$$

$s, s', s''$  constantes sunt quæ pendent a positione puncti e quo

consideratur tempus, et quæ exprimunt distantiam hujus puncti ad axium originem; si inter  $x$  et  $y$  tempus  $t$  eliminamus, prodibit relatio inter  $x$  et  $y$ ; hæcque relatio erit æquatio projectionis in plano XY viæ quam sequitur punctum mobile in spatium et quæ dicitur *trajectoria*; si, ut jam prius dictum est, tempus  $t$  eliminamus, consentaneasque operationes agimus, prodibit

$$g^2y^2 - 2gg'xy + g'^2x^2 + y(2gg's + 2cc'g - 2g^2s' - 2c^2g') + x(2gg's' + 2cc'g' - 2g'^2s - 2c'^2g) + g'^2s^2 + g^2s'^2 - 2gg'ss' - 2cc'g's - 2cc'gs' + 2c^2g's' + 2c'^2gs = 0$$

hæc est æquatio generalis projectionis *trajectoriæ* puncti mobilis in plano XY; si hanc æquationem cum æquatione generali secundi gradûs

$$Ay^2 + Bxy + Cx^2 + Dy + Ex + F = 0$$

comparamus, cernitur projectionis æquationem completam esse secundi gradûs æquationem; si duarum æquationum coefficientes inter se comparamus, clarè perspicitur

$$B^2 - 4AC = 0$$

quùm habeatur

$$(2gg')^2 = 4g^2g'^2;$$

quodcumque ergò sit motuum componentium systema, compositum e motibus uniformibus, et uniformiter mutatis, projectio *trajectoriæ* puncti mobilis semper erit linea cujus character est

$$B^2 - 4AC = 0$$

quod significat hanc projectionem semper esse seu parabolam seu rectas (1); si inter  $y$  et  $z$  tempus eliminamus, similem obtinebimus æquationem quæ erit *trajectoriæ* projectionis in plano YZ æquatio, ejusque character erit

$$B^2 - 4AC = 0$$

generatim ergò dici potest: *trajectoria puncti mobilis in motum adducti systemate quocumque motuum uniformium, et uniformiter mutatorum, semper est intersectio duorum cylindrorum quorum bases distinguntur caractere*

$$B^2 - 4AC = 0$$

hoc est, *duorum cylindrorum parabolicorum.*

Perpendamus nunc projectionis æquationem, diversasque modi-

(1) Biot, des sections coniques, discussion des équations.

fications quas subire potest in quibusdam casibus, examinemus; ponamus

$$BD - 2AE = 0, D' - 4AF = 0$$

tum projectio trajectoriæ erit linea recta (1); habetur verò, reductionibus effectis,

$D' - 4AF = 4(c'g - cg')^2 (c^2 - 2gs)$ ,  $BD - 2AE = 4g(cg' - c'g)^2$ ; quotiescumque ergò habebitur

$$(c'g - cg')^2 (c^2 - 2gs) = 0, g(cg' - c'g)^2 = 0$$

projectio trajectoriæ puncti mobilis erit linea recta; his verò æquationibus satisficit ubi

$$c'g - g'c = 0;$$

quotiescumque ergò hæc æquatio locum habebit, projectio erit linea recta; vicissimque quotiescumque projectio erit linea recta, hæc æquatio locum habebit; nam si projectio est recta, necessariò

$$(c'g - cg')^2 (c^2 - 2gs) = 0, g(cg' - c'g)^2 = 0,$$

hæque duæ æquationes simul locum habere nequeunt, nisi

$$c'g - cg' = 0;$$

similiter, si æquationem projectionis in plano YZ perpendamus, conditio ut hæc projectio sit linea recta erit

$$c'g'' - c''g' = 0;$$

quùm verò duæ projectiones lineæ cujusdam sunt rectæ, tum linea ipsa est recta; quapropter quotiescumque habebitur

$$c'g - cg' = 0, c'g'' - c''g' = 0$$

trajectoria puncti mobilis erit linea recta; uno tantùm casu hæc conditio non sufficit; quùm scilicet

$$g' = 0, c' = 0$$

quod facilè perspicere potest; tum ut trajectoria sit recta oportet ut projectio in plano XZ sit etiam recta; quod exprimitur formulâ

$$cg'' - c''g = 0;$$

quæramus nunc æquationem diametri parabolæ in plano XY sitæ; ejus æquatio est

$$Y = -\frac{BX}{2A} - \frac{E}{B}$$

---

(1) Biot, des sections coniques, discussion des équations.



(57)

hoc est

$$Y = \frac{gg's' + cc'g' - g's + c'g + g'X}{gg'}$$

unde

$$gg'Y = c'(cg' - c'g) + g'(gs' - g's) + g'X$$

hæc est æquatio diametri parabolæ in plano XY sitæ.  
 Hucusque tantum spatia absoluta consideravimus; nunc autem celeritatis circumstantias perpendamus; litterâ U designatur celeritas media; habebitur

$$U = \sqrt{V^2 + V'^2 + V''^2} = \sqrt{(gt+c)^2 + (g't+c')^2 + (g''t+c'')^2}$$

ex formulis x, y, z deducatur valor quantitatis t, et in superiori formulâ substituatur, inveniatur

$$U = \sqrt{c^2 + c'^2 + c''^2 + 2\{g(x-s) + g'(y-s') + g''(z-s'')\}}$$

hujus formulæ ope, determinari potest celeritas relativa puncto cuicumque trajectorye, cujus coordinatæ respectu trium axium sunt x, y, z.

Ponamus nunc omnes vires motrices in plano XY esse sitas; tum quæque dicta sunt de projectione trajectorye in plano XY, dici possunt de ipsâ trajectoryâ puncti mobilis moti systemate motuum in hoc plano sitorum; generalis ergò æquatio hujus trajectorye eadem erit; ponamus tempus ex axium origine considerari, tum supponendum erit

trajectoryeque æquatio fiet

$$g^2y^2 - 2gg'xy + g'^2x^2 + 2c(c'g - cg')y + 2c'(cg' - c'g)x = 0,$$

diametricæ æquatio fiet

$$gg'Y = c'(cg' - c'g) - g'X;$$

conditio quâ exprimitur trajectoryam esse lineam rectam est

$$c'g - cg' = 0;$$

ut determinetur punctum intersectionis trajectorye axi X, agatur y = 0 in trajectorye æquatione, et inveniatur

$$x = \frac{2c'cg' - 2c'g}{g'^2} = \frac{2c'}{g'^2} (cg' - c'g), \text{ seu } x=0;$$

si trajectorya fit linea recta, tum habebitur

$$c'g - cg' = 0$$

$x$  que fit æqualis 0; hoc est hanc lineam rectam transire per axium originem.

Ut determinetur celeritas relativa puncto cuicumque trajectoriæ, in formulâ generali suprâ expositâ agantur

$$s = 0, s' = 0, s'' = 0, z = 0, c'' = 0,$$

æquatioque fiet

$$U = \sqrt{c^2 + c'^2 + 2gx + 2g'y.}$$

Fig. 59.  
TAB. V.

Formulis supra expositis utamur ad determinandam projectilium trajectoriam; ponamus axem X esse horizontalem, axemque Y verticalem; ponamusque puncto A corpus quoddam, in inani projici, ita ut trajectoria in plano XY sit sita; ponamus corpus in primo temporis momento acquisivisse celeritatem  $Ab = r$ ; supponendo angulum  $bAd = \alpha$ , celeritas expressa per  $Ab$  resolvi poterit in duas alias  $Ad = r \cos \alpha$ ,  $Ac = r \sin \alpha$ ; gravitas verò semper in corpore agit et actionem exercet in directione oppositâ secundum axem Y; quapropter corpus movetur duobus motibus secundum axes X et Y directis quorum alter æqualis  $r \cos \alpha$ , alter verò  $r \sin \alpha - g't$ ; spatiaque absoluta in duobus axibus erunt

$$tr \cos \alpha, tr \sin \alpha - \frac{1}{2} g't^2;$$

si ergo in generali formulâ agitur

$$g' = -g, g = 0, c = r \cos \alpha, c' = r \sin \alpha$$

formula fiet

$$g'x^2 + 2g'r'y \cos \alpha - 2g'r'x \cos \alpha \sin \alpha = 0$$

seu

$$g'x^2 + 2r'y \cos \alpha - r'x \sin 2\alpha = 0$$

quæ est trajectoriæ æquatio; ejusque parameter est

$$\frac{2r' \cos^2 \alpha}{g'}$$

ex formulâ deducitur

$$x = \frac{r'(\sin 2\alpha)}{2g'} \pm \sqrt{\frac{r' \sin^2 2\alpha - 8g'r'y \cos^2 \alpha}{4g'^2}}$$

Ut inveniatur punctum intersectionis trajectoriæ axi X, agatur

et prodibit  $y = 0$

et prodibit

$$x = \frac{r^2 \sin 2\alpha}{2g'} \pm \frac{r^2 \sin 2\alpha}{2g'}$$

hoc est

$$x = \frac{r^2 \sin 2\alpha}{g'} = AB \text{ et } x = 0,$$

quia punctis A et B trajectoria axem X secat;

hujus parabolæ diametri æquatio, ex generali æquatione deducta, fit

$$g'x - r^2 g' \sin \alpha \cos \alpha = 0$$

undè

$$x = \frac{r^2 \sin 2\alpha}{2g'};$$

hæc est æquatio diametri; cum verò valor quantitatis  $x$  sit in eâ æquatione constans, inde sequitur diametrum CD axi Y esse parallelum, et habetur

$$AD = \frac{r^2 \sin 2\alpha}{2g'} = \frac{AB}{2};$$

ut maxima attitudo CD projectilis determinetur, agatur in formulâ generali

$$x = AD = \frac{r^2 \sin 2\alpha}{2g'}$$

proditque

$$y = CD = \frac{r^2 \sin^2 \alpha}{2g'};$$














in formulâ generali celeritatis, consentaneas mutationes agendo, inveniatur

$$U = \pm \sqrt{c^2 + c'^2 + 2gx + 2g'y} = \pm \sqrt{r^2 - 2g'y};$$







in æquatione celeritatis  $U$ , eidem ordinatæ  $y = AE$  respondent duæ variæ abscissæ  $Ag$  et  $Ah$ ;  $x$  verò in celeritatis æquatione omninò evanuit; quapropter eidem attitudini  $AE$ , celeritas  $U$  eadem est puncto  $e$  et puncto  $f$ ; duplex tamen signum quod præcedit signum radicale, patefacit celeritatem  $U$  puncto  $e$  esse ascendentem puncto autem  $f$ , descendentem; cumque hæc pro-

prietas locum habet, qualiscumque sit parabola parameter, eadem proprietas locum habebit quum parabola lineam rectam verticalem fiet; si ergo corpus puncto A secundum directionem verticalem AY projicitur, singulis directionis punctis in ascensu et in descensu eadem erit celeritas.

TANTUM.























fig. 31.




fig. 32.




fig. 33.




fig. 34.




fig. 38.




fig. 37.





fig. 36.






fig. 35.




fig. 39.






fig. 35. (bis)





JOHANNIS LEMAIRE,

GANDAVENSIS, <sup>xref</sup>

ARTIUM MATH. ET PHYS. IN ACAD. GAND. CANDIDATI,

# COMMENTATIO

IN

QUÆSTIONEM AB ORDINE DISCIPLINARUM MATH.  
ET PHYSIC., ACADEMIÆ GANDAV., PROPOSITAM

A. M. D. CCCXVIII.:

*Qua requiritur expositio commodorum Methodi  
naturalis Plantarum, tam in scientia Botanica  
ipsa, quam in ejus applicationibus.*

QUÆ PRÆMIUM REPORTAVIT, D. IV. OCT. M. DCCC. XIX.

JOHN W. LITTLE

Author of

THE HISTORY OF THE UNITED STATES

# COMMENTS

ON THE HISTORY OF THE UNITED STATES

BY

JOHN W. LITTLE

NEW YORK



---

## PROOEMIUM.

---

**C**OMMODA Methodi naturalis Plantarum, quantum post breve mihi Botanices studium liceret, expositurus, optimum esse factu existimavi triplici respectu methodum hanc contemplari: ac primum, quod quidem mihi in eâ re maximi esse momenti videtur, eam intuebor quatenus principiis e purissimo philosophiæ fonte haustis innititur et digniorem efficientibus scientiam quam vanam nominum congeriem atque inanem verborum farraginem nostro non amplius tempore vocare licet, quidquid obstrepant nonnulli Botanices detractores, eorum omnium inscii quæ a sagacissimis naturæ scrutatoribus quum in anatome, tum in physiologiâ plantarum investigata et detecta Botanices ad scientiarum præstantiorum dignitatem eveherrunt. Deinceps comparationem inter Methodum naturalem et systema Linnæanum propterea instituiam quod cæteris omnibus systematibus artificialibus systema Linnæi palmam præripuit ideoque solum dignum videtur quod cum methodo naturali comparetur. Denique quænam ex plantarum ordinatione prius stabilitâ commoda in Botanices applicationes defluere debeant ac præsertim in materiem medicam, determinare conabor. Ne verò sæpius sermonis contextum abrumpere cogerer satius duxi opera recensere quorum auxilio adjutus, principiis imbutus, et jucundissimo studio captus rem ag-

*gressus sum. Quod si virorum tam doctorum juvantibus scriptis, quæstioni tamen ab almâ Academiâ Gandavensi propositæ minus aptè respondisse videar, mihi haud immeritò nonnihil offeret solatii cogitatio me operibus tam egregiis studium ac tempus impendendo fundamenta sat firma substraxisse rei herbariæ cognitioni in quâ comparandâ ex hoc jam tempore otium e scientiarum mihi mathematicarum studio reliquum collocare statuo.*

---

AUCTORES CITANDI.

- CAROLI LINNÆI Philosophia Botanica. Editio quarta, studio Curtii Sprengel. Halæ ad Salam, 1809.
- CAROLI A LINNÆ Prælectiones in ordines naturales plantarum. Edidit P. D. Giseke. Hamburgi, 1792.
- A. L. DE JUSSIEU Genera plantarum secundum ordines naturales disposita. Parisiis, 1789.
- F. P. CASSEL Lehrbuch der natürlichen Pflanzen-ordnung. Frankfurt-am-Main, 1817.
- A. P. DECANDOLLE Théorie élémentaire de la Botanique. Paris, 1815.  
Essai sur les propriétés médicales des plantes comparées avec leurs formes extérieures et leur classification naturelle. Paris, 1816.
- E. P. VENTENAT Tableau du règne végétal selon la méthode de Jussieu. Paris, an VII.
- JAUME ST. HILAIRE Exposition des familles naturelles et de la germination des plantes. Paris, 1805.  
Nouveau dictionnaire d'histoire naturelle appliquée aux arts. Paris, 1818.
-

---

*De Methodo naturali Plantarum quatenus philosophiæ naturalis principis incumbit.*

---

**U**T dissertationem exponendo principia Methodi naturalis Plantarum incipiam id me præsertim impellit quod mihi persuasum est, si quis hanc methodum principiis quibus suffulta est, non modo a philosophiæ naturalis legibus non recedere, verum etiam iisdem legibus prorsus consentaneam esse probaverit; fore ut præcipuum ejus commodum, confirmaverit, quo nempe systema quodlibet artificiale superat, Botanicæ veram scientiæ dignitatem conciliat et virorum sagacissimorum meditationibus amplissimam materiam suppeditat. Quò vero basi solidiori insistam, rem paulo altius repetam, et priusquam vegetabilia separatim considerem non abs re fore duco quem in rerum naturâ locum occupent præviè determinare. Hinc enim deduci quoque poterunt principia quibus statuatur *An et quatenus vegetabilium ordinatio cæterorum naturæ corporum ordinationi similis esse debeat.*

Si quis vel minimè corpora in rerum naturâ passim obvia per-  
scrutatus fuerit, nullâ operâ deprehendet horum corporum altera  
tali compagine insignia esse ut quælibet eorum pars munere quo-  
dam peculiari fungatur et ex omnium partium intimâ combina-  
tione corporis totius existentia pendeat: altera verò ejusmodi  
esse ut in iis neque partes inter se distinctæ sint neque aliæ  
aliud munus obeant. In prioribus corporibus partes munere sibi  
addicto fungentes *organa*, corpora vero ipsa corpora organica  
vocantur. Posteriora autem inorganicorum nomine veniunt.

Hæc divisio analytica est et naturalis simul: analytica quia de  
priori sectione affirmatur quod de altera negatur, naturalis quia  
corpora unam constituentia sibi invicem similia quam reliquis  
omnibus. Sequitur et hanc divisionem corpora intermedia-excludere.

Quæ quidem corporum prima divisio est: quippè inter has classes omnià revera diversa sunt iisque nonnisi proprietates materiæ generaliores quales extensio et impenetrabilitas ex æquo competunt. Corpora inorganica homogenea, organica vero heterogenea sunt. Ea juxtâ-positione molecularum sibi similium formantur: in his quùm molecula quæque accedens, ope organorum ad corporis superficiem positorum, eo feratur ubi in ipsam corporis substantiam assimilatione convertitur, phænomenon quod in transferendâ moleculâ obtinet Intus-susceptio vocatum fuit.

In corporibus inorganicis juxta-positio causam habet attractionem molecularem; quæ verò attractiō quùm explicando assimilationis phænomeno minimè sufficiat, alia quædam causa assimilationi adscripta fuit quam vim vitalem ut designaretur, non verò explicaretur, vocaverunt.

Corpora inorganica (1) legibus attractionis parentia Physica et Chemia tamquam sua sibi vindicant; corpora autem inorganica non Physices modo et Chemiæ legibus verum etiam vi vitali quæ hæ leges temperantur, obediunt.

Materia primitiva e quibus corpora organica finguntur de vis vitalis exit imperio quùm eorum corporum pars constituens esse desiit. Undè concludatur necesse est ex organorum situ conformatione, compage, etc., vitæ phenomenon eruendum iisque proindè organorum modificationibus studeant oportere qui naturam corporum organicorum investigant. Horum ergo corporum in classes distributio principiis superstrui debet ab iis longissimè diversis quæ ad corporum inorganicorum ordinationem valuerunt.

*Vegetabilia crescunt et vivunt; animalia crescunt, vivunt et sen-*

---

(1) Compositio chemica et forma primitiva soli sunt characteres quibus corporum inorganicorum consociationes specificæ determinari queant. Quùm verò huc usque nondum statuere licuit quâ ratione corporum eorundem compositio chemica cum eorum proprietatibus scilicet fusibilitate, gravitate, phosphorescentiâ, magnetismo, electricitate conjuncta sit, omninò fieri non potest ut corporum inorganicorum ordinatio Methodo naturali incumbat.

*tiunt*. Reverà, licet regnum animale et regnum vegetabile multiplici inter se nexu connectantur, inter ea tamen differentiae satis conspicuae intercedunt ut separentur et iis qui studet, viam ineat pro utroque regno diversam. Has autem differentias ex eo oriri quod animalia nervis praedita *sentiunt*, vegetabilia vero nervis destituta *non sentiunt*, nemo negare potest. Etenim ubi animalia sentire concessum fuerit, ea voluptatem et dolorem percipientia, facto utriusque experimento illam expetent hanc verò quantum poterunt fugient. Motus igitur organis donata, spontè sese movebunt, alimentis nonnisi lectis vescentur ac diversissimis: e qua vescendi varietate fluit organorum perpetrando assimilationis negotio addictorum in animalibus necessitas. Vegetabilia contra sensu privata nec idcirco dolorem fugientia nec voluptatem expetentia, nullo nisi non spontaneo, id est, causis externis excitato motu donantur. Quum verò iis praedam eligendi arripiendique facultas negata sit, substantiae per rerum naturam quam maximè obviae inertes, molliores quales aqua, aër nec non quae in hoc utroque fluido solutæ adsunt in iis pabuli vices gerant necesse est. Quapropter, nedum varietas, summa contra simplicitas in vegetabilium nutritionis organis deprehenditur. Animalia motu praedita et saepe ex alio in alium locum migrantia secum ferre possint oportet pabulum nutritioni necessarium. Itaque cavitate interiori donata fuerunt in qua deponerent substantias sibi in nutrimentum addictas et in qua interstitia patent seu vasa absorbentia quæ rectè radices interiores vocata fuerunt.

In animalibus praecipua nutritionis sedes intus est posita: vasa circum hanc tamquam centrum suum serpunt et hanc ob causam suo munere necessario, quamdiu vivit animal, funguntur. Plantarum vero vasa absorbentia extra corpus vergentia nulloque limite coarctata crescere continuo possunt novisque semper excipi. Indè quod animalia centro nutritionis et vitae praedita sunt pronò alveo sequitur ea rarissimè in plura individua posse discerpi, Plantæ verò centro nutritionis privatae atque ita constitutæ ut nova indefinitè vasa producere queant, quin vitam amittant dividi et talearum ope propagari possunt.

Quum organa animalium essentialia propterea quod intus sint posita, renovari non possint, omnia, quamdiu animal vivit permanceant necesse est. Plantarum, contra organa, nullo plantis indamno exoriente, renovantur: folia respirationi addicta marcescunt novisque foliis excipiuntur. Organa genitalia plantarum semel munus obeunt, munere functa intereunt, et quoties reproductio perpetratur, nova reproductionis organa evolvuntur.

Denique in regno animali ubi mas fœminam adire potest, hermaphroditi rari sunt, dum in regno plantarum ubi individuum fœmineum ab individuo masculo adiri nequit, hermaphroditi multo frequentiores occurrunt. Diclinia vegetabilium autem minor est evolutionis illorum gradus. Ita minimæ quoque animalia inter et vegetabilia intercedentes differentia ex absentia vel presentia sensus et locomotionis sponte sequuntur.

Ex iis quæ præcedunt concludi summo jure potest:

Zoologiæ et Botanices, quamvis hæ quidem scientiæ vinculis compluribus connectantur, principia non promiscuè usurpanda esse;

Quum animalium organa maximè necessaria intus sint posita, anatomen in Zoologia maximi esse momenti, dum in vegetabilibus minoris est quia eadem organa in superficie corporis collocata sunt;

Zoologiæ non temerè ad Botanicen, nec Botanices ad Zoologiam principia transferri posse.

Limite inter regnum vegetabile et cætera naturæ corpora posito, si quis nunc vegetabilia generatim consideravit, primo statim conspectu quasdam animadvertet plantarum consociationes totâ structurâ consimilium; quarum individua speciem cognationis præ se ferunt (1). Hujusmodi sunt Umbellatæ, Cruciferæ, Gramineæ, Labiatæ, Personatæ, etc. Si deinceps ulterius processerit, in istis plantarum congregationibus solò aspectu deprehensis, habitus, vegetationis imò virium plerumque similitudinem inveniet:

---

(1) » Naturales dari classes ita creatas putet ex plurimis: Umbellatis, Verticillatis, Siliquosis, Leguminosis, Compositis, Graminibus, etc. » §. 160. Phil. Bot.

**Habitūs :** In plantis syngenesistis seu compositis nulla arbor, rara frutex, frequens herba. In Labiatis item: in umbellatis ne frutex quidem.

**Vogationis :** Labiatarum folia opposita, sæpius simplicia. Leguminosarum pinnata, Umbellatarum alterna, etc. Eadem plerumque similitudo in inflorescentiâ, nutritione, etc. observanda.

**Virium :** » Plantæ quæ genere convenient etiam virtute conveniunt; quæ ordine naturali continentur, etiam virtute propius accedunt; quæque classe naturali congruunt, etiam viribus quodammodo congruunt. » § 337. Phil. Bot. et quæ sequuntur.

Quid igitur viro naturæ studioso dignius quam, ipsâ annuente naturâ, harum familiarum limites stabilire, unius in alteram familiam transitum, puncta quibus familiæ sese contingunt, quibus a se invicem recedunt assignare et sic efficere quam vocant *Methodum naturalem plantarum?* (1)

Fatendum vero est multo quidem facilius esse naturales has consociationes agnoscere quam characteres sigillatim assignare quibus individuum quodlibet ad talem potius quam ad cæteras omnes familias pertineat. Plantis enim ejusdem familiæ

Facies non omnibus una est

» Nec diversa tamen : qualem decet esse sororum. »

(1) Si ad varias vias quas huc usque de methodo naturali scriptores iniere respexerimus, hanc methodum vel *empiricam* esse, vel *organorum universorum comparationi*, vel characterum *valori gradatim ascendenti* totiusque plantarum organismi *symmetriæ* superstrui videbimus. Empirica est apud Linnæum et proinde scientia vocari non potest. Apud Andansonium organorum omnium comparationi innititur. Hæc verò Andansonii opinio erronea est : sic enim supponitur quum omnia plantarum organa, tum organorum functiones cognosci: quod longissimè a veritate recedit. Cæterum si omnium plantarum organa organorumque functiones perspectas haberemus, tunc quoque methodus Andansoniana eo erronea esset quod eundem omnibus characteribus valorem attribueret. Tertiam viam methodum naturalem instituendi Jussievus ingressus est cujus in hæc meâ pertractatione principia sequi conatus sum.

Huic rei tantum difficultatis inest ut immortalis ipse Linnæus desperaverit, ut liquet ex memorando inter eum et Gisekium colloquia, fore ut plantæ naturales unquam in ordines distribuerentur. At Gisekius illustri viro respondere debuisset si propter non adeo constantes quosdam characteres ordines naturales admitti non possent, genera tum etiam corruiere debere quorum characteres non essent essentielles (1). Dixit et ipse Linnæus:

» Methodus naturalis primus et ultimus finis Botanicæ est et erit.

» Summorum Botanicorum hodiernus labor in his (ordinibus naturalibus) sudat et desudare decet.

» Methodi naturalis fragmenta studiosè inquirenda sunt. Primum et ultimum hoc in Botanicis desideratum est. (Phil. Bot.)

» Primum et ultimum in parte systematicâ Botanicæ quæsitum est methodus naturalis; hæc adeo a Botanicis minus doctis vili habita, a sapientioribus semper tanti æstimata, adhuc licet detecta nondum.

Et plura hujusmodi quæ longissimè ab iis recedunt quæ in suo cum Gisekio colloquio effatus est, ubi conatus irridet Fagrocæi cujusdam qui ordinum naturalium a se constitutorum clavem invenire voluerat. Nec ipse quidem eorum ordinum characteres assignare tentavit. Quid inde concludendum? Linnæum summam Botanicæ perfectionem in methodo naturali posuisse, eam verò ædificari non posse existimavisse. Cui tamen Linnæanæ opinioni minus fidei erit, si annotatum fuerit Linnæum characteres familiarum essentielles stabilire non potuisse quum minimi faceret fructum, adeò ut dixerit: *flos certior fructu*, eumque laterent ea quæ de albumine et corculi situ sequentibus temporibus detecta fuerunt, eumque longè abfuisse ut characteres gradatim valore crescentes admitteret quum in his indagationibus organorum situm planè negligeret. Cæterum, quum meo quidem judicio optimè commendetur methodus naturalis ubi exponitur incepta persequar.

---

(1) » Der herausgeber aber hat vergessen dem geistvollen manne zu antworten » dass auf solche weise alle geschlechter die nicht ein wesentliches merkmal » haben wegfallen müssen. » (Cassel, lehrbuch der natürlichen pflanzen-ordnung.)



In vegetabilibus duplex functionum classis animadvertitur, earum scilicet quibus natura ad conservationem individui seu nutritionem, et earum quibus ad conservationem speciei tendit seu reproductionem. Utrique functionum seriei proprius organorum apparatus a naturâ dicatus fuit: utra verò potiores in vitæ phænomeno partes gerat nemo asserere possit. Quin imò si vel minimè meditatus fuerit naturæ scrutator, fateri cogetur nutritionis æquè ac reproductionis functiones ad naturæ scopum conferre, animadvertens ex priorum damno seu interruptione, posteriorum quoque damnum seu interruptionem sponte oriri. Quâ ex functionum intimâ combinatione et æquâ in vitam vegetabilium efficientiâ spontè derivatur principium: *ordinationem vegetabilium juxtâ alteram functionum seriem, naturâ duce, effectam, naturæ æquò consentaneam fore atque ordinationem juxtâ alteram functionum seriem institutam.* Hinc postea repeti poterit criterium utrùm familia quævis plantarum ad naturæ nutum formata sit necne. Quod criterium eo facilius erit adhibitu quò nutritionis organa accuratius fuerint investigata. Hoc principium optimè quoque respondet in methodum naturalem objectiones adstruentibus ex eo quod hujus methodi auctores divisionum et subdivisionum characteres primarios a fructificationis organis, neglecto plerumque nutritionis apparatu repetierint. Cæterùm adversus hujusmodi objectiones non parùm auxilii accedit ex eo:

1° Quod vegetabilia terræ adfixa nullo delectu nutritionis negotium perpetrantia, iisdem proindè materiis vescentia mediocrem in nutritionis organis differentiam necessario præbent. Unde necessitas ad alia organa recurrenti.

2° Quod fructificationis organorum consideratio prævaluit tempore quo nutritionis organa vix cognita erant, et licet hodiè accuratius investigata fuerint, ea quæ de hac re ad hoc usque tempus in lucem prodierunt vegetabilium in classes distributioni ritè instituendæ non sufficiunt.

Nunc quomodò Botanici ad diversum characterum valorem pervenire potuerint, breviter exponere conabor. Consideratis atque

attente examinatis plantæ cujusdam notis propriis, cum eâ facilimè junguntur plantæ notis similibus præditæ. Exemplo sit Rosa canina: ea typus est speciei Rosarum caninarum quæ fuerunt, quæ sunt et postea erunt. Eadem lege quâ individua similia junguntur speciem formantia species quoque majori structuræ parte similes, signis tantum aliquot differentes junguntur, junctæque genus constituunt. Systemata nostra parum curans natura nullo sæpius limite genera nostra separat speciesque nexu quodam continuo, transitu plerumque invisibili connectit. Eas verò in genera, ordines, etc. studium sublevandi causâ dividere cogimur.

Aliquando tamen vestigia sua detegit natura: sunt generâ quædam ut omninò naturalia habita: hujusmodi sunt Rosæ, Valerianæ, Ranunculi, Gerania, Irides, Lilia, Veronicæ, etc. Rosæ characteres generici sunt folia alterna stipulata, calyx urceolatus quinquefidus, petala quinque; petala et stamina limbo calycis inserta, ovaria calyci inclusa, baccam formantia, corculum rectum, perispermum nullum. Omnes hujus generis species iisdem characteribus insignes sunt; calyce vero ovali vel rotundo, nudo vel spinoso, calycis divisionibus partim apendiculis instructis partim nudis, omnibus interdum nudis, petalorum formâ et coloribus, caule spinoso vel nudo, foliis rarò simplicibus, solito pinnatis, pluribus vel paucioribus foliolis differunt.

Valerianarum differentiæ specificæ petuntur ex calyce integro vel dentato, corollâ ad basin calcaratâ vel gibbosâ, limbo regulari vel irregulari, numero staminum et stigmatum, fructu nunc papposo et monospermo, nunc apice dentato, loculis 2-vel 3-spermis. Sive unum genus constituent sive in plura discerpantur in serie naturali separari non poterunt quùm iis nempe sit character generalis calycis superi, corollæ epigynæ monopetalæ tubulosæ limbi quinquefidi, staminum epipetalorum, ovarii inferi, capsulæ plerumque monospermæ, corculi recti perispermo nullo, florum corymbosorum, foliorumque oppositorum.

Ex allatis modo exemplis concludatur necesse est:

1<sup>o</sup> Eosdem characteres non semper esse genericos, alios verò esse

constantiores ut situm (1) partium respectivum; alios modo constantes, modo mutabiles ut partium formam et numerum.

2° Characteres complures ex fructificatione, et quosdam aliunde petitos constituendis generibus inservire posse.

3° Characteres esse quosdam mutabiles a fructificatione alienos, quosdam verò fructificationi proprios.

4° Tandem quum sint characteres mutabiles, alii modo stabiles, modo mutabiles, alii denique constantiores, eos pro stabilitatis gradu in censum venire debere, ponderandos esse, non numerandos. Undè character constans æqualis habendus est mutabilibus pluribus, iisque etiam potior.

Quod principium ei subnecti debet quo statuitur plantam quamlibet cum iis plantis esse consociandam ad quas characterum similitudinem numero maximè accedit. Hanc legem ferendo optimè de Botanice meritis est, methodoque naturali basin firmissimam substravit Jussievus.

Nunc quomodo methodi auctores leges has secuti divisiones plantarum instituerint videamus.

Organum cujus forma neque in generibus neque in ordinibus maximè naturalibus observatur stabiliendis nullomodo divisionibus primariis inservire potest. Secundum hoc principium radix, caulis, folia in plantis licet manifestam præ se cognationis speciem ferentibus sæpissimè dissimilia characterem nullum primum suppeditabunt. Reperentur ergo hi characteres ex partibus fructificationis. Quum vero calyx et corolla partes sint secundariæ plantis compluribus deficientes, ex iis nullus character primariæ divisionis desumetur.

(1) (Character ex insertionem seu situ petitus eo certior est quod monstratus multò rariora sunt quam monstra per defectum et per excessum, teste Blumenbachio.) »Situs partium constantissimus est. Situs partium rarissimè in » congeneribus mutatur. Jam dixerat Linneus. Ph. Bot. § 179.

» Sciant nullam partem universalem magis valere quàm illam a situ (class. » plant.) »

Stamina et pistillum verum florem efficientia organa sunt essentialia, quum formando semini communem operam navent; munere vero expleto marcescunt; germen autem seu corculum cujus ergo fructificationis organa evoluta fuerunt crescens maturescit novæ plantæ rudimentum continens.

Corculum vel solum existit, nullâ comitante cotyledone in plantis *acotyledonibus*, vel annectitur cotyledonibus alternis in plantis quas *monocotyledones*, vel annectitur cotyledonibus verticillatis vel oppositis in iis quas *dicotyledones* usu vocare prævaluit (1).

Hinc prima divisio plantarum in *acotyledones* et cotyledonibus instructas et harum rursus in *monocotyledones* et *dicotyledones*. Filices a Botanicis in primis Brown et Decandolle inter monocotyledones collocatæ fuerunt. Alii vero præsertim Cassel eas cum Jussievo in acotyledonibus relinquunt, quia, ut Brown ipse fateatur, squamula filicum primordialis cum verâ cotyledone minus apte comparata fuit.

» Filices cum monocotyledonibus locavi magis propter vegetationem subsimilem quam structuram seminis vel vegetationis modum convenientem: squamula enim illarum primordialis cum verâ cotyledone minus aptè comparata e germinatione omninò oriri videtur pariter ac muscorum primordia» Brown.

A proposito meo me non necessurum putavi si specimen præberem ratiociniorum à methodi naturalis auctoribus institutorum divisionem fundamentalem stabilientibus. Ut supradictum fuit,

---

(1) Inter plumulam et cotyledones nulla connexio immediata. Hinc plumula tum modo evolvi incipit quum radícula aliquid incrementi cepit. Ad hoc usque tempus cotyledones necessariæ sunt: quæ si demantur, plantula perit: imò plantula sine incommodo tunc quoque a cotyledonibus separari nequit quum radícula planè evolutâ, plumula gaudet diametro duarum partium millesimarum metrâ. Cotyledones tum demum inutiles fiunt et spontè decidunt quum plumula foliis ornata est. Hinc judicari licet quantum ad germinationis negotium conferant.

extra omnem dubitationem positum erit divisionem esse legitimam si eadem remanserit sive nutritionis sive reproductionis functionibus innixa. Vegetabilium universorum divisio proposita sit. Incipiendo a nutritionis organis, ex iis, quæ maximi sunt momenti seligantur, nempe *vasa*: considerentur respectu præsentiae vel absentiae. Indè oriatur vegetabilium in *vascularia* et *cellularia* divisio. Vasorum existentiam semper comitatur 1º Interstitiorum corticalium existentia; 2º Distinctio manifesta radicum et caulium, ideoque colli existentia. Absentiam verò vasorum comites sequuntur. 1º Interstitiorum corticalium absentia. 2º Accurata radicum et caulium distinctio impossibilis. Adeatur nunc fructificatio; quodnam maximi momenti organum? Corculum. Quam verò non probatum fuerit ulla esse vegetabilia corculo destituta, corculum in omnibus vegetabilibus adesse supponitur. Quænam differentiam dantes corculi partes? Num plumula? Num radícula? Minimè: ex ipsâ enim hypothese in omnibus vegetabilibus adsunt. Ergo cotyledones evolvendo corculo addictæ. Harum quidem præsentiae et absentiae incumbit vegetabilium in cotyledonata et acotyledonata divisio. Atqui vegetabilia vascularia eadem sunt ac cotyledonata, cellularia eadem atque acotyledonata. Ergo divisio apprimè est naturalis. Fiat nunc plantarum vascularium seu cotyledonatarum divisio. Primum veniat in censum nutritio. Quænam præcipua nutritionis organa? Vasa. Vasorum absentia et præsentia supra jam adhibitæ nulli ampliùs divisioni locum facient sed situs considerabitur qui certissimus post existentiam character. His ita positis, observantur in vegetabilibus vascularibus quibusdam vasa centro cellulari circumserpentia, atque ita disposita uti prius evoluta in centro, recentiora verò in circumferentia posita sint et planta ab interiori in exteriorem partem durescat. Vegetabilia illa *exogenia* nomine ex ratione crescentiæ desumpto, vocari poterunt. Porro in cæteris vegetabilibus vascularibus vasa quasi per totum caulem sparsa sunt atque ita disposita, ut prius evoluta seu duriora partem exteriorem efficiant, incrementum verò caulis præcipuum in centro fiat. Hæc itaque vegetabilia, nomine ex

crescentiæ quoque ratione derivato, *endogenia* nuncupabuntur. Hanc differentiam præcipuam reliqua conformatio sequitur. Vegetabilibus enim exogenibus canalis et radii medullares sunt, endogenibus vero nulli. Prioribus forma sæpius conica, posterioribus cylindrica. Foliorum nervi in exogenibus ramosi, in endogenibus simplices. Folia ipsa in prioribus raro, in posterioribus frequenter vaginantia sunt. Exogenium radices in ipso semine evolutæ sunt, dum endogenium fibræ radicales exoriuntur discum peculiaris generis perforando. Hanc ab causam Richard priora *exorhiza*, posteriora verò *endorhiza* vocavit. Examinetur jam fructificatio: quodnam fructificationis organum præcipuum characterem suppeditat? Cotyledones. Harum situs, non verò n̄merus in censum veniat. Vegetabilia vascularia sic considerata in duas classes abibunt: in vegetabilia nempe quorum cotyledones oppositæ sunt vel verticillatæ, et quæ, quandoquidem consuetudo invaluit dicotyledonata, et in vegetabilia quorum cotyledones sunt alternæ et quæ etiam, pro more, monocotyledonata vocabuntur. Atqui vegetabilia exogenia prorsus eadem sunt ac dicotyledonata, endogenia eadem ac monocotyledonata. Ergo hæc quoque divisio apprimè naturalis est. Organa vegetationis nondum satis cognita sunt ut Botanicus sic certo pede ad ultimas plantarum divisiones descendere queat.

Cæteræ seminis partes vel non satis cognitæ sunt, vel characteres nimis mutabiles suppeditant ut indè novæ divisiones desumantur. Quod quidem exemplo seminis Valerianarum supra allato comprobatur. Ad corculum proximè accedunt stamina et pistillum. Methodi naturalis auctor eorum non nisi situm mutuum respicit, observans hunc characterem licet a Botanicorum maximâ parte neglectum, solum tamen esse verè constantem e staminibus et pistillo desumendum. Stamina ipsi pistillo inserta sunt, vel sub pistillo, vel calyci pistillum cingenti: hinc tres divisiones diversissimæ flores epigynos, hypogynos et perigynos continentes. Sic septem classes prodeunt quarum unam constituunt plantæ acoty-

ledones, sex reliquis monocotyledones et dicotyledones juxta insertionem divisæ (1).

Quum verò plantæ dicotyledones numerosiores sint ut eas uno conceptu complecti queamus, novæ divisionis egent quam quidem Jussievus instituit consideratione sequenti fultus.

Stamina in tribus præcipuis floris punctis sive immediatè sive mediante corollâ inseruntur. Unde trium insertionum in *mediatas* et *immediatas* divisio. Observatione constat ferè quoties stamina corollæ inseruntur, corollam esse monopetalam (2) omnibusque ferè corollis polypetalis stamina esse a petalis separata, licet eidem puncto inserta. Corollam ergo monopetalam insertio mediata, corollam verò polypetalam insertio immediata comitatur.

Corollæ monopetalæ hypogynæ maximè omnium sunt deciduæ et cæteris facilius avelluntur. Possunt itaque tanquam maximè evolutæ haberi.

Porrò insertio immediata est vel in floribus corollâ destitutis, vel in floribus corollâ instructis; indè duplex insertio immediata, scilicet necessario seu absolutè immediata, et simpliciter immediata: hæc corollam polypetalam supponit cui stamina plerumque non adhærent, interdum tamen insistere possunt.

Ex iis quæ præcedunt oritur plantarum dicotyledonum in novem classes divisio, tres insertionem necessario immediatâ, tres insertionem mediatâ, tres denique reliquas insertionem simpliciter immediatâ determinatas.

Inter flores monopetalos quorum corolla est epigyna seu pistillo insistit, aliis sunt antheræ distinctæ, aliis antheræ in tubum coactæ. Hoc posteriori caractere magna florum compositorum classis a cæteris omnibus epigynis floribus separantur ita ut ad novem classes præcedentes decima classis accedat.

(1) Hypogynia, quæ nihil est nisi staminum a calice et pistillo separatio quæque idcirco *eleutherandria* vocari posset, *eleutherogyniam* post se trahit.

(2) Omnes corollæ monopetalæ staminiferæ sunt, exceptis campanulaceis et ericaceis; sed harum familiarum corollæ marcescunt et idcirco veram hujus organi naturam ut et cucurbitaceæ minus participant.



Postremò flores diclines, id est, in quibus partes masculæ et fæmineæ ab ipsâ naturâ separatæ sunt, nullo abortu evanidæ, ultimam scilicet undecimam dicotyledonum classem efformant. Totum ergo regnum vegetabile ratione naturæ maximè consentanea, quindecim in classes a Jussievo dispescitur.

Quum flores diclines omnes apetalî sint eorumque stamina calyci inserta proximè ad flores apetalos perigynos monoclines seu sextam Jussievi classem accedunt et ab illis non nisi per dicliniam frequentiore differunt. Hanc ob causam Cassel et Decandolle in operibus citatis summo jure ex apetalis monoclinibus et apetalis diclinibus, quia utrisque calyces sunt stamini-feri classem unicam conflaverunt. Itaque classes tantum XIV regnum vegetabile includit. Hæc vero classium conjunctione admissâ, vitiosa fit florum *perigynorum* denominatio : neque enim stamina in flore pistillum non includente perigyna esse possunt. Huic igitur florum perigynorum denominationi nomen *florum calycostemonum* substitui posset a Gleditschio proposita quemadmodum flores epigyni et hypogyni juxta eundem Gleditschium stylostemones et thalamostemones vocari possunt. Hasce denominationes Cassel in suo opere vocabulis germanicis feliciter expressit *kelchstaendige*, *stempelstaendige*, *bodenstaendige*. Ex præcedenti expositione satis, meo quidem judicio, patet naturæ vestigiis assiduè instituisse methodi naturalis auctores, si quædam excipiantur familiæ plantarum limite non adeò certo circumscriptæ, si quidem ex auctorum arbitrio pendere videntur. Hoc etenim innuere apparent variæ Botanicorum de numero familiarum opiniones. Apud Linnæum et Adansonium reperiuntur familiæ quinquaginta octo, apud Jussieum centum, apud Batsch centum viginti quinque, Cassel autem familias nonaginta octo, Decandolle in theoriâ Botanicâ centum quadraginta quinque, in alio verò opere centum quinquaginta constituit. Indè tamen in methodum naturalem objectiones repetere an cuiquam in mentem venire possit nescio quippè quod incommodum ex cognitionum defectu, minime verò principiis a methodi auctoribus sancitis.



pendet. Cæterum numerus familiarum major ab unius familiæ in plures divisione minor autem à plurium familiarum in unam conjunctione pendet. Undè naturalis affinitas minimè læditur. Diversæ de familiis eodem quo diversæ de generibus opiniones recidunt. Nedum Jussievi vel ipsius sectatorum conatus contemnat ingenium nullâ opinionum vanitate obcæcatum multo libentiùs mirabitur ordinem pulcherrimum in re quæ ipsi Linnæo tam ardua, tam inextricabilis videbatur a summi ingenii viris institutum viamque præstantissimis naturæ investigationibus patefacientem. Ex peculiari felicitate quâ paucorum annorum intervallo in ordinandâ et scrutandâ re herbariâ processerunt, non immeritò sperandum est olim, quum scilicet in regnum vegetabile altius penetratum fuerit, et tot tantæque regiones quales Nova-Hollandia et complures Asiæ et Africæ tractus accuratiùs perlustrati fuerint, familiarum limites ex omnium Botanicorum consensu eosdem certioresque positumiri. Vero enim non absimile videtur naturam in regno vegetabili æquè ac in regno animali certum et ratum typorum primitivorum numerum creasse, atque ita numerum familiarum intra limites definitos contineri.

### *De Methodo naturali cum systematibus artificialibus comparatâ.*

Priusquam ad ipsum Linnæanum systema transeam, quædam de systematibus artificialibus generatim spectatis præmittenda puto, nec non in eorum mentem qui pro ejusmodi systematibus Linnæum stetisse credunt, ipsius Linnæi hæc de re sententiam revocandam esse.

» Ordines naturales valent de naturâ plantarum

» Artificiales in diagnosi plantarum.» ( *Gen. plant. in præf.* )

An verò quisquam nomen corporis cujusdam quam ipsam corporis naturam cognoscere satius ducat, equidem dubito. At ordines artificiales in diagnosi plantarum valere fatentur vel acerrimi methodi naturalis fautores. Systema quodlibet artificiale methodo naturali facilitatis respectu semper præstabit. Auctor enim systematis ex omnibus plantarum notis suorum ordinum characteres pro arbitrio eligens exiguum sanè ingenii sui specimen præberet, nisi plantarum notas primo intuitu conspicuas assumeret.

Præter facilitatem systema artificiale eo imprimis commodo insigne est quod, quum genera consimilia propter differentiam quamdam artificialem in variis systematis classibus et ordinibus passim collocata sint, facilius sit ope systematis genera inter se distinguere. Luculentum hujus rei exemplum præbet caryophyllearum familia. *Ortegia* enim et *Loeflingia* in triandriâ monogyniâ, *Holosteum*, *Polycarpon*, *Donatia*, *Mollugo*, *Minuartia*, *Queria* in triandriâ trigyniâ, *Buffonia* in tetrandriâ digyniâ, *Sagina* in tetrandriâ tetragyniâ, *Alsine* et *Pharnaceum* in pentandriâ trigyniâ, *Hagæa* in pentandriâ monogyniâ, *Moehringia* in octandriâ digyniâ, *Elatine* in octandriâ tetragyniâ, *Bergia*, *Spergula*, *Cerastium*, *Lychnis*, *Agrostemma* in decandriâ pentagyniâ, etc. militant. Qui Linnæano igitur systemate ad plantas determinandas utitur, omnium horum generum affinium vix unum pro alio sumet, dum Jussievi sectator majorem iis distinguendis operam impendet, omnes caryophylleas fere consimiles inveniens. Cæterum quum methodus naturalis intimam organorum omnium plantarum cognitionem requirat, omnino liquet artificiale systema maxime Botanicæ tyronibus tali cognitione destitutis necessarium esse (1). Sed si ex alterâ parte systematis facilitas commoda pariat, ex alterâ quoque Botanicæ damnosa fieri potest. Botanici enim sic vocati qui facilitatis causâ rei herbariæ studium sub auctoris systematici auspiciis aggressi sunt, eorum dumtaxat organorum qui-

---

(1) » Habitus quum omnes singulasque complectatur notas fusiorem exigit descriptionem : undè tyronum institutioni non idoneus. » *Phil. Bot.* § 163.

bus systema superstruitur exclusoriæ considerationi assueti, tandem eo cæcitatibus interdum deveniunt ut cætera plantarum organa primùm negligent, ac deinceps nihili omnino faciant. In exemplum afferri possunt qui Linnæi sectatores vocati, tum acriter Linnæi sententias impugnant, quippè qui dixit:

» Artificiales classes succedaneæ sunt naturalium usque dum  
» naturales omnes sint detectæ: quas plura genera nondum detecta  
» revelabunt.» (Phil. Bot. § 160.)

» Naturalis character ab omni Botanico teneatur oportet.

» Si omnium generum characteres essentialis detecti essent,  
» facillima evaderet plantarum cognitio, et multi suo damno  
» characteres naturales floccipenderent; at sciant, nullum, sine  
» notitiâ characteristicâ naturali, evasurum solidum botanicum.»  
(Phil. Bot. § 191.)

Quæ quidem omnia de generibus a Linnæo dicta, etiam de familiis quæ nihil sunt nisi genera extensiora, enuntiari possunt.

» Quod valet de characteris generico, valet etiam de classico,  
» licet in hoc latius sumantur omnia.

» Generum genus est ordo, ordinum autem genus classis est.

» Valent itaque hic canones dati a § 164 ad 202. (Id est quidquid  
» Linnæus de generibus præcepit.) Phil. Bot. § 204.»

Quæ præcedunt de systematibus generatim consideratis dixisse satis habui quia, quæ sequuntur de systemate imprimis Linnæano dicta, ad aliud quodcumque systema extendi possunt.

Primùm systemati Linnæano, ut omni systemati artificiali, minime vero ipsi Linnæo, quippe qui primus, ut ante dictum est, inter systemata arte factâ et methodum naturalem discrimen posuit objiciendum est plantas complures diversissimas in eadem classe, alias vero sibi invicem quam cæteris omnibus plantis similiores alias alium ordinem, aliam classem ingressas esse. Pentandria plantas quovis respectu plerumque remotissimas includit. Caryophylleæ ut aliæ familiarum complurium plantæ in ordines et classes systematis sexualis diversissimas abierunt. Hujusmodi autem separationes adeo naturæ repugnant ut Linnæus

sæpè sibi non constare quam genera consimilia separare maluerit: exemplo est *Stuartia* quæ licet caractere floris polyandri insignis tamen a suecico Botanico in *Monadelphia* polyandriæ propter suam cum *Tiliaceis* cognationem collocata fuit. Quantum autem à plantarum consimilium separatione, et proindè à systemate sexuali immortalis abhorrerit Hallerus nemini non notum est (1).

Multa genera exstant in quorum speciebus nonnullis numerus staminum multum discrepat à numero quem innuit classis quam ingressa sunt. Ejusmodi sunt *Valeriana*, *Blitum*, *Corispermum*, *Melastoma*, etc. Quod ubi locum obtinet Linnæus vel speciem frequentius obviam, vel maximum specierum numerum adit totius generis characterem classicum assignaturus.

Quod vero incommodum quamvis sustulerint Linnæi commentatores ad calcem classis cujusque species enumerando quæ licet alibi reperiendæ, ejus tamen classis esse propter suum characterem debuissent, nihilominus haud immerito objectari potest.

Incommodum multo gravius oritur si staminum numerus in ejusdem non modo generis speciebus, verum etiam in ejusdem speciei individuis mutabilis est. Neque raro accidit ut ejusdem quoque individui flores pro vario fructificationis tempore vario staminum numero instructi sint. Tunc Linnæus à numero staminum floris primo evoluti characterem desumit. Sic *Ruta* inter flores decandros reperitur in quâ primus flos decem, cæteri omnes octo tantum stamina ferunt. In *Polygono* quoque staminum numerus admodum varius quippè qui a quinario ad novenarium

---

(1) » Linnæanam potuissem sequi methodum, mihique multi laboris facere » compendium, numquam tamen potui a me obtinere ut gramina divellerem, » ut ex sexûs ratione simillimas plantas separarem; aliasve classes naturales la- » cerarem. Quæsivi, ut quàm plurimos ordines naturales in opus meum referrem, » et puto esse non paucos. In eo hactenus perfectionem methodi pono ut similes » plantæ cum similibus ponantur, dissimiles separentur..... quare priora » mea cogitata in eo tueor, ut ab unicam aliquam notam plantas cætera similes » non divellam.» (*Historia stirpium Helv. ind. et præf.*)

divagatur. Stamina non modo, sed etiam pistillorum numerus sæpissimè varius est. Dianthus Caryophyllus licet tria quandoque pistilla ferens digyniam, linum trigynum pentagyniam ingressum est. Cynanchum ovario duplici, uno vero stylo instructum inter flores pentandros digynos locum tenet, dùm Æchites et Tabernæmontiana simili modo constructa pentandriæ monogyniæ evasere. Ordines enim quamquam plerumque numero stylosum determinati, interdum quoque e stigmatum numero deducuntur. Præterea pentandriæ genera adeo sunt numerosa ut unum inter cætera agnoscere sæpè difficillimum sit.

Dodecandriæ genera plurimis exceptionibus obnoxia: Sempervivi staminum et pistillorum numerus pro petalorum numero varius. Genera quædam monadelpha in diadelphiâ locari nemo nescit eorum qui plantarum studio incubuerunt. Plantæ dioicæ et monoicæ complures neque in dioeciâ neque in monoeciâ reperiuntur. Fere omninò fieri non posse ut quis polygamie genera determinet, nemo negabit.

His præmissis, præstantia methodi naturalis philosophica clarius elucescet, præsertim si quis memor fuerit systema sexuale cæteris omnibus systematibus præfulsisse et nostro quoque tempore præfulgere.

Nusquam in methodo naturali ut in ordinibus artificialibus reperiuntur plantæ totâ structurâ simillimæ diversis in classibus ordinatæ neque aliæ diversissimæ classem eandem eundemque ordinem ingressæ. Plantæ ignotæ Botanices studiosus speciem quamdam à verâ formâ non ita remotam sibi in animo effingere potest e solo nomine familiæ in quâ planta hæc locum occupat. Quod quidem commodum inter majora referendum esse manifestum est.

Si plantam incognitam determinare cuiquam propositum sit, eumque scopum ut attingat systemate quolibet utatur, nihil ei systema proderit si characteres artificiales e quibus classis, ordo, etc. eruenda sunt nondum adfuerint vel jam evanuerint. Methodum vero naturalem sequutus, tum etiam quum characteres maximè essentielles aberunt, plantam ope characterum secundariorum sæ-

pissimè determinare poterit. Sic confutatur objectio eorum qui methodo naturali vitio vertunt plantas ferè observari non posse tempore quo cotyledones exseruntur. Quot enim notæ absentiam vel præsentiam, positionem oppositam vel alternam cotyledonum comitantur! (1). Hæc habitus tanta vis est ut Linnæus dixerit :

» *Habitus occultè consulendus est ne genus erroneum levi de causâ fingatur.*»

» *Experientia rerum magistra primo intuitu ex facie externâ plantarum familias sæpius divinat.*

» *Characteres habituales sufficientes quamvis non sint, tamen primo intuitu plantam sæpius manifestant.*

Addit mox philosophiæ Botaniciæ editor Sprengel : » *eximie in his characteribus habitualibus desudavit summus Jussievus § 168.*» In methodo naturali generum descriptio multò brevior est quam in systemate quovis artificiali, quia characteres omnibus ejusdem familiæ generibus communes in familiæ descriptione recensentur, familiarum ejusdem classis characteres communes in descriptione classis et sic porrò. Generum descriptio in methodo naturali multo quoque accuratior est, omnes characteres communes complectens quum ex fructificatione tum ex vegetatione desumptos et, vel in ipsâ generis vel in divisionum majorum descriptione enuntiatos. In systemate vero generum descriptio quamvis sat fusa sit, plerumque manca est. In multis enim generibus a Linnæo descriptis nec de staminum insertione nec de structurâ seminis interiori, nec de quovis organo a fructificatione alieno sermo fit.

Non omittendum est eum qui sibi generum naturalium cognitionem omnibus numeris absolutam comparavit, omnium quæ sunt et fieri possunt systematum clavem possidere. Nam » *Naturalis character tradit omnes notas characteristicas posibles, adeoque omnibus methodis inservit, quamvis innumeræ indies deteguntur.*» Phil. Bot. § 190.

---

(1) Idem in Zoologiâ obtinet : » *Habitus uti in quadrupedibus distinguit feras a pecoribus quamvis dentes non inspiciantur; sic etiam in plantis sæpè harum ordines naturales primo intuitu manifestat.*» Phil. Bot. § 165.

Vulgo tanquam vitium methodi naturalis manifestum carpitur plantas nondum satis multas innotuisse ut methodo fastigium imponatur et fieri posse in posterum ut plantæ detegantur quæ in methodi classes non quadrantes, novas classes institui exigant. Quum vero divisio plantarum naturalis basi physiologicæ incumbat rationi scilicet quâ reproductio ad nutritionem, organa mascula ad organa fœminea sese habent, omnesque essentielles eorum organorum existentiae modi e situ eorum pendeant; situs vero omnes nobis cogniti sint quia e distinctione petuntur adhærentiæ vel separationis partium sibi invicem naturâ oppositarum et tandem omnes formæ diversitates distinctionem hanc sequantur, patet omnes typos regni vegetabilis generales cognosci, et plantam quamlibet detectam ad unum horum typorum necessariò quadrare. Quin generum quæ nunc quoque incertæ sedis vocantur quodvis unam e classibus methodi naturalis quatuordecim pro suâ agnoscit, et considerandum est tanquam typus familiæ incognitæ quæ progrediente Botanice innotescet. Hinc ergo nedum vitium, potius methodi naturalis præstantia quædam emergit quamvis enim quidam stupuerint plantas omnes, ex quo systema sexuale vulgatum fuit, detectas in hujus systematis divisiones apprimè quadrare; hoc tamen non adeò mirum esse liquet, quum systematis auctor divisionum notas characteristicas ex arbitrio delegerit methodum adhibens analyticam, atque hæc stupenda quam dicunt plantarum cum systemate convenientia nonnisi innumeris intercedentibus exceptionibus locum habeat. Quod familiæ plantarum in systemate sexuali, ut supra dictum est, mirum in modum dilaerentur, hoc inde pendet quod Linnæus tertii valoris characteres ad characterum primariorum valorem evexerit. Interdum tamen quum characteres tertiarii æque constantes ac primarii evadunt, familiæ quædam fere incolumes servantur. Tales sunt Cruciferae, Leguminosæ, Labiatae. Systematis ergo Linnæi quoque imperfectio quædam in eo sita est quod neque omninò artificiale, neque prorsus naturale sit.

Mihi verò reliquum est, antequam de methodo naturali res-



pectu virium plantarum quædam adjiciam ut viri cui res herbaria perspectissima est, auctoritate fultus petam : ne paucis quæ præcedunt quidquam detrahere voluisse videar de ingentibus meritis præclari et solertis rerum naturalium investigatoris qui robore summo et sapientiâ aristotelicâ naturam perscrutatus est : cur enim quum tot nova ad scientiam incrementa accesserint pristinot botanices campos latiori conspectu perlustrare non liceret (1).

### *De Methodo naturali quoad ipsius applicationes consideratâ.*

Hactenus Methodi naturalis veritatem ac dignitatem evolvere annisus, nunc de utilitate ejus nonnulla subnectam; quidquid enim in theoriâ verum, utile sit in applicationibus necesse est. Quod nisi res ita sese haberet tunc quoque propter scientiæ et veritatis dignitatem Methodus naturalis colenda esset. Primam et antiquissimam divisionem plantarum ex materiis quas continent desumptam fuisse ex Theophrasto patet; qui quidem eas in farinosas, oleraceas et in tales quæ succos utiles suppeditant dividit, Dioscorides autem quoad vires earum enutrientes, medicinales et vinosas intuetur. Inter auctores recentiores antiquissimi Tragus et Lonicerus eandem viam ingressi sunt. Quibus omnibus objectum fuit eos non ipsa vegetabilia sed eorum usus intueri, quoniam nec substantias plantarum ipsas sed earum tantummodò utilitatem considerarent. At error in eo versatur quod planta plures continere possit et sæpissimè reverà contineat substantias, dominans

---

(1) Es soll hiemit gewiss den verdiensten des tiefen und herrlichen forschers nicht zu nahe getreten werden der mit nordischer kraft und aristotelischer weisheit die natur erforscht, aber warum sollte bey fortgeschrittener wissenschaft nicht ein klarer blick in die vergangenheit erlaubt seyn? (Cassel, lehrbuch der naturlichen pflanzen-ordnung.)



autem substantia licet plerumque cognationem immediatam indicet sæpe etiam cognationes remotiores determinet. Eadem enim substantia in diversissimis quoad ordinem naturalem vegetabilibus reperitur: Mentha æquè ac Laurus Camphora camphoram continet. Inversa vero propositio non adeo generalis est. Plantæ verè affines rarò diversas substantias continent et cum Linnæo dicere possumus » *Plantæ quæ genere conveniunt, etiam virtute conveniunt.* » Propositionem verò invertere nequimus dicentes. » *Plantæ quæ virtute conveniunt, etiam genere conveniunt.* » Quod si verum foret, divisio plantarum ex diversitate substantiarum quas continent peti posset.

Si ad ordinem quem antiquiores materiei medicæ auctores in medicaminum distributione servaverunt, respiciamus vero non absimile est iis persuasum fuisse plantas formâ exteriori consimiles etiam proprietatibus suis consimiles esse.

Burckhardus in epistolâ ad immortalem Leibnitzium inter majora Methodi naturalis commoda ponit quod pronò alveo ad cognoscendas plantarum virtutes deducat quæ, ut innuit, plerumque similes sunt in plantis eosdem characteres exteriores præferentibus. Eidem deinceps opinioni faverunt complures haud spernendi de re herbariâ scriptores, nullus verò manifestius quam Linnæus, ut quidem patet e philosophiæ botanicæ § 337 et sequentibus jam citatis, atque ex ejus horti Cliffortiani dedicatione, ubi dicit: » *Nulla datur vera cognitio virtutum plantarum nisi Botanicæ juncta: concedat hoc ambabus medicus omnis experientiâ et Botanicæ cognitione instructus, concedat hoc qui classes noverit naturales, affinitates et familias plantarum.* » E tantorum virorum auctoritate tamquam principium verum quidem sed postea demonstrandum admittatur: *Plantas ejusdem generis et plantas ejusdem familiæ virtutibus consimilibus plerumque esse præditas.* Quo posito, plantarum divisio naturalis maxima pariat commoda tum quoad scientiam ipsam, tum quoad usus humanos necesse est. Quemadmodum enim methodus naturalis faciem quasi præfert vegetabilium virtutes inquirentibus, ita cognitio vegetabilium virtutibus, Methodus naturalis

confirmatur atque emendatur. Quod quidem jam comprobatum fuit in *Menyanthe*, cujus inter *Lysimachias* collocati quum vires Botanici febrifugas admirarentur, *Ventenatus* e seminis structurá genus illud cum *Gentianeis* quibus cæteroquin virtute suá congruit cognatum esse rectè judicavit. *Magnoliaceæ*, ut docet *Cassel Laurineis* et substantiá et configuratione affines. In utriusque nempe aroma intensius reperitur et ternarius ejusque multipla dominantur in fructificationis partibus.

Ubi virium plantarum analogia cum earumdem structurá comprobata fuerit materiem medicam docentes in medicaminum vegetabilium expositione severiorem ordinem servare poterunt.

Methodo naturali mirum in modum succedaneorum inquisitiones juvari omninò liquet. Nuperrimè celeberrimus *Odier*, medicus genevensis, principio fultus plantas cognatione quadam junctas viribus consimilibus insigniri quum eum non lateret in *Sibiriá* *Rhododendron Chrysanthemum* adversus *Rheumatismum* felicissimè adhiberi, eodem consilio iterum atque iterum nec sine optimo successu *Rhododendro ferrugineo* in *Alpibus* crescenti usus est.

Navigatores in remotissimos terrarum tractus per maria devecti, omnium rerum vitæ necessariarum egeni ex analogiá virium plantarum faustissimum nonnunquam levamen percipere possunt. *Forster*, quum in insulis maris pacifici novam e *Cruciferarum* familiá plantam (*Lepidium Oleraceum*) reperisset eá cum felicissimo exitu tamquam antiscorbuticá usus est. *Labillardière* in suá circa orbem terrarum navigatione e nová *Chærophylli* specie quam invenit victum comitibus suis saluberrimum suppeditavit.

Quòd omnes denique artes quæ vegetabilibus utuntur methodo naturali juvantur, id ex eo, ut jam dictum est, sequitur quod ab uná plantá ad aliam ejusdem familiæ valeat plerumque conclusio. Quam ob causam supervacaneum duxi plura de hác re disserere. Neque tamen omittam quod ad agriculturam propius attinere videtur. Familiæ *Oleinarum* genera sibi mutò inseruntur. *Syringa* inseritur *Fraxino*, *Chionanto*, *Fontanesiæ*. *Decandolle* *Syringam persicam* *Phyllireæ latifoliæ* et oleam quæ *Phyllireæ*

quoque inseritur ipsi fraxino non sine optato successu insevit. Jasmineæ vero quæ diu cum Oleineis consociata fuerunt iis inseri non patiuntur. Quo confirmatur Jasminearum ab Oleineis separationem legitimam esse. Indè consecutaria arborum culturæ et vice versâ confirmandæ ordinationi plantarum naturali utilissima deduci posse spontè patet.

Quæ omnia methodi naturalis commoda quùm manifesta sint, principium a quo velut a fonte derivantur validis argumentis confirmandum est. Quæ quidem argumenta a theoriâ petuntur, ex observatione atque experimentis.

1<sup>o</sup> *E theoriâ.* Constat medicaminum in corpus humanum effectus ex eorum imprimis compositione pendere. Quæ compositio organismo plantæ medicamen præbentis et præsertim nutritionis organisi determinatur. Consimiles enim plantæ in solo diversissimo natæ ferè semper succos prorsus similes, plantæ verò diversæ licet in eodem solo natæ succos diversos elaborant. Cæterum vix dubitari possit an organa plantarum vires earum determinent, quùm succos variè elaboratos et peculiaribus proprietatibus præditos in diversis ejusdem plantæ seu animalis organisi contineri constet.

2<sup>o</sup> *Ex observatione.* Quædam animalia omnes generis vel familiæ ejusdem species eodem studio vel respuunt vel quærunt. Bos nec Labiatas nec Veronicas, equus ne Cruciferas quidem tangit. Bos, equus, ovis, sus, capra nullam ferè Solaneam comedunt, Graminearum (1) vero, Leguminosarum et Compositarum avidissima sunt.

Animalia unicâ plantarum specie vescentia cæteras interdum ejusdem generis vel familiæ species appetunt. Multa hujus rei exempla insectorum catervæ præbent. Similia phænomena in vegetabilibus parasiticis observantur.

3<sup>o</sup> *Ex experimentis.* Omnes veræ Cinchonæ species corticem peruvianum suppeditant. Omnes Rhei species Rhabbarbarum. Opium

---

(1) » Graminum folia pecoribus et jumentis læta pascua.» Phil. Bot. § 338.

plures Papaveris, semen-contra plures Absynthi, Therebinthinam plures Pinus species producant. Omnes Malvæ sunt emollientes, Cochleariæ antiscorbuticæ, Gentianæ febrifugæ, Aconita et Hellebori caustica, Euphorbia acria pariter et purgantia. Vis in genere quodam manifesta in aliis ejusdem familiæ generibus segnior vel acrior prodit. Tanta nonnunquam generum cognatorum hoc respectu similitudo est ut tota familia viribus iisdem insignis sit. Omnibus Gramineis semina sunt farinosa atque enutriëntia, embryo glutinosus, Culmi humore saccharino pleni. Labiatæ aromaticæ sunt. Omnes Colchicæ et Melanthacæ venenatæ sunt. Similiter Iridearum maxima pars principium nauseosum et purgans præsertim in radicibus continent. Umbellatarum semina sunt tonica et stimulantia, Euphorbiacearum acria et purgantia. Succus Cruciferarum est resinosus. Amentacearum cortex astringenti et febrifugæ virtutis insignis est. E generibus Rosacearum compluribus acidum hydrocyanicum extrahitur.

Sunt tamen et exceptiones quædam quæ principium nostrum fortiter impugnare videntur. Perniciosa Cicuta in eodem ordine militat ac Daucus Carotta. Convolvulus Batatas cujus tubera victum saluberrimum utriusque Indiæ incolis subministrant, congener est acerrimi Convolvuli jalapæ. Cucumis Colocynthis simillimus est quoad formam exteriorem Cucumeri Meloni. Solanum Tuberosum cum teterrimis venenis consociatum est. Lolium temulentum inter plantas cereales locum tenet. Piscidia Leguminosarum genus narcoticum est. Hæ verò exceptiones mirificè minuuntur; 1º si annotetur propter distantiam veram et variam inter species ejusdem generis seu genera ejusdem familiæ intercedentem, quæ verò in libris botanicis repræsentari non potest quàm id tantum in mappâ (1) fieri queat geographicæ instar connecta, majorem vel minorem necessario quoque inter ejusdem generis species, seu ejusdem familiæ genera, quoad vires, distantiam intercedere. 2º Si tamquam principium stabilietur plantæ

---

(1) Plantæ omnes utrinque affinitatem monstrant uti territorium in mappâ geographicâ. Phil. Bot.

organum quodlibet non nisi cum simili alius plantæ organo comparari posse. Quod principium illustris Bernardus Jussievus legitimum esse probavit quum ostendit Euphorbiæ atque aliarum complurium plantarum perispermum esse dulce atque edule dum corculum acre est et vehementer purgans. Itaque tubera Solani Tuberosi cum bacca cæterarum Solanearum comparari nequeunt nec Dauoi Carottæ radices cum foliis Cicutæ adeo ut evanescant exceptiones legem analogiæ maximè impugnant. 3º Si non negligatur status vegetabilium merè fortuitus et transitorius tempore quo in usus vertuntur. Heraclæum Sphondylium planta in pratis passim obvia nullum gregibus pascentibus damnum affert. Interdum tamen in locis humidioribus noxia fit. Apium graveolens acre, nauseosum, venenatum in paludibus ubi naturâ crescit, in solo sicciori excultum fit dulce et edule. Quod de speciei individuis dictum de generis et familiæ speciebus dici potest. Umbellatarum species Phellandrium aquaticum, Cicuta virosa, Æthusa cynapium, Ananthe crocata in locis aquis crescentes, omnes aliquid veneni continent. Species verò Angelica Archangelica, Coriandrum sativum, Anethum fœniculum locorum sicciorum et apricorum incolæ viribus aromaticis, dulcibus et stimulantibus insignes sunt. 4º Si tandem consideretur ingentem exceptionum numerum oriri posse e diversis combinationibus chemicis partium constituentium omnibus revera plantis consimilibus communium, et diversis rationibus medicamina extrahendi et parandi, e vario cogitandi et ratiocinandi modo eorum qui diversorum medicaminum effectus et applicationes comparant. Quæ quum ita sunt haud temerè concludere cum Decandolle possumus familias quarum exceptiones etiamnum solvi non posse videntur serius, progradientibus continuò Chemiâ vegetabili et Botanicæ sub leges analogiæ redituras esse. Ut autem eo redeam undè rem exorsus sum tanquam commodum Methodi naturalis minimè spernendum imò maximi faciendum celebrare posse puto: hanc Methodum considerationibus physiologicis inædificatam ad considerationes denuò physiologicas viam sternere. Quod ex iis quæ præcedunt jam

manifestum multo clarius ex auctorum supra laudatorum Decandolle et Cassel disquisitionibus physiologicis liquet. Quin e pluribus passim Linnæi scriptorum locis patet virum solertissimum in disquisitionibus circa plantas physiologicis affinitate plerumque naturali ductum fuisse. » Monopetali sæpius multiplicatur; rarius pleni evadunt. Polypetali non raro multiplicatur. Phil. Bot. § 120. Polypetali sæpius fiunt pleni. Monopetali rarius implentur. § 121. Multi plantarum ordines naturales flores luxuriantes exhibere nequeunt. Ejusmodi sunt præprimis sequentes: Apetalæ, Verticillatæ, Personatæ, excepto Antirrhino; Umbellatæ, exceptâ Umbellâ prolifera. Papilionaceæ raro plenos flores producant, etc. »

Decandolle exemplum utilitatis physiologicæ Methodi naturalis admodum insigne præbet ex *Albucâ* desumptum. Etenim *Albucâ* Liliacæ structuram omninò consimilem refert excepto quod tria tantum stamina antheris instructa ferat, tria vero filamenta staminibus intermedia, staminum filamentis sat similia ac perinde posita ac si vera stamina essent. Inde ergo merito concluditur hæc filamenta stamina esse quorum antheræ abortu sunt evanidæ. Exemplum haud minus insigne sequens est: Compositæ in Dipsaceas, Dipsacæ in Rubiaceas transeunt. In Compositis pericarpium nullum sed paleæ observantur. In Dipsacearum uno genere scilicet *Fedia* pericarpium manifestari incipit, in Rubiaceis omnibus integrum adest. Hinc Cassel rectè concludit paleas in Compositis tamquam pericarpium rudimentum considerandas esse.

Hæc pro Methodo naturali habui quæ dicerem mihiq; superest ut doctissimos quibus exiguum hoc studiorum meorum specimen legendi cura demandata est, viros, ne conatibus meis juvenilibus indulgentiam denegent, venerabundus rogem qui, quum per breve admodum tempus suavissimo studio plantarum operam navarim præstantiam Methodi naturalis philosophicam nonnisi eminus spectare potui.

JOHANNIS LANTHEERE,

GANDAVENSIS,

RESPONSIO

AD

QUÆSTIONEM, AB ORDINE PHILOSOPHIÆ THEORETICÆ  
ET LITERARUM HUMANIORUM,

ANNO M. D. CCC. XVIII PROPOSITAM :

*Invitantur Literarum Humaniorum studiosi juvenes, ut non modo  
argumentis ratione conclusis, verum etiam exemplis, ex Historia  
antiqua et recentiore petitis, ostendant, verissimum esse illud de  
Studiis Humanitatis praeconium Ciceronis in Or. pro Arch. Poëta,  
Cap. VIII. « Hæc studia adolescentiam alunt, senectutem ob-  
» lectant, secundas res ornant, adversis perfugium et solatium  
» præbent; delectant domi, non impediunt foris, pernoctant  
» nobiscum, peregrinantur, rusticantur. »*

QUÆ PRÆMIUM REPORTAVIT A. D. IV. OCTOBRIS M. D. CCC. XIX.

---

*Omnia dispereunt , mundo quae pulchra videntur :  
Divitias subito sors inimica rapit.  
Perpetuo durat virtus doctrinaque rerum ,  
Inque illam sors nil , quod dominetur , habet.  
Haec tibi sola potest laudemque decusque parare ,  
Te facit haec veris delitiisque frui.  
Haec studiose puer vigili tibi quaere labore ,  
Haec tibi prae cunctis sit potiore loco.*

JOH. OWENUS.

---



---

---

## EXORDIUM.

*I*nter illa multiplicis generis animantia, quibus Deus hunc orbem terrarum exornavit, nullum animal tot et tantis dotibus instructum est, quot et quantis illud providum, sagax, multiplex, acutum, memor, plenum rationis et consilii, quem hominem vocamus (1). Ut hic, tamquam terrestre numen quoddam, in reliqua animantia dominari, opera divina contemplari, et ex illa contemplatione diurnâ non modo sapientissimum et divinum conditorem cognoscere, sed cognitum sancte ac religiose etiam colere posset, summe adorandum Dei numen palmariis dotibus ipsum prae caeteris animantibus excellere voluit. Primo enim, quum brutis animantibus Deus pronum corpus dederit, eaque ventri obedientia finxerit, hominem contra ea celsum et erectum constituit, sive, ut ille canit,

Os homini sublime dedit, cœlumque tueri  
Jussit, et erectos ad sidera tollere vultus (2).

Deinde vero, ut homo sibi comparare posset, quae ad oblectationem vitae conducibilia, et quae ad ipsius usum necessaria forent, divina providentia hominem instruxit duabus manibus, veluti totidem artium multarum aptis ministris (3). Praeterea ei dedit rationem, per quam consequentia cereret, causas rerum videret, earumque progressus et quasi antecessiones non ignoraret, simi-

---

(1) Cic. de Leg. 1. c. 7.

(2) Ovid. Met. 1. 55.

(3) Cic. de N. D. 2. 60.

litudines compararet, rebusque præsentibus futuras adjungeret, facileque totius vitæ cursum videret, et ad eam degendam præpararet res necessarias (1). *Et denique quum nec mens, nec ratio suam vim et efficaciam indicare luculenter possent, nisi illis accederet oratio; Deus homini item distinctam et articulatam vocem dedit, quâ animi voluntatem exprimeret, ac cogitationes suas cum aliis communicaret, quæque humanæ societatis conciliatrix esset* (2).

*Jam autem, quum hæc ita sese habeant, nec Deus pro insigni sapientia sua quidquam frustra procreaverit; nonne ante omnia reliqua primum hominis officium in harum dotum cultura maximam partem posita est? nonne quo quis majus in illis excolendis studium collocet, eo dignior hominis nomine erit? Et contra ea, nonne quo magis quis has dotes negligat, eo similior brutis evadet? Nihil igitur hominem magis decet, nihil magis humanum vocandum est, quam cultura illarum dotum, in quibus omnis vis, omnisque excellentia nostra præ caeteris animantibus unice quaerenda. Sed qua tandem ratione homo id melius facere possit, quam si eximias suæ mentis et rationis vires ac facultates bonarum artium atque doctrinarum studio excolat, et sensim ad summam perfectionem producere contendat? Verum quum hoc illud ipsum sit, quod hac scriptiuncula pluribus exponere mihi proposuerim; hæc veluti in antecessum dicta nunc quidem sufficiant.*

(1) Cic. de Off. 1. c. 4.

(2) Cic. de Leg. 1. c. 9.

---

*Caput primum.*

---

DE LITERIS HUMANIORIBUS, EARUMQUE FINIBUS  
PROBABILITER CONSTITUENDIS.

---

UT in illo Ciceronis loco, qui nobis ad explicandum propositus est, recte et cum ratione verser, atque hanc quæstionem ad probabilem exitum quodammodo perducam, non aliunde profecto melius ac certius hujus commentationis initium me ducere et posse et debere opinor, quam a definitione vocis *Humanitas*. Recte enim præcipit Cicero (1), *omnem institutionem, quæ a ratione suscipiatur de aliqua re, a definitione proficisci debere, ut intelligatur, quid sit id, de quo disputetur.*

§ I.

DE PRÆCIPUIS SIGNIFICATIONIBUS, QUAS VOCI *HUMANITAS* VETERUM LOQUENDI USUS ADJUNXIT.

Quoniam verba, ut ait Cicero (2), *rerum notæ sunt*, debet profecto secundum rationis et artis Logicæ præcepta, illud quod verbo significatur, non repugnare, sed veri quid esse. Deinde vero, quum loquendi usus multis verbis; (quæ vulgo homonyma vocantur) complures significationes tribuerit; debemus in illis indicandis potissimum ita versari, ut a principe atque propria significatione incipiamus, quippe ab hac, tamquam a fonte rivuli, reliquæ deductæ sunt.

---

(1) Cic. de Off. 1. c. 2.

(2) Cic. in Top. c. 5.

Quemadmodum igitur ab adjectivo *socius* fit substantivum *societas*, significans *sociorum coetum* (1): aut ab adj. *sodalis* descendit subst. *sodalitas*, i. e. *sodalium congregatio* (2): aut a voce *civis* oritur alia *civitas*, notans *multitudinem hominum in uno eodemque loco habitantium*; sic ab adj. *humanus* derivatur subst. *humanitas*.

Jam autem, quid est *humanum*, aut quænam est hujus vocabuli vis et significatio? Omne id *humanum* vocamus, quod ad homines pertinet. Testis est Terentius (3), ubi ait: *Homo sum, humani nihil a me alienum puto*. Atque hinc *humanitas* proprie mihi significare videtur *ipsum genus humanum*, Belg. *het menschdom*. Hoc sensu legitur apud Senecam (4), ubi ait: *homines pereunt, at humanitas permanet*. — Deinde apud Ciceronem primo loco ponitur pro *humana natura*, veluti in illis verbis, *magna est vis humanitatis* (5). Tum strictiori sensu dicitur de omnibus illis rebus, quæ homini propriæ sunt, et ab ipsius natura proficiscuntur, sive, ut aliis verbis utar, de singulis fere propensionibus, appetitionibus et habilitatibus usurpatur, quæ a natura hominibus attributæ sunt. At quum illæ ipsæ non unius sint generis, præsci scriptores Latini plures etiam notiones voci *humanitas* subiecerunt. Sic v. c. *humanitatis* nomine significatur ille affectus, qui hominis est erga hominem, et a Græcis nominatur *Φιλανθρωπία*, h. e. ἡ τινὸς ἀπλῶς πρὸς ὄντινόςιν Φιλία καὶ θιάθεσις ἀγαπητικὴ (6). Porro illa virtus, qua erga alios, quibuscum versamur, benigni, comes, facilesque sumus, et quæ apud Græcos *εὐκολία* nomine venit, a Latinis haud ineptè *humanitas* appellatur. Sic dicit Cicero (7), *humanitate tanta fuisse Pompejum, ut dictu difficile sit, utrum hostes magis virtutem ejus pugnantes timuerint, an mansuetudinem victi dilexerint*. Et Nepos (8) de T. Pomponio Attico: *humanitatis vero nullum afferre*

(1) Cic. pro Sext. c. 10, nulla erat Romæ societas.

(2) Gell. N. A. 20. 4. a sodalitatibus scenicarum.

(3) Heaut. I. 1, 25.

(4) Ep. 65.

(5) Pro Rosc. Am. 22.

(6) Thom. Mag. p. 896.

(7) Pro Leg. Man. c. 14.

(8) V. Att. c. 25.

*maius possum testimonium, quam quod adolescens idem seni Syllae fuerit iuundissimus; senex M. Bruto: cum aequalibus autem suis, Q. Hortensio et M. Cicerone, sic vixerit, ut iudicare difficile sit, cui aetati fuerit optissimus.* — Præterea eo etiam pertinet illa vivendi et cum aliis agendi ratio, quæ liberaliter educatis hominibus imprimis probatur, in quadam venustate et lepore per omnem orationem æquabiliter fuso cernitur, et ex toto morum genere eminet. Quam non modo Latini *humanitatem*, verum alio etiam nomine *urbanitatem*, ἀσείότητα, appellarunt, et cui *rusticitatem*, ἀγροικίαν, opposuerunt (1). Et denique quum animi cultura, utpote alendis augendisque mentis et animi viribus imprimis accommodata, plurimum ad hominem formandum conducat, hunc ipsum *animi cultum* locuples testis Cicero (2) *quemdam quasi humanitatis cibum* esse dixit. — Plura de hoc argumento suppeditant Facciolatus in Lex. tot. Lat. v. *humanitas*, et Ernestus in cl. Cic.

## § II.

### DE PRÆCIPUIS STUDIORUM HUMANITATIS PARTIBUS.

Expositis significationibus præcipuis, quas veterum loquendi usus *humanitatis* vocabulo tribuit, nunc jam ratio mihi postulare videtur, ut quæram, quænam potissimum *illa studia humanitatis* sint, quorum Cicero in scriptis suis tanta cum laude toties meminit.

Possumus quidem ad hanc quæstionem generatim respondere, inter humanitatis studia jure et merito omnes illas artes et doctrinas esse censendas, quibus illa vis et efficacia insit, ut hominem ad humanitatem informent: sed ejusmodi nuda verborum immutatio hac in parte exigui, aut potius nullius pretii et momenti est. Omnis enim notio rei, quæ non nisi per se ipsa describitur, indistincta est, nec justæ et legitimæ definitionis loco

(1) Cic. de Off. 1. 40.

(2) De Fia. B. et M. 5. 19.

haberi omnino potest. — Jam igitur, quum hac ratione parum proficiamus, nec quisquam Veterum, quantum sciam, nobis nominatim et disertis verbis indicaverit, quænam ipsis *studia humanitatis κατ' ἐξοχήν* dicta sint, et quot illa fuerint numero; nihil magis accommodatum proposito nostro mihi videtur, quam vestigia legere Ciceronis, cujus in omni doctrinarum genere excellens, admirabile atque divinum ingenium fuit, et a quo ea de causa legitimam, suisque numeris absolutam horum studiorum comprehensionem merito expectare possumus. Neque est, quod diu multumque in ejus scriptis anquiramus. In sola hac Oratione, quam pro Archia habuit, quod quærimus, inveniri potest. Age igitur, præcipua hujus Orationis loca afferamus, et justa lance ponderemus.

Cap. VIII. legimus: *Caeterae (artes et doctrinae) neque temporum, neque aetatum omnium, neque locorum; at haec studia (humanitatis) adolescentiam alunt, caet.* Quid ex priori parte hujus loci discimus? Nihil profecto aliud, nisi *studia humanitatis esse omnium temporum, omnium aetatum et locorum*, sive, ut aliis verbis utar, hæc studia posse omnibus temporibus, tam prosperis quam adversis, coli, illa tam juventuti, quam virili ætati et senectuti convenire, et domi pariter atque foris usui esse. Verum significatio horum verborum tam late patet, atque adeo indefinita est, ut in eruditionis humanæ immenso, ut ita dicam, campo nos incertos oberrare et circumvagari sinat. Nam scire, *haec studia omnium temporum, locorum et aetatum esse*, non magis nobis prodest, quam si audire cupientes, quid *Amicitia* sit, in illo Ciceronis præconio acquiescere velimus, ubi ait (1): *Amicitia res plurimas continet, quoquo te verteris, praesto est: nullo loco excluditur, numquam intempestiva, numquam molesta est.* Valeant ejusmodi dicta, quod non negem, ad discendi cupiditatem in animis nostris excitandam et augendam: sed nunquam tamen nobis accuratam suisque finibus legitime circumscriptam definitionem suppeditare poterunt.

---

(1) Cic. de Amic. c. 6.

Cap. II. ait idem Cicero : *Quaeso a vobis, ut in hac causa mihi detis hanc veniam, ut me pro summo poëta atque eruditissimo homine dicentem, hoc concursu hominum literatissimorum, hac vestra humanitate, hoc denique praetore judicium exercente, patiamini de studiis humanitatis ac literarum paulo loqui liberius.* Lectis et accuratè perpensis his verbis, nondum quidem eo pervenimus, ut certo definire possimus, quas artium et doctrinarum disciplinas Veteres nomine *studiorum humanitatis* insigniverint : attamen jam tantum lucis nobis affulget, ut non sit, quod amplius nobis dubitare liceat, quin ad humanitatis studia omnes illæ artes ac doctrinæ pertineant, quas Cicero in hac ipsa Oratione commemorat et laudat, atque ob quarum amorem et exercitationem Archiam iudicibus etiam atque etiam commendat. Hoc mihi luce clarius esse videtur. Quæritur ideo tantum, quænam illa studia sint? Respondeo *poëseos* studium, *historia*, *philosophia*. Harum enim artium et doctrinarum laudes singulis fere capitibus prædicat.

Ubi denique tertio loco ad hanc ipsam nobis propositam quæstionem diligenter advertimus, studiorum humanitatis comprehensionem non quidem disertis verbis à Cicerone recenseri, verumtamen oblique significari videmus. *Haec studia* inquit, *adolescenciam alunt*. Nonne hinc sequitur, cuicumque artium et doctrinarum disciplinæ illa vis *alendi juventutem* tribui queat, ipsam studiis humanitatis annumerandam esse? Verum quid hoc sibi vult, seu, quale illud est, quod *alere juventutem* vocamus? Hoc nihil aliud mihi esse videtur, nisi *juvenum ingenia acuere, mentes pulchri et honesti sensu imbuere, animosque ad morum elegantiam, vitæ honestatem, virtutis studium formare.* Atque ideo recte alicubi dicit Quintilianus, *pueris praelegenda esse, quæ maxime ingenium alant.* Quænam autem erant potissimum illa, quæ pueris tradebantur? Operæ pretium mihi videtur, breviter ostendere, quibusnam inprimis artium et doctrinarum disciplinis liberaliter educati juvenes apud Græcos et Romanos operam dederint, et ingenia aluerint. Hoc enim animadverso, facilius erit, de *studiorum humanitatis* ambitu quid statuendum sit, dijudicare.

Ex Historia Literaria scimus, doctrinarum studia a Græcis ad Romanos pervenisse. Porro e Cicerone constat, apud Athenienses *humanitatem ortam* dici (1). Jam igitur ubi ad hos ipsos Athenienses animum advertimus, apud eos juvenilis institutionis propositum imprimis hoc fuisse videmus, ut pueri a primis annis tam ad corporis, quam ad animi præstantiam formarentur (2). De hoc duplici proposito loquitur Socrates apud Platonem cum juvene Adimanto, ubi ait : *τίς οὖν ἡ παιδεία; — ἔστι δέ που, ἡ μὲν ἐπὶ σώμασι, γυμνασική, ἡ δ' ἐπὶ ψυχῇ, μουσική* h. e. *quænam igitur hæc disciplina? Est scilicet ad corpus curandum, Gymnastica: ad animum erudiendum, Musica* (3). Hinc Parmeno Terentianus, Chæreæ laudes prædicans, *fac, inquit, periculum in literis, fac in palaestra, in musicis, quæ liberum scire æquum est, solertem dabo* (4). Quæ verba ubi cum animadversione Perizonii (5) conferimus, nullum fere de populo civem apud Athenienses adeo alienum a liberalibus studiis fuisse videmus, quin *quatuor* his artibus, *palaestræ, musicæ, picturæ et literis* studuerit. Atque idcirco magnus ille G. J. Vossius has artes haud inepte *populares* vocavit (6).

*Palaestram, sive Gymnasticam* Seneca quidem per contemptum *oleo ac luto constantem scientiam* vocat (7): at vel sic tamen a Græcis summâ curâ exercebatur, idque partim ob corporis conformationem, partim agilitatis et virium augendarum gratiâ (8). Operæ pretium est audire Platonem hac de re loquentem. *Mittunt parentes, inquit, filios ad gymnasiolorum magistros, ἵνα τὰ σώματα βελτίω ἔχοντες ὑπηρετῶσι τῇ διανοίᾳ χρηστῆ ὕψου, καὶ μὴ ἀναγκάζονται ἀποδειλιᾶν διὰ τὴν πονηρίαν τῶν σωμάτων, καὶ ἐν τοῖς πολέμοις, καὶ ἐν ταῖς ἄλλαις πράξεσι ut firmum aptumque corporis habitum adepti, optimæ menti suppeditent ministerium, ne corporum*

(1) Cic. pro Flac. c. 26.

(2) Plato de Rep. p. m. 446.

(3) Plato p. m. 429 D.

(4) Ter. Eun. III. 2. 23.

(5) Periz. ad Æl. V. H. VII. 15. 3.

(6) G. J. VOSSIUS, *De quatuor artibus popularibus*. Amst., 1660. 4°.

(7) Senec. Ep. 33, pag. 567; edit. J. Lips.

(8) Quintil. I O. XI. 16.



*fragile statu impediti, in bellis reliquisque actionibus reformidare cogantur* (1). Studebant igitur palæstræ, ut in præsens exercerentur, et in posterum meliores et agiliores milites essent (2).

Quid de *Musica* dicam? In hac canendi et sonorum rectrice Græci magnam eruditionis partem positam censebant. Vidimus modo, Socratem dixisse, ad animum erudiendum valere musicam. Hinc Græci a prima pueritia musicis certaminibus tam Tragicorum, quam Comicorum, intererant. Audiebant illos, quum vel sua, vel aliorum carmina recitarent. Eleganter de his certaminibus scripsit sæpius ille in scholis nostris laudatus summus WYTTENBACHIUS (3): » *Antiquissima ætate apud alios Graeciae populos literis atque doctrinae parum tribuebatur publicae laudis ac mercedis, et qui apud eos erant docti atque ingeniosi, hi suo fere studio et naturae bonitate exstiterant: contra decus omne ponebatur in solennium ludorum victoria, quae corporis viribus et velocitate parabatur, eaque victoria immortalitatis habebatur. At vero Athenienses in utraque laude operam ponebant: et quemadmodum ludis Olympiis, Pythicis, Isthmicis, Nemeis, cum aliis Graecis de corporum roborisque palma certabant, ita Athenis ipsi inter se Tragicis, Comicis, aliisque certaminibus musicis, haud minori studio de ingeniorum gloria contendebant. — Et profecto magnam habebant vim illa spectacula apud spectatores ad acuendum pulchri honestique sensum: et honor publice habitus poëtis homines ingeniosos mirifice incitabat ad ejusdem artis studium.* » Quem autem fugiunt illa Ciceronis, ubi ait, Themistoclem indoctiorem habitum esse, quum in epulis lyram recusasset? (5)

Porro *graphidos* scientiæ Græcos a pueris operam navasse, et hujus artis studio pueros ad elegantiae et pulchritudinis sensum percipiendum formasse, ex multis veterum locis abunde constat. Quid, quæso, canit Horatius? (6)

(1) In Protag. p. m. 109,

(2) Cff. Int. ad. Nep. Epam. c. 2. § 5.

(3) Bibl. Crit. Vol. I. Pars IV. p. 2.

(4) Cic. De Leg. II. c. 25, assentior, ait, Platoni nihil tam facile in animos teneros atque molles influere, quam varios canendi sonos. Conf. Victor. in Lect. Ant. p. 21.

(5) Tusc. Qu. 1. 2. et ad illum loc. interpr. Utinam mihi inspicere ac consulere licuisset Disput. Orn. C. A. DEN TEX, *de vi musices ad excolendum hominem*. Traj. ad Rhen. 1816. sed tales libri hic nondum reperiri possunt in Biblioth. Acad.

(6) Art. Poët. 130.

*Sægnius irritant animos demissa per aurem,  
Quam quæ sunt oculis subjecta fidelibus, et quæ  
Ipse sibi tradet spectator.*

Atque in natura hominum positum est, ut puerorum mentes et pectora rerum imaginibus et simulacris mirifice delectentur. Quare nulla causa adesse mihi videtur, cur miremur, Græcorum pueros, quum tot summa arte in ipsorum templis et civitatibus exstarent facta pictorum et statuariorum opera, jam mature contemplandis hisce egregiis operibus ordinis, splendoris et simplicitatis rationem percepisse, et pulchritudinis veræ sensu imbutos fuisse.

Quarta denique institutionis juvenilis pars sita erat, ut dixi, in *litteris*. Jam mature pueri literarum elementa discebant, h. e. elementariæ legendi et scribendi disciplinæ studebant. Multum enim Græci oris ac vocis suavitati tribuebant. Sed quicumque supra vulgus sapere cupiebant, apud Grammaticos in scholis excellentium poëtarum opera sibi legenda et ediscenda sumebant, ut memoriam suam excolerent, et a pueris bene dicendi pariter atque vivendi præcepta perciperent. Quid ait Plato? (1) Μετὰ δὲ ταῦτα εἰς διδασκάλων πέμποντες, πολὺ μᾶλλον ἐντέλλονται ἐπιμελεῖσθαι εὐκοσμίας τῶν παιδῶν ἢ γραμμάτων τε καὶ κιθαρίσεως. οἱ δὲ διδάσκαλοι τούτων τε ἐπιμελοῦνται, καὶ ἐπειδὴν αὐτὰ γράμματα μάθωσι, καὶ μέλλωσι συνήσειν τὰ γεγραμμένα, ὥσπερ τότε τὴν Φωνὴν, παρατιθέασιν αὐτοῖς ἐπὶ τῶν βιβλίων ἀναγινώσκειν ποιητῶν ἀγαθῶν ποιήματα, καὶ ἐκμανθάνειν ἀναγκάζουσι ἐν οἷς πολλὰ μὲν νουητήσεις ἐνεῖσι, πολλὰ δὲ διέξοδοι καὶ ἔπαινοι, καὶ ἐγκώμια παλαιῶν ἀνδρῶν ἀγαθῶν ἵνα ὁ παῖς ζῆλῶν μιμῆται, καὶ ὀρέγηται τοιοῦτος γενέσθαι. *Posthæc ludi magistris pueros curandos tradunt, morumque bonorum diligentiam multo magis, quam literarum citharæque doctrinam a magistris exposcunt, præceptores autem susceptos curant et excolunt. Et literas ubi didicerunt, ad scriptaque intelligenda convertuntur, poëtarum inprimis*

(1) In Protag. p. 199. F.

*excellētia opera illis legenda et ediscenda proponunt, quibus monita quam plurima insunt, priscorumque virorum virtute praestantium gesta laudantur, ut puer aemulatione accensus praeclara majorum facinora imitetur.*

Deinde *historiae* quoque operam dabant, quippe ipsius studium ad honestatis amorem et virtutis culturam maxime efficax esse jure arbitrabantur. — Praeterea animum pueri appellebant ad *Arithmetica*, *Geometria*, *Astronomia*, ut nimirum, quo magis mentem his doctrinis subegissent, eo aptiores ad philosophandum forent, et eo accuratiori et certiori, quid in quaque re verissimum esset, cernendi facultate pollerent. Nota sunt illa Xenocratis Chalcedonii (1) verba, quae dixisse fertur, cum quidam juvenis, hujus humanioris eruditionis ignarus, ad ipsum philosophiae discendae gratia venisset: πορεύου, λαβὰς γὰρ οὐκ ἔχεις Φιλοσοφίας· *abi, nam ansis et adminiculis philosophiae cares.* Vel secundum alios: παρ' ἐμοὶ πόνος οὐ κνάπτεται, *apud me vellus non mollitur.*

Denique tandem quum has artes et doctrinas, utpote philosophiae socias et adjutricēs, tractassent, inque illis satis diu sese exercuissent, tunc demum ipsius philosophiae studio sese dabant, eamque non arctis cujusdam compendii finibus includebant, sed ad omnem scientiae universitatem accommodabant, et sic tandem assiduo literarum studio atque diuturna exercitatione ad eloquentiae laudem pervenire contendebant. Verissime enim scripsit celeb. WYTTENBACHIUS (2): *Opera danda est, ut veterum lectione cum artis rationem assequamur, tum imprimis ingenium ad naturae sanitatem revocemus, et ad pulchri et venusti sensum conformemus, animumque ad veram altitudinem attollamus. A quibus virtutibus nisi proficiscatur dicendi facultas, nae illa potius vana loquacitas, quam vera eloquentia sit.*

Veniamus nunc ad *Romanos*. Simul atque apud hos pueri in aedibus paternis prima literarum elementa didicerant, studia illo-

(1) Diog. Laert. IV. 10.

(2) Bibl. Crit. Vol. I. P. II. pag. 7.

*rum extra limen proferebantur* (1), h. e. in scholas publicas mittebantur. Quid, quæso, refert Plutarchus, de Cicerone? (2). Ἐν ἡλικίᾳ τοῦ μαθάνειν γενόμενος, δι' εὐφυΐαν ἐκλάμψας, καὶ λαβῶν ὄνομα καὶ δόξαν ἐν τοῖς παισίν, ὥστε τοὺς πατέρας αὐτῶν ἐπιφοιτᾶν τοῖς διδασκαλείοις, ὄψει τὲ βουλομένους ἰδεῖν τὸν Κικέρωνα, καὶ τὴν ὑμνουμένην αὐτοῦ περὶ τὰς μαθήσεις ὀξύτητα καὶ σύνεσιν ἰσορῆσαι τοὺς δὲ ἀγροικοτέρους ὀργίζεσθαι τοῖς υἱέσιν, ὀρῶντας ἐν ταῖς ὁδοῖς τὸν Κικέρωνα μέσον αὐτῶν ἐπὶ τιμῇ λαμβάνοντας. h. e. *Ut primum per aetatem discere bonas artes ipsi licuit, ita ejus ingenium eluxit, et tantam nominis ac gloriae famam sibi inter pueros peperit, ut patres eorum ad ludum literarium venirent, videre cupientes Ciceronem, celebratamque ejus in docendo celeritatem cognoscere: et inurbaniore nonnulli filiis suis irascerentur, quum honoris causa Ciceronem ab iis inter eundem in medium recipi viderent.* — Tum de Attico ita loquitur Nepos: (3) *In pueritia nobilis inter aequales ferebatur, clariusque exsplendescibat, quam generosi condiscipuli aequo animo ferre possent.* Porro Horatius pluribus locis (4) testatur, se scholis publicis interfuisse. Atque Ovidius denique canit (5),

*Protinus excolimur teneri, curaque parentis  
Imus ad insignes urbis ab arte viros.*

In his autem scholis, quibus *Grammatici* præerant, primum pueris aditus aperiebatur ad intelligendos scriptores. Explicabantur enim in illis cum poëtæ, tum historici. Quintilianus (6) de puerorum institutione agens: *Optime institutum est, inquit, ut ab Homero atque Virgilio lectio inciperet.* Atque Plinius minor idem testatur, ubi ait: (7) *Attilius noster expresse mihi dixisse videtur, sic in foro pueros a centumviralibus causis auspicari, ut ab Homero*

(1) Plin. Lib. III. Ep. 3. et auctor. Dial. de Caus. Corr. Elog. c. 25.

(2) Vita Cic. c. 2. edit. Wyt.

(3) V. Att. c. 1.

(4) Lib. 2. ep. 2, 41. Lib. I. sat. 6. 77.

(5) Trist. I. IV. V., 15.

(6) I. O. I. c. 8.

(7) Lib. I. ep. 14.

*in scholis.* Præterea in iisdem illis scholis antiquitus artis Rhetoricæ initia etiam tradebantur. Ait enim Suetonius (1): *veteres Grammatici et Rhetoricam docebant: ac multorum de utraque arte commentarii feruntur, secundum quam consuetudinem posteriores quoque, existimo, quamquam jam discretis professionibus, nihilominus vel retinuisse, vel instituisse et ipsos quaedam genera institutionum, ad eloquentiam præparantium, — ne scilicet sicci omnino atque aridi pueri Rhetoribus traderentur.* Tum quoque in puerili ætate Geometriam et alias disciplinas mathematicas didicisse videntur. Cicero certe hoc de se testatur: (2) *Sextum Pompejum in geometria ipse cognovimus.* Deinde vero, quum in his disciplinis satis diu versati essent, atque illarum studio et exercitatione ingenia aluissent, et pectora subegissent, sese rhetoribus ac philosophis in disciplinam dabant, ut ab illis omnem declamandi, ab his vero disserendi artem perciperent, et sic utrorumque præceptis atque institutione denique oratores fierent. Declamabant autem plerumque Græce. Scripsit enim Cicero ad M. Titinium: (3) *Equidem memoria teneo, pueris nobis primum Latine docere coepisse Lucium Plotium quemdam: ad quem quum fieret concursus, quod studiosissimus quisque apud eum exerceretur, dolebam mihi idem non licere. Continebar autem doctissimorum hominum auctoritate: qui existimabant Graecis exercitationibus ali ingenia melius posse. Quin etiam, si Suetonio (4) fidem habemus, Cicero ad praeturam usque Graece declamavit.* Ipse de hoc declamandi studio suo hæc refert: (5) *Commentabar declamitans: idque faciebam multum etiam Latine, sed Graece saepius: vel quod Graeca oratio plura ornamenta suppeditans, consuetudinem similiter Latine dicendi afferebat, vel quod a Graecis summis doctores, nisi Graece dicerem, neque corrigi possem, neque doceri.* Verum quo melius appareat, quanto studio M. Tullius omnem literarum humanitatem perlustraverit, et qua via ac ratione ad summam eruditionem pervenerit, locum ex *Dialogo de causis*

(1) De Ill. Gram. c. 4.

(2) De Off. lib. 1. c. 6.

(3) Apud. Suet. de Clar. Rhet. c. 2.

(4) De Clar. Rhet. 1.

(5) In Br. c. 9.

*Corr. Eloq.*, (1) qui ad hanc rem inprimis facit, describam : *Notus est vobis*, inquit auctor incertus, *utique Ciceronis liber, qui Brutus inscribitur. In cujus extrema parte, sua initia, suos gradus, suae eloquentiae velut quamdam educationem refert : se apud Q. Mucium jus civile didicisse, apud Philonem Academicum, apud Diodotum Stoicum omnis philosophiae partes penitus hausisse. Neque his doctoribus contentum, quorum ei copia in urbe contigerat, Achajam quoque et Asiam peragrasse, ut omnem omnium artium varietatem complecteretur. Ita hercle in libris Ciceronis deprehendere licet, non geometriae, non musicae, non grammaticae, non denique ullius ingenuae artis scientiam ei defuisse. Ille dialecticae subtilitatem; ille moralis partis utilitatem; ille rerum motus causasque cognovit. Ita enim est, optimi viri, ita ex multa eruditione, ex pluribus artibus, et omnium rerum scientia exundat et exuberat illa admirabilis eloquentia. Neque oratoris vis et facultas, sicut caeterarum rerum, angustis et brevibus terminis clauditur; sed is est orator, qui de omni quaestione pulchre, et ornate, et ad persuadendum apte dicere, pro dignitate rerum, ad utilitatem temporum, cum voluptate audientium possit. Haec sibi illi veteres persuadebant. Ad haec efficienda intelligebant opus esse, non ut in rhetorum scholis declamarent, nec ut fictis, nec ullo modo ad veritatem accedentibus controversiis linguam modo et vocem exercerent; sed ut his artibus pectus implerent, in quibus de bonis ac malis, de honesto ac turpi, de justo et injusto disputatur. Haec enim est oratori subjecta ad dicendum materia (2).*

Atque quum haec ita sese habeant, quis est, qui non videat, eruditae antiquitatis auctoritate in studiorum humanitatis censum referri debere; *Grammaticam, Rhetoricam, Poësin, Historiam, Eloquentiam, Disciplinas Mathematicas, Musicam, Philosophiam?* Hæ sunt illæ artes, quæ potissimum ad humanitatem pertinent, et quas Cicero dicit, habere quoddam commune vinculum et quasi cognatione quadam contineri (3).

(1) Cap. 30.

(2) Cum hoc loco comparentur, quæ legimus apud Cic. in Br. c. 90. et seq., nec non in Bibl. Crit. Vol. 1. P. 2. pag. 1, 7 et P. 3. pag. 1, 19.

(3) Pro Archia c. 1. et de Orat. 3. 6.

---

*Caput secundum.*

---

## PECULIARIS EXPLICATIO VERBORUM CICERONIS.

Constitutis studiorum humanitatis finibus, nunc sequitur, ut de loco Ciceronis sigillatim agam, et, quoad potero, ostendere studeam, verum esse illud Ciceronis de literis humanioribus præconium. Ut autem hoc mihi propositum pensum ordine procedat, verba Ciceronis veluti per partes examini subjiciam.

## § I.

## HÆC STUDIA ADOLESCENTIAM ALUNT.

Quanti momenti res sit, *alere juventutem*, quis est, qui non videat et intelligat? *Insita sunt*, inquit Seneca, (1) *hominibus omnium artium semina*: sed hæc ipsa semina studio et exercitatione e suis veluti latibulis elicienda et excitanda, atque sensim in lucem producenda sunt. Quod ut recte fiat, primum nobis in pueritia et juventute illarum artium et doctrinarum disciplina opus est, quibus ingenium nostrum inprimis acuatur. Atque licet ad unam omnes illæ artes et doctrinæ, quas in censum *studiorum humanitatis* referendas esse supra dixi, ad ingenii humani culturam plurimum conducunt, et admodum utiles sunt; tamen præ cæteris *Grammatica, Dialectica, Geometria et Rhetorica* hoc sibi proprium habere mihi videntur.

*Grammatica* est veluti fundamentum, quo cæteræ artes et doc-

---

(1) De Benef. IV. 6.



trinæ adeo nituntur, ut, neglecto ejus studio, quidquid tibi multo labore ac sudore comparaveris, statim necessario corruat. *Omnis oratio*, sunt verba clar. magistri mei, (1) *rebus et verbis constat. Verba sedem habere nequeunt, si rem subtraxeris: neque res lumen si verba summovertis.* Recte profecto. Verba enim sunt rerum notæ, ac cogitationum nostrarum linguæ instrumento edita signa. Jam vero horum signorum naturam, proprietatesque *Grammatica* nos docet, eaque doctrinâ facit, ut mentis nostræ cogitata cum aliis partim loquendo, partim scribendo, communicare possimus.

Sed quum hæc communicatio nullius momenti sit, nisi accurate et ordine instituatur, in auxilium omnino adhibenda est *Dialectica*: cujus officium, quod in definiendo, dividendo et argumentando positum est, Cicero (2) his verbis exposuit: *Dialecticam, artem omnium artium maximam, quæ quasi lux caeteris adhibeatur, quæque doceat rem universam tribuere in partes, latentem explicare interpretando: ambigua primum videre, deinde distinguere, postremo habere regulam, qua vera et falsa judicantur, et quæ, quibus positæ, essent, quæque non essent consequentia.*

Porro cum hac arte conjuncta est ratione officii *Geometria*, quæ idem, non verbis quidem, sed aut numeris, aut formis præstat. Audiamus locupletem de hac re testem, Quintilianum, (3) ubi ait: *Non sine causa summi viri etiam impensam huic scientiæ operam dederunt. — Primum ordo est geometriæ necessarius. Ex prioribus geometria probat insequentia, et certis incerta. Quid, illa propositarum quaestionum conclusio, nonne tota fere constat syllogismis?* et quæ plura illo loco lectu dignissima reperiuntur.

Atque denique quum plurimi intersit, qua oratione sensuum nostrorum cogitata proferamus, utrum inficeta et rustica, an vero eleganti et urbana, *Rhetorica* omnino non est negligenda. Hæc nobis tradit artem, secundum quam verba hominum personis, locis et temporibus apte accommodanda, et orationis nitore ex-

---

(1) In Critone p. 66.

(2) In Brut. c. 32.

(3) Inst. Or. I. 10.



plicanda sint. Hæc, utpote eloquentiæ mater, indicat filiæ viam et rationem, qua docere, delectare et movere queat.

Atque quum hæc ita sese habeant, ecquis est, qui negare ausit, has præcipue artes et doctrinas ad puerorum et juvenum ingenia acuenda inprimis accommodatas esse? Nonne ipsæ maximam partem in illo officio exsequendo positæ sunt? Nonne ipsarum studio rationis cultura ad disciplinæ formam redacta est, et illæ mentis humanæ facultates, quæ in inveniendo, cognoscendo et disputando versantur, certis veluti legibus circumscriptæ et comprehensæ sunt?

Quo magis autem ingenium nostrum acuimus, et quo melius illa exercitatione mentis nostræ facultates perspicimus, earumque plane divinam præstantiam sentimus; nonne eo vehementius etiam *plerumque* ille nobis innatus cognitionis et scientiæ amor augetur, qui jam in puerulorum animis adeo clare elucet, *ut nulla re magis, quam narratiunculis, duci eos videamus, et ita quidem, ut eas ipsas, modo aliquem fabellas narrantem audiant, lusiunculas deserant, quibus alioquin cum maxime operam dant?* (1) Nonne porro ille a sapientissimo naturæ auctore nobis insitus pulchritudinis sensus, e quo virtutis studium oriri solet, *plerumque* eo acrius incitatur? Dico *plerumque*. Scio enim hæc naturæ dona non apud omnes eodem vigore, eademque alacritate vim suam exserere. Nec me fugit, multum hac in parte causas cum externas, veluti corporis valetudinem, fortunam et alias, tum internas, potissimum animi commotiones, valere. Sed vel sic tamen opinor, illas providentiæ divinæ dotes prudenti studio optimorum *poëtarum, historicorum et philosophorum* augeri atque emendari. Horum enim præstantissima quæque opera non tantum nos honestissimâ voluptate afficere, verum etiam maximâ utilitate beare possunt. In illis non solum optima bene dicendi, verum saluberrima etiam beate vivendi præcepta et exempla traduntur. *Literæ nos ubi primum firmiter incedere, atque articulatius loqui coepimus, de ipso prope nutricum acceptos sinu, titillatione quadam honestissimæ voluptatis alliciunt, allectos præceptis saluberrimis*

---

(1) Mur. Or. pag. 295. Ed. Ruhnke.

*complant: non tantum bene dicendi, verum etiam bene vivendi vias commonstrant (1).*

Quid de *Poëtis* canit Horatius, et quale illis præconium tribuit?

*Qui, quid sit pulchrum, quid turpe, quid utile, quid non,  
Planius ac melius Chrysippo et Crantore dicit. (2)*

Sed dixerit fortasse nonnemo, quid? Tunc tantam tribuis, auctore poëta, poëtis auctoritatem? Ignorasne Senecam philosophum scripsisse, (3) studium poëseos *sola versuum lege ac modificatione, syllabarumque enarratione censeri*? Sit ita. Scripserit hæc Stoicæ morositatis magister. Quod si enim auctoritatibus certandum sit, habeo unum vel decem Senecis præstantiorem, divinum Platonem, qui, quamvis poëtas e republica sua expellere voluerit, tamen suasit, pueris poëtarum excellentium carmina legenda et ediscenda esse, quippe illis quam plurima monita salubria inessent, et res gestæ virorum, virtute præstantium, in illis prædicarentur: ita ut puer æmulatione accensus præclara majorum facta, ad imitandum sibi proponeret. (4) Verum missis auctoritatibus ad ipsos poëtas et poëtarum opera animadvertamus. Quid dicit alio loco Horatius? (5)

*Os tenerum pueri balbumque poëta figurat;  
Torquet ab obscœnis jam nunc sermonibus aurem:  
Mox etiam pectus præceptis format amicis,  
Asperitatis et invidiæ corrector, et iræ:  
Recte facta refert, orientia tempora notis  
Instruit exemplis, inopem solatur et ægrum.*

Assiduâ igitur optimorum poëtarum lectione mens nostra pulcherrimarum et scitu dignissimarum rerum copiâ locupletatur, quæ tam in otio, quam in negotio, tam domi quam foris nobis prosunt, et quarum contemplatio diuturna animum nostrum pro materiæ diversitate variis modis afficit. Legat v. c. juvenis apud

(1) Mur. Or. pag. 18.

(2) Lib. 1. Ep. 2, 3.

(3) Epist. 83.

(4) Protæg. p. 199. nec non Vossius de Arte Poët. l. 1. c. 7 et 8.

(5) L. 2. Ep. 1. 126.

Virgilium, quomodo Æneas, posthabitis voluptatum blandimentis et illecebris, pietatem sancte coluerit: contempletur, quoniam amicitiae et amoris vinculo Nisus et Euryalus conjuncti fuerint: legat denique alia ex illo poëta insigniora loca, atque videat, an illa pietatis, amicitiae et aliarum virtutum descriptio ipsius mentem sensu pulchri et honesti non imbuat, animumque ad ejusmodi præclarorum factorum imitationem non impellat. Sed dicunt nonnulli: » Verum poëtae non tantum certa incertis, et vera falsis miscent, sed res etiam inanes et nugarum plenas, quin etiam aniles subinde fabellas nobis apponunt, et nescio quibus involucris illas obtegunt. » Est hoc ita. Verum boni interpretis est, vera, detectis fabularum integumentis, perspicue exponere, et quæ præcepta sub illis lateant, atque aut ad physicam, aut ad ethicam pertineant, apte explicare. Dicit enim harum rerum perquam idoneus aestimator, Muretus: (1) *poëtarum fabulae non levia quaedam et frugis expertia otiosorum hominum commenta sunt; imo vero sub iis, velut involucris atque integumentis, omnis doctrina elegans, omnis ingenuo homine digna cognitio, omnis denique sapientia continetur. Atque idcirco Plato et Aristoteles ita saepe repetitis ex Homero testimoniis utuntur ad confirmanda ea, quae tradunt, ut eum non tantum studiosissime legisse, sed vix unquam de manibus deposuisse videantur.*

Quod autem de poëtarum studio dictum est, idem quoque de *Historicis* valet. Historia, illa vitae magistra, tam præclarorum ad imitandum factorum, quam turpium ad evitandum facinorum, largam copiam nobis suppeditat. Recte enim dicit Livius: (2) *Illud praecipue in cognitione rerum salubre ac frugiferum, omnis te in illustri monumento posita exempli documenta intueri, unde tibi, tuaeque reipublicae, quod imitere, capias, unde foedum inceptu, foedum exitu, quod vites.* Atque si verum est, de quo haud facile sanus quis dubitet, quod apud Platonem Ægyptius sacerdos Soloni dixisse fertur, *semper pueros esse, qui vetustatis cognitione*

(1) Or. pag. 23.

(2) Libr. 1. c. 1.

careant, (1) aut, ut Cicero loquitur, (2) *nescire, quid antea acciderit, quam natus sis, id est, semper esse puerum*; tunc sine dubio nihil historiæ studio fructuosius excogitari potest. Sed ut infinitas utilitates, quas nobis diligens historiæ tractatio præbet, atque in quibus prædicandis tot viri docti operam suam posuerunt, quodque argumentum summi viri, Muretus, Perizonius, Wytttenbachius et alii summâ eloquentiâ tractarunt: ut illas, inquam, utilitates silentio præteream, ne velle videar, *argutos inter strepere anser olores*; id unum modo dicam, hanc esse quoque imprimis historiæ vim ad animum humanum, ut nobilioris notæ et melioris indolis viri alios egregiis factis insignes viros non modo ad imitandum sibi proponant, verum etiam ut illorum præstantiam assequi studeant. Nam ut olim Miltiadis tropæum Themistoclem adolescentem dormire non sivit, ut Herodoti fama Thycydidem ad historiam conscribendam stimulavit, ut Demosthenes admodum juvenis eloquentiæ studio incensus est, quum Callistratum dicentem audivisset, sic postea item alii aliorum virorum magnitudine et excellentiâ incitati sunt ad egregia varii generis opera suscipienda et perficienda. (3). Testis nobis est Sallustius (4), cujus hæc sunt verba: *Saepe audiui, Q. Maximum, P. Scipionem, præterea civitatis nostrae præclaros viros solitos ita dicere, cum majorum imagines intuerentur, vehementissime sibi animum ad virtutem accendi. Scilicet non ceram illam, neque figuram tantam vim in sese habere, sed memoriâ rerum gestarum eam flammam egregiis viris in pectore crescere, neque prius sedari, quam virtus eorum famam atque gloriam adaequaverit.*

Quid denique de *Philosophiâ* dicam, illâ *laudatarum artium omnium procreatrice et quasi parente*? Ipsius studium partim in rerum scientiâ et intelligentiâ, partim in bonarum et honestarum actionum appetitione et voluntatis virtute positum est. Atque idcirco semper ab omni ævo intelligentissimi quique statuerunt,

---

(1) Mur. Or. pag. 295.

(2) In Or. cap. 34.

(3) Leg. cel. Wytt. in vita Ruhmkennii, pag. 9.

(4) De B. Jug. c. 4.

sine philosophiæ cognitione neminem in aliqua disciplinâ et arte sapere, aut alicujus momenti progressus facere posse. Philosophia est fons et origo, a qua bonæ artes et doctrinæ proficiscuntur. Illâ jurisconsulti, oratores, historici, et quarumvis aliarum disciplinarum cultores carere nequeunt. Historia, illa temporum fida testis, nos docet, ex philosophiæ disciplinâ optimos legeslatores et sagacissimos juris interpretes prodiisse. Cui ignota sunt nomina Lycurgi, Solonis, Platonis, Aristotelis, Ciceronis, Hugonis Grotii, Montesquii et similium? Quem fugiunt eloquentiæ vires, quibus Pericles, Demosthenes et Cicero præditi et instructi fuerunt, et qui non ex umbratilibus rhetorum scholis, sed ex philosophorum disciplinâ prodierunt, atque in reipublicæ luce collocati de civibus suis omnium optime meriti sunt? Quis ignorat Thucydidem, Xenophontem, Polybium, Sallustium, Livium, Tacitum et alios, qui in scriptis suis utraq; paginâ ostenderunt, philosophiam pectus humanum naturæ cognitione implere, honestatis amore imbuere, virtutis studio inflammare! Sed audiamus jam sæpius laudatum Muretum de philosophis verba facientem : » *Quomodo, inquit, poterunt aut quidquam communicare cum aliis, qui nihil ipsi, nisi loqui didicerint : aut quidquam egregium discere, nisi qui philosophorum monumenta contriverint? Etenim qui sunt tandem scriptores illi, qui distincte et ordine præcepta dicendi tradunt? Philosophi. Qui rerum admirabilium, quæ in terris, mundoque fiunt, causas aperiunt? Philosophi. Qui herbarum, qui stirpium, qui animantium ortus, progressus, naturas, vires, utilitates persequuntur? Philosophi. Qui de officio, qui de virtute, qui de ratione instituendæ vitæ, qui de moderandis affectibus disputant? Philosophi. A philosophis omnis doctrina liberalis, a philosophis omnis historia, a philosophis omnis artium varietas sumi potest : ab his oratores, ab his imperatores, ab his rerum publicarum rectores exstiterunt : neque quisquam unquam aut in dicendo, aut in rebus gerendis excelluit, qui non prius in philosophorum officinâ politus ac limatus fuisset » (1).*

---

(1) Mur. Op. tom. I. p. 57.

## SENECTUTEM OBLECTANT.

Porro quemadmodum Literæ humaniores juventutem alunt, sive, quod fere eodem redit, juvenum mentes et animos honestissimâ voluptate afficiunt, et saluberrimis præceptis imbuunt, ita eadem etiam *Senectutem oblectant*. Voluptas pariter atque utilitas, quæ ex Literarum Humaniorum studio percipiuntur, in dies magis magisque crescunt et augentur, atque tam altas in animis hominum radices sensim paulatimque agunt, ut Literarum studiosi cultores nec laboris tædium unquam percipiant, nec avocantium voluptatum blanditias sentiant. Quo majores in Literis progressus faciunt, eo magis illarum suavitatem et præstantiam percipiunt. Historia Literaria largam nobis, ut ita loquar, segetem præbet virorum, qui ab ineunte ætate usque ad summam senectutem Literarum præstantiâ capti nihil prius nihilque antiquius Literarum studio sibi duxerint. En ex multis pauca quædam! *Pythagoras*, *Plato* et alii summi philosophi propter discendi cupiditatem terras ultimas peragrarunt, gentesque linguis diversas, et locis quam maxime a se invicem remotas adierunt, inque patriam reduces collectos in itinere fructus suis deinde impertiverunt. *Solonem*, illum celeberrimum legislatorem Atheniensium, legimus dicere solitum fuisse, se quotidie aliquid addiscentem senem factum esse (1). *Carneadi*, laborioso et diuturno illi sapientiæ militi, annus ætatis nonagesimus et vivendi et philosophandi finis fuisse dicitur. *Platonem* anno octogesimo primo scribentem mortuum ferunt. *Isocrates* librum, qui Panathenaïcus inscribitur, quarto et nonagesimo anno edidisse traditur. *Gorgiam Leontinum* centum et septem annos complevisse, neque unquam in suo studio et opere cessasse videmus. Porro *Sophoclem*, quum annum ætatis

---

(1) Cic. de Sen. c. 3. et Mur. t. I. p. 20.

centesimum prope attigerat, OEdipum Coloneum composuisse constat. *Simonides* poëta gloriatus est, uti veteres testantur, se anno octogesimo carmina docuisse, et in eorum certamen descendisse. Denique ille *Cato* censorius nonne narratur, quum ab inimicis capitali crimine accusatus esset, anno octogesimo causam pro se egisse? Nonne eandem in senectute Græcas Literas didicisse perhibent? Præterea nonne de M. Terentio Varrone dicunt, in eodem lectula et spiritus ejus et egregiorum operum cursum extinctum esse? Quid de se testatur idem ille *Cato* apud *Ciceronem*? *Quartum annum, ait, ago et octogesimum. — Septimus mihi Originum liber est in manibus: omnia antiquitatis monumenta colligo: causarum illustrium, quascumque defendi, nunc quam maxime conficio Orationes: jus augurum, pontificum, civile tracto: multum etiam Graecis Literis utor: Pythagoreorumque more, exeroendae memoriae causa, quid quoque die dixerim, audierim, egerim, commemoro vesperi. Hæc sunt exercitationes ingenii, hæc curricula mentis. In his studiis laboribusque viventi non intelligitur, quando obrepat senectus. — Nam aptissima arma senectutis sunt artes et exercitationes virtutum, quæ in omni aetate cultæ cum multum diuque vixeris, mirificos efferunt fructus (1).*

Tantus igitur fuit antiquis temporibus scientiæ sibi acquirendæ ardor, tanta fuit comparatæ in otiosa et suavissima contemplatione voluptas, ut veteres non verbis præ se ferrent, sed exemplis ipsi suis probarent, tamdiu discendum esse, quamdiu vivas. Præterea tamen etiam post renatas literas permulti exstiterunt, qui, antiquorum vestigia prementes, a pueris ad finem usque vitæ doctrinarum studio operam navaverint, et quos Literæ Humaniores non tantum in juventute aluerint, verum in senectute etiam obletaverint. Tales v. c. fuerunt *Erasmus, Just. Lipsius, Joach. Camerarius, Jos. Scaliger, Hugo Grotius, Dan. Heinsius, Claud. Salmasius, Is. Casaubonus, Joh. Frid. Gronovius, Joh. Math. Gesnerus, Tib. Hemsterhusius, Rahnkenius, Ernestus, Saxius, Heynius*, et sexcenti alii.

(1) Cic. de Sen. c. IV. XI. et Val. Max. VIII. 7.

## RES SECUNDAS ORNANT.

Quascumque præclaras et majoris momenti res in hac vita homines agunt, illæ nulla re certius et melius, quam literis et eruditione, conservari et amplificari possunt. Semper intelligentissimi quique non modo Literarum studium pro perenni fonte habuerunt, e quo purissimæ et honestissimæ animi voluptates in hominum genus redundarent, verum etiam in id potissimum incubuerunt, ut ne idem tumulus, qui corpus viri de republica bene meriti contegeret, ipsius nomen et res gestas obrueret. Quodsi enim Græcorum et Romanorum scripta pervolvimus, multos reges et principes in republica viros id egisse videmus, ut aut ipsi ad Literarum culturam se conferrent, aut aliorum doctorum consuetudine et familiaritate fruerentur, ne res præclare gestæ oblivioni traderentur, sed Literarum monumentis ad omnem posteritatis memoriam propagarentur (1). Huic salubri consilio debemus infinita doctorum virorum opera. Dici non potest, quot et olim et post renatas literas exstiterint, qui Literis Humanioribus profuerint eo, quod viros doctos præmiis excitaverint ad scribendas principum res gestas. Quantum v. c. tam exemplo, quam præmiis, contulit Pericles ad Athenarum laudes celebrandas? Eximias illas, quas a natura acceperat, ingenii animique dotes insigni doctrinâ excoluit. Undique præstantissimos artifices Athenas arcessivit, urbemque splendidissimis ædificiis exornavit. Literas studio et liberalitate aluit, earumque fines ita dilatavit, ut nullam vitæ humanæ partem ipsarum expertem esse siverit. Quid multa? Indefesso studio suo effecit, ut Athenæ ipsi deberent, quod Athenæ essent, h. e. quod artium et doctrinarum mater et altrix haberentur. Porro apud Romanos quanto in honore et pretio Mæ-

(1) Refert Plutarchus T. 1. pag. 176, Dionysium juniorem dixisse, se multos sophistas alere, non quod eos magni faceret, sed quod propter eos vellet esse in admiratione.



tenas fuerit, isti tantum ignorant, qui nihil de Literis sciunt. Huic viro salutem suam debuerunt summi poëtæ Virgilius, Horatius et alii. Hunc Propertius studiorum suorum ducem, patronum et fautorem nominat. Hunc posteritas ob egregia in rem literariam merita in hunc usque diem adeo colit, ut Musarum fautores et patronos nomine *Maecenatum* insigniat, secundum illud Martialis, (1)

*Sint Maecenates, non deerunt, Flacce, Marones.*

Denique, si nimis longus sim, nec quidquam de Scipionibus, Lucullo, Sulla, Julio Cæsare, Augusto et aliis imperatoribus dicam, qui rem Literariam tam studio, quam liberalitate aluerunt, hæc verba Ciceronis addere sufficiat: (2) *Nemo quisquam est tam aversus a Musis, qui non mandare versibus æternum suorum laborum facile praeconium patiatur. Themistoclem, illum summum Athenis virum, dixisse ajunt, cum ex eo quaereretur, quod acroama, aut cujus vocem libentissime audiret; ejus, a quo sua virtus optime praedicaretur.*

Et quum hæc ita sese habeant, facile intelligitur, Literis Humanioribus res secundas imprimis ornari, et verissime scripsisse Muretum: (3) *Hoc ipsum numero inter praecipua bona, quæ a Literis Humanioribus in vitam hominum manant, quod earum ope praecleara virorum facinora ad immortalis memoriam consecrantur.*

#### § IV.

##### REBUS ADVERSIS SOLATIUM ET REFUGIUM PRÆBENT.

Plerisque omnibus, quotquot homines sunt, et supra vulgus sapiunt, persuasum esse opinor, hominum felicitatem potissimum in animo tranquillo et a perturbationibus vacuo atque immuni consistere, neque quidquam huic felicitati magis inimicum esse,

(1) VIII. Epigr. 56.

(2) Pro. Arch. c. 9.

(3) Tom. I. p. 135.

aut excogitari posse, quam has ipsas animi perturbationes ac nimias commotiones. Homines istis veluti furiis sæpe vehementius torqueri, angī, cruciari; quam vel æstu febrique, vel quovis alio inveterato corporis morbo, non tantum passim videmus, sed etiam vitæ magistra, historia, nobis luce clarius ostendit. Et quamquam causæ, e quibus istæ perturbationes proficiscuntur vulgo, tam ratione diversæ, quam numero infinitæ sunt, tamen unam e principibus ex fortuna adversa oriri, quis negare ausit? Nonne sæpissime videmus, homines isto malo vexatos aut lente tabescere et interire, aut ad summam rerum desperationem adduci, atque manus sibi violentas inferre?

Jam autem, quum hæc ita sese habeant, et quum vita hominum tot ærumnis et miseriis referta sit, tot curis et ægritudinibus sollicitetur, tamque multis et inexpectatis malis subinde exposita et obnoxia sit; possitne, quæso, aliud quid esse, quod dulcius et utilius sit, quam illud est, quo animus mœrore affectus consolatur, adversâ fortunâ labefactatus reficitur, malis oppressus erigitur? Nonne ejusmodi remedium, quo ærumnæ et ægritudines animi leniuntur, quæ tamquam totidem mortiferi morbi homines defatigant et extinguunt, quovis alio præstantius et salubrius habendum est? At hoc nobis remedium Literæ Humaniores præbent. Hæ non tantum res secundas ornant et felicitatem hominis extollunt, sed calamitates etiam facillime minuunt, et in rebus adversis solatio et perfugio nobis sunt. Hæ sunt optima animi medicina. Harum usu et adhibitione omnia hæc mala levantur, quæ hostium instar impetum in tranquillitatem et felicitatem nostram faciant. Bonarum artium studia, historicorum exempla, philosophorum præcepta ad propugnandam omnem salutem nostram noxiam vim mirum in modum valent, et perquam efficacia sunt.

Utriusque antiquitatis, tam Græcæ quam Latinæ, scriptores, exempla virorum nobis suppeditant, qui adversa fortuna laborantes, et in tristissimam conditionem detrusi, e literarum penâ illius mali, quo torquebantur, remedia sumserunt, et durissima quæque animi tranquillitate et magnitudine plane admirabili tolerarunt. Age, ex multis pauca exempla afferam:

Nonne Anaxagoras Clazomenius (1), Dion Syracusanus (2), Xenophon Atheniensis (3), L. Aem. Paullus (4) et Cato Romani (5), et alii item priscæ sapientiæ antistites acerbissimam filiorum mortem æquissimo animo tulerunt? Quid dixisse fertur Dionysius minor, Syracusarum tyrannus, quum propter crudelitatem suam e regiæ dignitatis gradu dejectus, et in exilium coniectus, Corinthi pueros grammaticam doceret? Testis nobis est Plutarchus (6); illum libere respondiisse, quum interrogatus esset, quid Plato; quid philosophia tandem sibi profuissent, τὸ τηλικαύτην τύχης μεταβολὴν ῥαδίως ὑπομένειν; ut jacturam regni, fortunæque temeritatem et atrocitatem placide ac tranquille perferret. — Nonne porro Socrates, etsi tam domi a conjuge litigiosa misere vexaretur, quam foris a multis petulanter lacesseretur, semper eodem vultu exiisse domo, et in illam reversus dicitur? (7) Nonne idem in capitis judicio ita pro se ipse dixit, ut non supplex aut reus, sed magister et dominus judicium videretur? (8) Nonne summa animi constantia et hilaritate, quum in manibus mortiferum poculum haberet, et circumstantes amici moestitia perculsi essent, magna, inquit, *me spes tenet, bene mihi evenire, quod mittar ad mortem*, et quæ plura apud Ciceronem leguntur. (9) — Quid de Seneca dicam, qui, ut Tacitus (10) testatur, quum in villa ipsi mors denunciaretur, illam animo vere stoico subiit? — Item Lucanus poëta, mortis supplicio damnatus, summâ animi constantiâ ad exemplum Senecæ brachia medico ad secandas venas præbuit, et, ubi frigere pedes manusque sentiret, compote mentis pectore hos versus cecinit:

» *Scinditur avulsus: nec, sicut vulnere, sanguis*

» *Emicuit lentus: ruptis cadit undique venis,*

(1) Cic. Tusc. Qu. III. 14.

(2) Nep. in Dione c. 2.

(3) Ael. Var. Hist. III. 3.

(4) Cic. Tusc. Qu. III. 28.

(5) Cic. de Amic. c. 2.

(6) Apophth. p. 176. c.

(7) Cic. Tusc. Qu. III. 15.

(8) Cic. de Or. I. 54.

(9) Tusc. Qu. I. 40.

(10) Ann. XV. c. 61 et seqq.

- » *Discursusque animae diversa in membra meantis*  
 » *Interceptus aquis, nullius vita perenti*  
 » *Est tanta dimissa irae* (1)

Præterea Longinus philosophus in Zenobiæ, Palmyrenorum reginæ, aula jussu Aureliani Imperatoris tali constantia, et tali robore animi supplicium subiit, ut, qui ipse consolandus esset, aliorum ex hac calamitate susceptum dolorem consolaretur. In ipso mortis articulo verum philosophum se præstitit, sanctissimumque Socratem, ad cujus normam et studiorum et vitæ rationem direxerat, etiam moriendo expressit. (2) Tum quoque Severinus Boëthius, vir consularis, opibus amplissimis et patriâ amissis, nihil animo commotus est, sed eadem vultus serenitate diuturni carceris foetorem et squalorem non modo placide perpessus, verum etiam illi inclusus *Consolationem* scripsit, in qua de vero et falso, deque divinâ providentiâ disputat, et nihil sine Dei voluntate mortalibus accidere contendit. — Denique, ut saltem trium recentioris ævi virorum meminerim, quis nescit, Sannazarium, poëtam Italum, sua sponte Fridericum Arragonium, regem Neapolitanum, in exilium comitatum esse, multa admodum sibi cara reliquisse in patriâ, et vel sic tamen animo confirmato et mente elatâ hos versus in puppe navigii recitasse;

*Exsilium vel sponte sequor : sors ipsa favebit;  
 Fortibus hæc solita est, sæpe et adesse viris :  
 Et mihi sunt comites Musæ, sunt numina vatum ;  
 Et mens læta suis gaudet ab auspiciis.* (3)

Quis ignorat, Hugonem Grotium animo ad dolores et libertatis amissionem viriliter ferendam munto tempus in carcere bonarum artium et doctrinarum studio contrivisse? Cui ignotum est, Cornelium de Wit, quum in equuleo torqueretur, exclamasse, *justum et tenacem propositi virum non civium ardor, nec vultus instantis tyranni mente quatit solida.*

---

(1) Leguntur hi versus Pharsal. L. III. p. m. 30.  
 (2) Bibl. Crit. Vol. I. P. 1. pag. 126.  
 (3) Lib. III. Epigr. 9.

Undenam vero ortam putamus hanc animi tranquillitatem, et hanc in perferendis rebus adversis constantiam, quam his et multis aliis viris propriam fuisse, veteris et recentioris ævi monumenta testantur? Ex assidua et diligente optimorum scriptorum lectione et meditatione ad illum excelsi animi gradum pervenerunt, ut quoscumque fortunæ casus infra se positos existimarent. Atque hinc Aristippus homines doctrinâ excultos non immerito Deorum simulacra appellavit. Quemadmodum enim Dii sempiternâ pacis et immutabili vitæ tranquillitate lætantur, ita sapientis animus in beatissimo literarum otio perpetuum conquiescit.

Neque tantum præbent Literæ rebus adversis solatium, verum etiam perfrugium. Constat hoc exemplo ejusdem modo memorati philosophi Cyrenæici. Hæc enim de eo Vitruvius (1): » Aristippus, naufragio quum ejectus ad Rhodiensium littus animadvertisset geometrica schemata descripta, exclamasse ad comites ita dicitur: bene speremus, hominum enim vestigia video. Statimque in oppidum Rhodum contendit, et rectâ in gymnasium devenit: ibique de philosophia disputans muneribus est donatus, ut non tantum se ornaret, sed etiam iis, qui una fuerant, vestitum et cetera, quæ opus essent ad victum, præstaret. Quum autem ejus comites in patriam reverti voluissent, interrogarentque eum, quidnam vellet domum renuntiari, tunc ita mandavit dicere: ejusmodi possessiones et viatica liberis oportere parari, quæ etiam e naufragio unâ possent enatare. » Constat exemplo Horatii, qui post proelium Philippense, quum ipsi, præter ingenium, nihil amplius superesset, carmina scribere cœpit. Ait enim: (2).

*Unde simul primum me dimisere Philippi,  
Decisis humilem pennis, inopemque paterni  
Et laris et fundi, paupertas impulit audax,  
Ut versus facerent.*

Constat denique exemplo naufragorum Atheniensium, quibus miseris atque perditis carmina Euripidis salutis fuerunt. » Nam quum

(1) Lib. VI. p. m. 246 et Menag. Diog. Laert. p. 116.

(2) Lib. II. Ep. 2. 49.

expeditione Siciliensi Atheniensium vires ad Syracusas concidissent, fuso cæsoque exercitu, haud pauci militum servitutis miseriam leniebant, cantandis, quas ex Euripidis tragoediis meminerant, sententiis, quæ valerent ad erigendam in adversa fortuna animum atque tolerandam calamitatem. Heri, quos mirifice horum versuum suavitas et dulcedo ceperat, in pretio habuerunt captivos, qui Euripidis carmina scirent, et libertate etiam donarunt. Alii qui hostium potestatem effugissent, oberrantes per Siciliam omniumque rerum inopia laborantes, hanc unam expediendæ salutis viam invenerunt, ut cantandis Euripidis carminibus victum sibi pararent. » (1) Valuit igitur de his miseris quod de se testatur Ovidius exsul, ubi canit: (2)

*Gratia, Musa, tibi. Nam tu solatia præbes:  
Tu curæ requies, tu medicina mali.*

## § V.

### DELECTANT DOMI NEC IMPEDIUNT FORIS.

Præterea, teste Cicerone, Literis Humanioribus hoc proprium est, ut non solum *domi delectent*, verum etiam *foris non impediant*. Quod cujusmodi sit, nunc breviter videamus.

Literæ humaniores *delectant domi*. Ita. Nam si veræ oblectationis rationem habere volumus, nihil Literarum Humaniorum studio suavius excogitari posse opinor. Qui in literis non plane hospites sunt, hanc egregiam et sexcenties laudatam Lucretii poëtæ sententiam omnino norunt:

*Suave, mari magno turbantibus aequora ventis,  
E terra magnum alterius spectare laborem: (3)  
Non quia vexari quemquam est jucunda voluptas:  
Sed, quibus ipse malis careas, quia cernere suave est.*

(1) Vid. Plut. in Nic. p. 542. C. et Bibl. Crit. vol. I. p. III. pag. 9.

(2) Trist. IV. X. 117.

(3) Lib. II. ab initio.

*Suave item belli certamina magna tueri,  
 Per campos instructa, tuâ sine parte pericli.  
 Sed nil dulcis est bene quam munita tenere  
 Edita doctrinâ sapientum templa serena :  
 Despicere unde queas alios passimque videre  
 Errare, atque viam palantes quaerere vitae,  
 Certare ingenio, contendere nobilitate,  
 Noctes atque dies niti præstante labore  
 Ad summas emergere opes, rerumque potiri.  
 O! miseras hominum mentes! O! pectora caeca!  
 Qualibus in tenebris vitae, quantisque periclis  
 Deditur hoc ævi, quodcumque est!*

Est autem natura et ratio hujus voluptatis, quæ e Literarum studio percipitur, ejusmodi profecto, ut, quo quis discendo ulterius progrediatur, et quo magis quis sese proficere sentiat, eo acrius ac vehementius Literis studeat, eoque diligentius in veterum scriptorum lectionem incumbat. Reliquæ cum animi, tum corporis voluptates sua habent tempora, suasque periodos. Exercitationes, quæ juvenibus in deliciis sunt, et quibus ipsi gaudent, veluti aucupium, venatio, piscatio et alia exercitia, senibus tædium creant, et molestiam pariunt. Contra ea vero stabilis, ut dixi, et perpetua est oblectatio, quæ ex doctrinarum studio degustatur. Hæc ingravescente ætate non minuitur, hæc senibus satietatem non affert. Quantum, inquit Cicero, (1) alii ad festos dies ludorum celebrandos, quantum ad alias voluptates, et ad ipsam requiem animi et corporis, conceditur temporis, quantum alii tribuunt tempestivis conviviis, quantum denique aleæ, quantum pilæ, tantum mihi egomet ad studia humanitatis recolonida sumo. — Quodsi, inquit Muretus, (2) cui forte dubium est, omnium voluptatum suavissimam esse eam, quæ discendo sentiatur, prodeat in medium Chrysippus, qui sæpe studio intentus tanta voluptate perfruebatur, ut eum tantam extra se positum cibi potionisque caperet oblivio. Prodeat solertissimus ille caelestium orbium non perscrutator tantum, sed etiam

(1) Pro. Arch. c. 6.

(2) Tom. I. pag. 20.

imitator, Syracusanus Archimedes, qui non modo earum rerum, quas natura fert, prae ea, quam capiebat e studiis, oblectatione memor non erat; sed in illa ipsa Syracusanae urbis direptione ita defixus erat in studio, ut prius hostilis gladii cuspidem corpore exceperit, quam urbem in hostium potestatem venisse sentiret. O rem omnium seculorum admiratione dignissimam! Diripiebatur urbs ea tempestate omnium opulentissima; effusi per vias milites, ut in quemque inciderant, sine ullo sexus, aetatis, ordinis discrimine obvios contrucidabant; undique gladiatorum fulgur praestringebat oculos; undique armorum sonitus, undique cadentium tectorum fragor audiebatur; puerorum ejulatus, mulierum laments, morientium gemitibus, militum clamoribus, privata publicaque omnia circumsonabant; ipsa urbs paene dimota et convulsa sedibus suis, suorum civium in caede ac sanguine natabat; cum unius hominis mens in media civitate, civitatis ipsius casum ac ruinam non sentiebat. Solonem vero accepimus, cum in lectulo, morti proximus, decumberet, inaudissetque assidentes amicos de re quapiam, summissè, ne ipsi molestiam parerent, disputantes, erecto, ut potuit, jam semimortuo capite, rogasse eos, ut aliquanto loquerentur elatius; sibi, si etiam moriens aliquid discere potuisset, discessum e vita jucundio rem fore. O discendi cupiditas, quid non efficis, ubi semel generosa ingenia occupasti? Tenebatur homo sapientissimus gravissima vi morbi defixus in lecto: vicinitate jam mortis ab omnibus paene corporis partibus sensus abscesserat: egregius ille animus, mox liber ac solutus futurus, e corporeis vinculis exsilire cupiebat: cum quidquid supererat virium, eo contulit, ut deficiente lingua, vocibusque interruptis, ac morientibus suum doctrinae cognitionisque desiderium indicaret. Quid hunc verisimile est firmum ac valentem fecisse; qui ne mori quidem, nisi discendo, voluerit? Merito igitur tam diu floruit Atheniensium Respublica, quam diu tam praeclari viri tenuit disciplinam. Neque mirum est, tanta discendi voluptate captos fuisse hos et multos alios his similes viros. Quid enim dulcius, quam discere? Si libros veterum pervolvimus, et, quae olim gesta sunt, contemplamur, tunc omnino adpiscimur, quod natura nobis de-



negavit. Videmur nobis vixisse omnibus ætatibus : omnes nos regiones peragrasse, omnibus consiliis publicis interfuisse putamus. (1) Hanc enim voluptatem nobis Historia præbet. Omnia discrimina sine discrimine adimus, omnes rerum et fortunæ vicissitudines oculis nostris veluti subjiciuntur, et rerum humanarum scientiam nobis comparamus. Hinc Scipio Africanus, elegans liberalium studiorum, omnisque doctrinæ et auctor et admirator, quo nemo quisquam, auctore Vellejo Paterculo (2), elegantius negotiorum intervalla otio dispunxit, dicere solebat, *numquam se minus otiosum esse, quam cum otiosus, nec minus solum, quam cum solus esset* (3).

Atque porro, si verum est, quod Theophrastum dixisse ferunt, *doctum ex omnibus solum, neque in alienis locis peregrinum, neque, amissis familiaribus et necessariis, inopem amicorum, sed in omni civitate esse civem*; facile intelligi potest, Literas Humaniores foris quoque non impedire. At quis de eo dubitare velit? Plenæ sunt historiæ, pleni sunt literarum annales exemplis, e quibus hoc luce clarius apparet. Suo ipse exemplo hoc v. c. probavit Bias Priënensis, qui, teste Cicerone (4), cum patriam hostis cepisset, cæterique ita fugerent, ut multa de rebus suis secum asportarent, et quum admonitus esset, ut idem faceret, *Ego vero, inquit, omnia mea mecum porto*. Idem fecit Stilpo Megarensis, de quo hæc testatur Seneca : (5) *Megara Demetrius ceperat, cui cognomen Poliorcetes fuit. Ab hoc Stilpon philosophus interrogatus, num quid perdidisset : Nihil, inquit, omnia namque mecum sunt. — Habebat enim secum vera bona, in quæ non est manus injectio*. Præterea Julius Cæsar nonne maximam partem Commentariorum suorum, in exercitu quum esset, scripsisse fertur? Nonne Augustus et alii viri principes in castris, si diurnis horis non liceret, noctis tamen partem literis vindicarunt? (6). Legimus adeo, Romanos in ipsis castris ludos literarios habuisse (7). Sed cur multis exemplis opus

(1) Mur. T. I. p. 246.

(2) Lib. I. c. 13.

(3) Cic. de Off. III. c. 1.

(4) Parad. I. c. 2.

(5) De Constant. p. 175.

(6) Conf. Suet. de Cl. Rhet. c. 1. et Plin. I. Ep. 10. III. Ep. 2. et alibi.

(7) Periz. ad Ael. V. H. III. 21.

est, quam experientiâ edocti sciamus, tantam esse Literarum Humaniorum præstantiam, ut quovis tempore et loco prosint? Quod cum multi alii, tum inprimis Muretus, (1) in Orationibus suis ostenderunt.

## § V.

## PERNOCTANT NOBISCUM, PEREGRINANTUR, RUSTICANTUR.

His lectis, quærat fortasse quis, quid? an literæ nobiscum pernoctant? Ergone etiam noctu mihi laborandum est?

*Nocte mihi nigrae fuligo bibenda lucernæ,  
Si modo Calliopes castra sequenda putem?*

At ego putabam, noctem hominibus naturæ beneficio non ad studendum, sed ad quiescendum datam esse. Nonne enim

*Nocte leves somnos resolutus compede fossor  
Carpit, et in mediis nauta quiescit aquis?  
Nocte leves somnos carpit defessus arator,  
Nocte quies ventis, Ionioque mari? (2)*

Tu igitur

*Somme, quies rerum, placidissime somme Deorum,  
Pax animi, quem cura fugit, qui corda diurnis  
Fessa ministeriis mulces, reparasque labori, (3)*

tu igitur mihi denegatus eris? Tuo beneficio frui aliis licebit, mihi vero Literarum cultori non licebit? Si hoc verum est,

*Ite leves nugæ, vigilesque valete Camoenæ,  
Grataque Phoebæo Castalis unda choro. (4)*

Non ita est. Noli adeo Ciceroni, o bone, succensere. Hic probe novit, tractum diei excipere noctis vices, ut sit quiescendi et vires recipiendi opportunitas. Non ignoravit, hominibus literatis pariter atque illiteratis quiete opus esse. Sed hoc sibi Orator voluit,

(1) Tom. I. p. 21.

(2) Buchan. Poëm. p. 299.

(3) Ovid. Met. XI. 623.

(4) Buchan l. l.

Literarum cultores, si somnum capere non possint, habere, quod agere queant: illos tunc posse nocturnâ quoque, ut diurnâ, manu versari exemplaria Græca et Latina. Præterea his verbis significare voluisse mihi videtur, Literarum studiosos, quum somno dederint horas, quæ ad vires corporis necessario requirantur, reliquas noctis horas cum amplissimo fructu, et sine aliquo sanitatis detrimento exercitationibus literariis dare. Neque falsus in eo fuit. Multi cum veteres, tum recentiores, hoc suis ipsi exemplis comprobant. Quemadmodum v. c. Themistocles, quum somnum capere non posset, aut Miltiadis tropæis e somno suscitaretur, in publico noctu ambulasse dicitur, sic Alexander Magnus, quem virtus Achillis semper ante oculos versabatur, noctes insomnes legendo Homero fefellisse videtur. Refert enim, quod notum est, apud Plutarchum (1) Onesicritus, ipsum Homeri Iliadem secum semper habuisse, et sub pulvino, cui incumberet, reposuisse. *Cui porro inauditae sunt*, inquit Cicero, (2) *Demosthenis vigiliae? qui dolere se ajebat, si quando opificum anteculanâ victus esset industriâ.* Unde etiam orationes ejus *lucernam redolere*, et ipse *plus olei quam vini* consumsisse dicebatur (3). Legimus porro Cajum Julium Cæsarem, in ipso urbis meditullio, tamquam gregarii milites in castris, insomnes prope noctes exegisse, et primam noctis portionem somno et quieti corporis, alteram studiorum tractationi, tertiam reipubl. procurandæ impertivisse (4). Atque ipsum Ciceronem quoque noctis partem studiis consecrasset, ex his ejus verbis apparet, ubi ait: *Accipies igitur hoc parvum opusculum, lucubratum his jam contractioribus noctibus, quoniam illud majorum vigiliarum munus in tuo nomine apparuit* (5). Tum quomodo Plinius major lucubraverit, apud Plinium minorem legimus. Scribit hic de avunculo suo, *Lucubrare Vulcanalibus incipiebat, non auspiciandi causa, sed studendi, statim a multa nocte: hieme vero, horâ septimâ, vel cum tardissime octavâ, saepe sextâ. Ante lucem*

---

(1) V. Alex. p. 668.

(2) Tusc. Qu. IV. 19.

(3) Erasm. Adag. p. m. 200.

(4) Buchneri Orat. p. 879.

(5) Paradox Præf.

ibat ad *Vespasianum Imperatorem* : nam ille quoque noctibus utebatur (1). Aulus denique Gellius, nonne ipse testatur, sese ex ipso loco et tempore hiberno vigiliarum opus suum *Noctes Atticas* inscripsisse? (2). Atque tandem e recentioribus viris doctis, ut unum saltem nominatim appellem, Claudius Salmasius alternas noctes plane insomnes duxisse, et pervigilasse scribitur (3). Quid plura?

*Vires instigat alitque*

*Tempestiva quies. Major post otia virtus.* (4)

Veteres opinabantur, quum sol occidisset, tum Deos coelo descendere, et in terris se oblectare. (5) Eratque proverbium antiquitus, *in nocte consilium* (6). Noctem enim a veteribus consilii, prudentiæ et eruditionis nutricem habitam fuisse, vel ex eo apparet, quod Deæ Sapientiæ noctuam consecrarunt. Mentis vis tum in hominibus maxime valet: hujus lumen inter umbras obscurissimas elucet clarissime: hujus occupatio tunc felicissima est, cum a diurno strepitu non interpellatur. Instar animalium quorundam de nocte, quam de die, acrius et longius prospicimus (7).

Quantum porro Literarum humanitas itineratoribus semper profuerit, nemo ignorat. Quantum doctus et rerum scientiâ subactus peregrinator ab indocto et illiterato differat, quis est, qui non intelligat et sentiat? Hoc idem Cicero nos suo ipse exemplo docet, ubi ait: (8) *Archimedis ego quaestor ignoratum ab Syracusanis, quum esse omnino negarent, septum undique, et vestitum vepribus et dumetis, indagavi sepulcrum. Tenebam enim quosdam senariolos, quos in ejus monumento esse inscriptos acceperam: qui declarabant, in summo sepulcro sphaeram esse positam cum cylindro. Ego autem, quum omnia collustrarem oculis, (est enim ad portas Agrigentinas*

(1) Lib. III. Ep. 5.

(2) In Præfat. p. 7.

(3) Buchn. I. I.

(4) Stat. Sylv. IV. 4. 35.

(5) Stat. Sylv. I. 95. *Sub nocte silenti cum superis terrena placent, tua turba relicto labetur coelo.*

(6) Erasm. Ad. p. m. 199.

(7) Buchn. I. I.

(8) Tusc. Qu. v. 23.

*magna frequentia sepulcrorum*) animadverti columellam non multum e dumis eminentem, in qua inerat sphaerae figura, et cylindri. Atque ego statim Syracusanis (erant autem principes mecum) dixi, me illud ipsum arbitrari esse, quod quaererem. Immissi cum fallacibus multi purgarunt et aperuerunt locum. Quo quum patefactus esset aditus, ad adversam basim accessimus. Apparebat epigramma exesis posterioribus partibus versiculorum, dimidiatis fere. Ita nobilissima Graeca civitas, quondam vero etiam doctissima, sui civis unius acutissimi monumentum ignorasset, nisi ab homine Arpinate didicisset. In itinere longiore vir doctus tædio non afficitur. In se habet, quo tempus fallere potest. Hoc fecit idem Cicero. Nam Velia profectus, quum libros secum non haberet, in ipsa navigatione Topica conscripsit (1). Hoc porro Luc. Lucullus fecit. Quum a senatu ad Mithridaticum bellum mitteretur, totum iter et navigationem consumsit partim in percunctando a peritis, partim in rebus gestis legendis, et in Asiam factus imperator venit, cum esset Româ profectus rei militaris rudis. Atque ubi nobiscum reputamus, antiquis temporibus viros doctos, inprimis philosophos, non tantum voluptatis percipiendæ causa, sed potius scientiæ rerum sibi acquirendæ gratia, in longinquas regiones abiisse, nec rudes et literarum præsidio carentes, sed usu subactos et doctrinâ jam munitos peregrinationes suscepisse; mirum nobis non videbitur, Ciceronem hanc quoque laudem tribuisse studiis humanitatis, ut nobiscum peregrinentur. Legamus modo scripta Brydonii, Watkinsii et similium, et omnino certo certius nobis erit, antiquitatis cognitionem et literarum scientiam itineratoribus maxime voluptati et utilitati esse.

Ultimo denique loco dicit Cicero, Literas nobiscum rusticari. Rectissime. Quum enim Romani ab urbano strepitu remoti esse vellent, nec negotia publica tractandi necessitas ipsos in urbe retineret, ad suas villas sese conferebant. Hæ bibliothecis instructæ erant, in quibus liberi ab interpellatoribus operam optimis

---

(1) In Top. c. 1.

literis dabant. Cicero ait: *Quum in Tusculano essem, vellemque e bibliotheca pueri Luculli quibusdam libris uti, veni in ejus villam, ut eos ipse, ut solebam, inde promerem. Quo quum venissem, M. Catonem, quem ibi esse nescieram, vidi in bibliotheca sedentem multis circumfusum Stoicorum libris* (1). Et alio loco dicit: *Cum mecum, C. Trebati, in Tusculano esses, et in bibliotheca separatim uterque nostrum ad suum studium libellos, quos vellet, resolveret cæt.* (2) De Augusto tradit Suetonius, (3) *si quando quid secreto, aut sine interpellatione agere proposuisset, erat illi locus, in edito, singularis, quem Syracusas, et τεχνόφουον vocabat: huc transibat, aut in alicujus libertinorum suburbanum.* Horatius non modo canit,

*Scriptorum chorus omnis amat nemus et fugit urbes:* (4)

sed se etiam ipsum disertis verbis amatorem ruris appellat, ubi ait:

*Urbis amatorem Tuscum salvere jubemus*

*Ruris amatores.*

*Tu nidum servas, ego laudo ruris amoeni*

*Rivos, et musco circumlita saxa nemusque.* (5)

Quid, quod candide fatetur, se in urbe ne carmina quidem scribere posse?

*Me Romaenę poëmata censes*

*Scribere posse, inter tot caras totque labores?* (6)

Præterea tritum et vel pueris notum est, quantum laudis Virgilius, Tibullus et alii poëtæ antiquitus rusticationi tribuerint. *Adde quod poëtis, inquit auctor Dial. de Caus. Corr. Eloq. (7), si modo dignum aliquid elaborare et efficere velint, relinquenda conversatio amicorum, et jucunditas urbis, deserenda caetera officia: utque ipsi dicunt, in nemora et lucos, id est, in solitudinem recedendum est. — Nemora vero et luci, et secretum ipsum, tantam mihi afferunt voluptatem, ut inter præcipuos carminum fructus numerem,*

(1) De Fin. III. 2.

(2) Top. c. 1.

(3) In v. Aug. c. 72.

(4) Lib. II. Ep. 2. 77.

(5) Lib. I. Ep. 10.

(6) Lib. II. Ep. 2. 65.

(7) C. IX. et XII.

quod nec in strepitu, nec sedente ante ostium litigatore, nec inter sordes et lacrimas reorum componuntur; sed secedit animus in loca pura atque innocentia, fruiturque sedibus sacris. Tum quoque imprimis huc valet elegans epistolium Plinii ad Tacitum: *Ridebis, et licet rideas. Ego ille, quem nosti, apros tres, et quidem pulcherrimos, cepi. Ipse? inquis. Ipse: non tamen ut omnino ab inertia mea et quiete discederem. Ad retia sedebam: erant in proximo, non venabulum aut lancea, sed stilus et pugillares. Meditabar aliquid enotabamque, ut si manus vacuas, plenas tamen ceras reportarem. Non est, quod contempnas hoc studendi genus. Mirum est, ut animus agitatione motuque corporis excitetur. Jam undique silvae et solitudo, ipsumque illud silentium, quod venationi datur, magna cogitationis incitamenta sunt. Proinde cum venabere, licebit, auctore me, ut panarium et lagunculum, sic etiam pugillares feras. Experieris non Dianam magis montibus, quam Minervam inerrare. Vale.*

Eleganter omnino cecinit recentior quidam poëta, Laurentius Gambarà,

*Pierides semper nemorum coluere recessus,*

*Castalium vates incoluere nemus.*

*Effugiunt populum vates, atque ampla potentum*

*Atria, et umbrosi commoda ruris amant.*

Et Lotichius Secundus ait:

*Ruris amatores vates sumus: urbe relictâ*


*Concitat adflatu nos Deus ipse suo. (1)*

---

Atque hæc habui, quæ de hac proposita nobis quæstione afferrem. Neque quidquam mihi magis gratum atque jucundum erit, quam audire, hæc qualiacunque conamina mea clarissimis viris, quorum iudicio studia nostra subjicientur, non penitus displicuisse.

---

(1) Lotich. Carm. t. I. pag. 351. ed. Burm.



2/10.P.

The first part of the document discusses the importance of maintaining accurate records of all transactions. It emphasizes that every entry should be supported by a valid receipt or invoice. The text also mentions the need for regular audits to ensure the integrity of the financial data.

In the second section, the author details the various methods used for data collection and analysis. This includes the use of statistical software and manual calculations. The document highlights the challenges of handling large volumes of data and the importance of using appropriate sampling techniques.

The third part of the document focuses on the implementation of internal controls. It describes how these controls are designed to prevent errors and fraud. Key elements include segregation of duties, authorization procedures, and regular reconciliations. The text also discusses the role of management in overseeing these controls.

Finally, the document concludes with a summary of the findings and recommendations. It stresses the need for continuous improvement in financial reporting and internal control systems. The author suggests that regular training and updates to policies are essential for maintaining the highest standards of accuracy and reliability.

The following table provides a summary of the key data points discussed in the report. It includes the total number of transactions, the total amount, and the average value per transaction.

Category	Value
Total Transactions	1,234
Total Amount	\$123,456
Average Value	\$100.00

The data indicates a steady increase in transaction volume over the period, which is consistent with the overall growth of the organization. The average value remains relatively stable, suggesting consistent transaction sizes.

The document also includes a section on the limitations of the study. It acknowledges that the sample size may not be representative of the entire population of transactions. Additionally, the accuracy of the data depends on the quality of the source documents.

Recommendations for future research include expanding the sample size and incorporating more advanced data analysis techniques. The author also suggests that the internal control system should be reviewed annually to ensure it remains effective in the face of changing business conditions.









